BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III.
RACCOLTA
VILLAROSA
C
28
NAPOLI

9
5-1

Vet. C. 98

Digitized by Google

Digitized by Google

JANUARII PARRINI

J. C. NEAPOLITANI

COLLOQUIA

Nunc primum in unum collecta.

QUIBUS ACCESSERE

BELVEDERIUS SIVE THEATRUM

Et Dialogi varii argumenti.

Biblioteca Nazionale V. E. III NAPOLI

NEAPOLI) (MDCCLXIX.

Typis VINCENTII MANFREDI.

PUBLICA AUTHORITATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

JANUARII PARRINI
J. C. NEAPOLITANI
COLLOQUIA
AD MARCHIONEM
BERNARDUM TANUCIUM
FERDINANDI
REGIS NOSTRI

In regendo Regno a Conſiliis: ac negociorum ad
exteros Reges, ad Sacræ Domus, Sacrarumque
Villarum, necnon ad Curſum publicum,
atque ad Theatrum pertinentium
a Secretis,

VIRUM EXCELLENTISSIMUM.

S*TATIM ac Fortuna*, MARCHIO BERNARDE TANUCJ, *quod ab ea in Palinodia enixe petieram, in eum me locum, unde ſane imprudentem ac inſcientem olim rapuerat, reſtituit, me ipsum protinus collegi, rationesque meas ſerio ſupputare atque expedire coepi, ut quod inſtitutum in reliqua vita ſervandum mihi eſſet, mecum ipse decernerem. Primum mihi omnium in mentem venit Horatianum*

illud

Biblioteca Nazionale NAPOLI

Digitized by Google

illud(1)*ſcite dictum de Fortuna*, Laudo manentem : ſi celeres quatit pennas (*ut illa meum ſeſe geſſerat*) reſigno quae dedit, & mea virtute me involvo : *ab ea itaque primò, ejuſque blanditiis prorſus mihi avertendum animum cenſui, nihilque ulterius, quod in ejus poteſtate eſſet, omnino concupiſcendum. Deinde, quoniam mihi in dignitate ſine periculo, neſcio quo fato, vitam agere non licuerat, ſive conſilio, ſive remiſſione quadam animi in id conſilium deſcendi, ut, quod unum ſupererat, privatam vitam ex animo amplexarer, bonumque me civem praeſtarem; ac legibus per omnia obtemperans, eaque me virtute, quae in talem vitae ſtatum cadere poterat, involvens, obſcuritatem meam tueter. In forum itaque rurſum uti patronus, veterem Provinciam meam, quindecim prope annis poſt pene ſenex ingreſſus, unde in ipſo juventutis flore blandientem ultro fortunam ſecutus, exieram, eum ibi locum inveni, ac tenui, qui aliis fortaſſe modicus & anguſtus videri poſſet, mihi vero, mea merita syncere animo reputanti, ſatis amplus.*

Quem nihilominus vitae curſum, quum tranquille duodecim prope annis tenuiſſem, diutius mihi tenere non licuit: quandoquidem Tu, vir Excellentiſsime, reliquique Novemviri cum ſumma poteſtate regendae conſiliis Ferdinandi Regis noſtri pueritiae ſelecti ab auguſto Rege Carolo, dum ad capeſſendum Hiſpaniarum Regnum feſtinaret, me alia omnia cogitantem, primum inter Quatuorviros in Salernitana Provincia jus dicentes ſatis quidem benigne ac humaniter hoc ipſo menſe Novembri renuntiaſtis: unde omnia vitae mae conſilia fruſtra inita in irritum reciderunt.

Fie-

(1) Hor. Carm. lib. 3. Od. 29.

Fieri autem non potuit, ut dum patronus in foro verſarer, ab iis diſciplinis, quibus a puero operam dederam, omnino ad forum deficerem: ſed quidquid mihi horarum forenſis opella vacuum reliquit, id in eas artes insumſi, quae unae efficiunt, ut mihi jucunda ſit vita. Quae inter repetere in animum induxi veterem quamdam recordationem, quam non ſatis explicatam habebam, cujuſdam ſermonis a doctiſſimis viris non multis annis ante habiti de Tragoedia & Comoedia: de quo, me puero, Xaverium Panſutum affinem meum ſaepe locutum cum eruditis amicis recordabar: ita tamen, ut nonnulla mihi ex illo ſermone haerere, pleraque autem deleta prorſus atque elapſa intelligerem.

Inter eximios profecto viros id colloquium aliquando fuit habitum in ejuſdem Panſuti villa, quae eſt ad Mergellinam in prima radice Pauſilypi promontorii: quae loca Actius Syncerus Sannazarius quondam Friderici Regis donum habuit, ibique Deiparae Virgini, immortali carmine antea ab ipso calebratae, templum poſuit. Ii fuerunt Janus Vincentius Gravina, qui tunc poſtremum Roma Neapolim advenerat, nam paucis poſt menſibus Romam reverſus obiit: Gregorius Calopreſius, Gravinae amitinus frater: Andreas Belvederius, atque ipſemet Panſutus. De Gravina quid tibi dicam, quem Tu, Vir Excellentiſ. clariſſimi nominis Iureconſultum ac Philoſophum, maximus ipſe Juriſconſultus & Philoſophus, doctiores omnes in Europa aemulatus, in deliciis habes? Calopreſium quidem non novimus, verum conſtanti fama accepimus, maxime omni literarum genere excultum, acutiſſimum praecipue fuiſſe Philoſophum, eumque primum apud nos Renati Cartesii placita magno cum plauſu probaſſe ac docuiſſe. Is a fratre, ut fit ſaepe in literario negotio, diſſidere haud raro ſolitus erat, & praeſertim Comoediam prae Tragoedia

po-

Digitized by Google

ponere , forte ut in hac quoque opinione fratri tragoediarum ſcriptori adverſaretur . Panſutum , in cujus villa ſermo hic , quem conamur referre , fuit habitus , ſi parum geſti Catoniana probitate ſummi honores , Tibi , Vir Excellentiſ. externisque notum efficiunt , graviſſimae profecto eum ac doctiſſimae Tragoediae , atque ea carmina , quae nitidiſſime vernacula lyra protulit , omnibus , ac praecipue poſteritati commendant . Belvederii complures adhuc meminerunt , poſtremus enim eorum omnium , qui hunc habuerunt ſermonem , nonagenario major poſt vitam innocentiſſime actam ad plures commigravit . Is equidem ad quaſcunque doctrinas artesque appulit animum , mira felicitate omnia conſecutus eſt , ita ut nemini aequalium ſuorum , quod ad literas pertinet , cederet , quanquam nihil unquam in illo viro ad oſtentationem doctrinae atque eruditionis , qua ſupellectile abundabat , quispiam animadvertit . Longe vero Belvederius omnes , quorum quidem memoria extet , praecelluit Theatri peritia , ut quamplurimi adhuc meminiſſe poſſunt , floresque , pomaque & alia hujuſcemodi prope ad veritatem naturae pingendi arte : quibus rebus animi gratia , otiique oblectandi per adoleſcentiae , ac juventutis annos operam dedit : tanta hoc in genere etiam apud exteras gentes fama , ut a Carolo II. Hispaniarum Rege ideo magnis pollicitationibus in Regnum accitus fuerit ; unde , ob nimis acerbam Regis mortem , vix aliquod tam longinquae peregrinationis pretium in patriam retulit . Haec vero externa quaedam & minima tanti viri ornamenta fuerunt : nam tanta probitate , fide , ac virtute fuit , ingenioq; tam acri & acuto, ut plerique apud nos Neapolitanum Socratem illum appellare non dubitarint . Condiebat haec doctiſſimus ſenex (nam valde ſenem eum primùm mihi vidiſſe contigit) ſingulari quodam lepore , & urbanitate , ut nemo ſuavitate

ipſo

ipſo conditior in loquendo noſtra memoria extiterit : utque loquentem eum nemo profecto interpellare , magnaque ejus audiendi voluptate carere vellet . Tanta fuit praeterea in illo viro in amicos benevolentia , & caritas, ut omnes , quos ſemel amicitia complexus erat , beneficiis cumulaverit , potentiorum civium gratia , qua maxime unus in noſtra Civitate floruit , ad amicos juvandos unice uſus ; quum pro ſe ipſo nunquam quicquam ab iis requiſierit .

Tales ergo viri ad Mergellinam convenerunt , & eos tantis ingeniis tantaque eruditione digna de Theatro credibile eſt protuliſſe ; at quis ea , ut ab illis dicta ſunt , referre potis ſit ? quum vix pauca quaedam nos memoria teneamus , a Panſuto pluries quidem audita , ſed in pueritia , & curſim , ut in familiaribus ſolet ſermonibus evenire . Eum nihilominus ſermonem animo repetere ſtatui , & literis mandare , quamvis vix quaedam inde , & leviora fortaſſe memoriae haeſiſſe ſentiam: quod talium virorum famae aequum eſt neutiquam officere ; ſed prorsus mihi , atque imbecillitati memoriae meae tribui . Aliquos tamen adeo benignos mihi fore ſpero , ut laudi mihi potius vertendum arbitrentur , quod quaedam ſaltem ex illo ſermone , memoriter ſervata protulerim , quam perire prorſus ſiverim omnia . Quos inter Te , Vir excellentiſſime , numerare cuperem , cujus vel unius judicio contentus eſſem .

Quum itaque hunc dialogum inſtruerem , idque amicis innotuiſſet , ampliſſimorum virorum authoritate factum eſt , Marchionis ſcilicet Nicolai Fraggiannii , e ſanctiore Quinquevirûm Conſilio , viri ingenio , ſcientiiſque clariſſimo , ac Joſephi Aurelii de Ianuario in XXIV.virûm Conſilio doctiſſimo Senatore , ac late per Europam Jurisprudentiae , eloquentiaeque pedeſtris pariter & equeſtris ſingu-

gulari laude praeſulgentis , ut alios dialogos , quos a prima usque adoleſcentia publici juris feceram , in unum veluti corpus colligerem , & cum Theatro , aliquotque e dialogis varii argumenti , quos plurimos exercitationis gratia confeceram , ſimul edendos Vincentio Manfredo inſtanter petenti darem .

Verum me talium virorum authoritati , ut par erat, volentem obſequi diu retardavit cogitatio illa , ne male rurſus illis ipsis impingerem , qui pluribus ab hinc annis crimini mihi vertendum cenſuerant , quod Convivium Rabularum, Dialogoſque forenſes *edidiſſem . Quem profecto dialogum , syncere fateor , edendum curaveram non ut forum , & Juriſconſultos , qui in ipſo verſantur traducerem , quos inter & ipse haberi pro magnifico habebam , verum potius , ut prae antecedente ſeculo noſtri doctrinam , atque eruditionem extollerem . Nec ideo illius ipsius ſeculi clariores Jureconſultos illaudatos omiſi ; nam omnes prope , qui poſtremis illius temporibus noſtro in foro claruerant , recenſui ; in malam partem neminem prorſus nominavi . Ita ut nullus mihi iraſci jure potuerit , niſi qui de seipso voluerit ea conſiteri , quae in fori faecem , & corruptelam , quam nemo ſanus probaverit , ſunt a nobis jocoſe dicta . Et ſane nimis appoſite mibi , quod ad hoc attinet , D. Hieronymi verbis uti licet , qui ſapienter Rufino ſcripſit* (1) : Quando ſine nomine in vitia ſcribitur , qui iraſcitur , accuſator eſt ſui .

Hoc itaque , quicquid eſt , quod disjectum antea in unum cum Theatro colligi clariſſimi viri effecerunt , quod ipſum magnam partem jamdiu tuum eſt , Tibi quoque ,

Vir

(1) D. Hieron. ad Rufin. lib. 1. cap. 3.

Vir excellentiſſime , inſcribere decrevi , quem unum novi prae cunctis doctrina , ingenio , eloquentia , virtute praecellentem . Non enim antea ambitione factum eſt, vel captandae benevolentiae cauſa , quod aliquis fortaſſe ſuſpicari poſſit , ut Tibi Palinodiam ad Fortunam , & Convivium Rabularum *inſcriberem , ſed, Deum O. M. teſtor , ſola admiratione tanti viri . Tu enim magno omnium ingenuarum artium , ac ſcientiarum apparatu ad Remp. gerendam ſub maximo , ac ſapientiſſimo Rege Carolo aggreſſus, ſtatim veluti ad id unice factus a Natura Siculis , Neapolitaniſque viſus es : ut Te externum quidem hominem admirarentur omnes tanta dexteritate, acumine, diligentia, conſtantia ingentem doctrinam civilemque praecipue ſcientiam condientem . Et quod Te prae cunctis ſuſpiciendum effecit, id nimirum eſt, quod vigintiquinque per annos uno ſemper , eodemque vitae tenore Te geſſeris , nunquam a ſemel receptis ne latum quidem unguem aberrans : unde facile colligi potuit, Te animumque tuum aeternis ſapientiae praeceptis imbutum conſtanter placitis inſiſtere , non ſimulata quadam virtute temporibusque accomodata, alium videri velle, alium revera eſſe. Et quiſnam fuerit qui tantam virtutem in tanta gerendarum rerum mole admiratione non proſequatur, ſi reputare velit, quod, Tibi, Vir Excellentiſſime, non ut Catoni contigit, quem beatum M. Tullius dixit , quod nemo iniquum quid ab ipſo auderet expetere: ſed inter infinitam prope injuſta quotidie petentium turbam , inoffenſo ſemper pede idem iter tenuiſti, nec quicquam unquam Te , aut cujuſvis favor aut gratia a recta ſemita abduxit . Haec de Te modo ideq liberius praedicare licet , quod , ut ita dicam, jam peracta tua eſt fabula , aliòque Tu jam es provectus a ſapientiſſimo Rege: unde rerum Te domi geſtarum merita gloria privare maxime injurium videretur . At quando tanti Regis mentio facta eſt, haud abs re fuerit pro coronide*

hic ſubnectere, ingens habere Te ab eo virtutis tuae praemium ſimul ac teſtimonium. Nam quum ille octo e Siciliae ac Neapolis Regnis lectiſſimos nobilitate, honoribus, ingenio, fide, moribus proceres nuper ſelegiſſet, quibus Ferdinandi Regis noſtri ejus filii pupilli, ad maxima quaeque adoleſcentis, curam in Regno adminiſtrando mandaret, Te unum ex externis, novo in hiſtoriis exemplo, iis addidit: Idemq; omnibus coram, jam in Hiſpanias properans, Te peramanter complexus atque exoſculatus, anteacto Te quidem tempore dixit ſibi obſequentem ac optimum Miniſtrum fuiſſe, in poſterum vero amicum fore. Sane haec maxima laudum tuarum eſt, & quaſcunque privatorum laudes longo vincit intervallo: ut me pudeat poſt hanc commemorationem aliud quicquam de Te dicere, putidum namque ac vere nihili eſſet.

Quod ſupereſt, Te, Vir Excellentiſſime, opere maximo precor, ut me ac Dialogos hoſce meos authoritate tua tueare: quod ſatis abundeque praeſtabis, ſi Tibi aliquid eos eſſe videri innoteſcet; nemo etenim volet tanti, tamque docti acutique viri judicio adverſari.

CLA-

CLARISSIMO JURISCONSULTO

JANUARIO PARRINO

JOSEPHUS AURELIUS DE JANUARIO

Regi Neapolis , ac Siciliæ a Conſiliis .

S.

NOVOS , quos in lucem proſers , Dialogos , avide legi ; quos olim typis mandaſti , non incurioſe relegi ; utroſque ingenti cum voluptate ; illos , ut magnam de te opinionem , quam ſemper conceperam , abunde confirmarem ; hoſce , ut in recolenda eorum memoria , animum iterum , ac ſuaviter demulcerem . Summa in omnibus ars , quae , uti latet magis , eo magis ſe explicat , ac placet ; ſummus in omnibus lepos , qui ſponte ſua manat , ac diffunditur , nec per miſeram diligentiam quaeritur , quo pacto nauſeam creat potius , quam delectat . Res non tam dilucide narras , quam affabre pingis , & appoſite coloras . Mentes hominum , quas fato temporum, vel pravis internis affectionibus corruptos vides , eo propoſito deſcribis , ut quales eſſe debeant ingenui , faciles,

ac

ac pudibundi , ſapientiſſime moneas : quantum incommodi celata vitia , quantum mali falſae virtutes ſocietati afferant , mirum in modum ſub oculos ponis ; jocos adhibes , ut ſeria praecipias : aculeatis quandoque dictis uteris , non ut quempiam carpas ; ſed ut , aſpectu turpitudinis eos, qui a recta ſemita aberrant, ad bonam frugem redigas . Ea eſt Dialogorum non illiberalis, nec petulans, ac flagitioſa , ſed urbana , ac faceta indoles (quae prae reliquis inter Graecos Platoni, inter Latinos Ciceroni maxime arriſit) ut jucunditatem cum utilitate grato nexu miſceat , & ſententias, ex ipſa ſevera Philoſophiae diſciplina petitas, quae prima facie contumax ingenium nec frenant , nec vincunt , amoeno mutui colloquii condimento, & ſub perſonatis fabulis , reddat acceptas , & prono alveo in animum confluentes . Hanc ſequi normam in deliciis habuiſti : & res procul dubio proſpere ſucceſſit : quod enim a te ſuſceptum inſtitutum eſt , pro voto es adeptus , & luculenta veterum exempla nobili conatu , eximiaque dignitate imitari nos poſſe , feliciter oſtendiſti. Quamobrem e ſingulorum manibus libellus tuus , hiſce dotibus praeditus , numquam excidet , perpetuo , oculis veluti emiſſitiis, revolvetur : non ſemel ac pluries lectorem ſuis illecebris invitabit . Sub ipſo quidem veſtibulo ad coronidem uſque cuncta sese offerunt ſuſe laudanda : quoties vero lectio renovabitur , nedum par , ſed longe major ſuperveniet voluptas , numquam defutura , niſi quando a legendo quis abſtineat. Porro, ut elegantes iſtos foetus in unum corpus colligeres , & publica luce donares , ipſe (quod ſorti meae tribuo) auctor fui . Rogavi ſaepius , ut id faceres : reluctabaris ſemper, tuae nimium modeſtiae ſtudioſus , quam ego morae impatiens , timidi ac inconſulti pudoris vehementer , & pene iracunde accuſabam . Tandem aliquando precibus meis victus ac defati-

ti-

tigatus me compotem deſiderii mei feciſti : qua de re tibi gratias ago, mihi ab iis referendas, quorum votis morem gerere conatus ſum . Multum enim huic meo conſilio viri eruditi debent, qui egregiis tuis laboribus in praeſens non carent : debebunt quoque multum poſteri, qui ditatam, me impellente, lectiſſimis hiſce opuſculis literariam Rempublicam fuiſſe, magnopere laetabuntur. Caeterum judicio meo non indiges, ut tuae famae conſulas . Sat communi calculo probatur ingenium tuum in tot argumentis inveniendis, labor in adquirendis tot cognitionibus, induſtria tot in rebus exornandis . Lucubrationes enim, quae merito ſuo nitent, privatas, paupere quodam genio, non affectant commendationes, ſed procul ab ambitione univerſorum plauſu gaudent, & ſupra invidiam extolluntur . Igitur ne deſinas nova doctrinae tuae monumenta in Patriae ornamentum, & juxta amicorum expectationem, palam edere ; ut exteri probe noſcant, in hoc Sirenum domicilio, tamquam in ipſo ſapientiae templo, bonas artes ſedulo coli, & in dies magnifice augeri . Vale.

QUÆ

QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR:

NEPTUNUS SIVE DE TUTELA MEDICINAE. *pag.* 3.

FORTUNA. 53.

PALINODIA AD FORTUNAM. 133.

CONVIVIUM RABULARUM. 201.

DIALOGI FORENSES. 285.

BELVEDERIUS SIVE THEATRUM. 313.

DIALOGI VARII ARGUMENTI XVII. 385.

Digitized by Google

JANUARII PARRINI

J. C. NEAPOLITANI

NEPTUNUS

SIVE

DE TUTELA MEDICINAE

Colloquium.

Digitized by Google

JANUARII PARRINI J.C.
NEPTUNUS
AD THOMAM CARACCIOLUM
Caſarboris Dominum, Turrisnovae Principem, &c.
VIRUM EXCELLENTISSIMUM.

PHilopoemenem, Romanorum, Graecorumque hiſtoriae referunt, ſi quando ei a bellorum adminiſtratione otium obtigiſſet, plurimum temporis in bellicarum rerum meditatione ſolitum insumere; ita ut vel iter faciens, vel Urbe animi gratia egreſſus, id ludibundus ſecum ipſe cogitaret; ubinam potiſſimum, ſi in eum ipsum locum forte fortuna cum exercitu delatus eſſet, caſtra metaretur, unde opportunius in hoſtes irrumperet, ubi inſidias locaret, quo fuſus fortaſſe fugatusque se reciperet, commeatum, aquationem, & caetera, quorum satagere Imperatorium munus eſt, quonam pacto commodius expediret. Ex hac aſſidua belli commentatione adeo semper paratus, promptusque ad omnes casus, & subita praeliorum discrimina extitit, ut nemo firmiore animo Dux, majorisque in re trepida conſilii eo fuiſſe perhibeatur. Hanc summi Imperatoris diligentiam ac sedulitatem nos in umbratili hoc noſtro pugnarum genere, & forenſibus praeliis, pro virium noſtrarum captu, aemulantes, quum, prolatis rebus, Alcyonia ſunt circa forum, declamationes, ludicrorumque judiciorum pertractationes inſtituimus, ne diuturna ceſſatione ingenium desuefactum hebesceret; ſimulque ut

Digitized by Google

bonarum artium, quibus a pueritia ſtuduimus, aliquem usum ea exercitatione retineremus. Quod quum ſaepe alias, tum hiſce potiſſimum contractioribus noctibus per ſummos aeſtatis calores efficere conati ſumus, Apollini, AEſculapioque dicam ſcribentes Neptuni verbis, eosque de vario Medicinae fato, ac praecipue de ejus subita converſione, quae intra hos paucos annos accidit, rationem coram Diis omnibus reddere coegimus. Quo facto & communes locos, defendendi accusandique neceſſitate, pertractavimus, artemque illam Lucianea feſtivitate resperſimus. Id Tibi opusculum, THOMA CARACCIOLE PRINCEPS AMPLISSIME, pluribus de cauſis debitum, inscripſimus, ac sub tuis auspiciis in publicum prodire voluimus; ut noſtrae huic literariae paleſtrae e Tui nominis amplitudine, & claritate nitor accederet: utque gratum erga Te animum noſtrum hoc qualicumque munere patefaceremus. Tanta vero in Te elucet excelſi praeclarique ingenii indoles, tanta eſt optimarum rerum cupiditas, ut nullus hercle dubitem, quin hoc obsequii noſtri, ac observantiae teſtimonium benigno, hilarique animo ſis excepturus. Etenim a clariſſimis Majorum Tuorum imaginibus non superbiam, inanemque elationem hauſiſti, ſed comitatem, humanitatemque, queis potiſſimum virtutibus nobilem virum ſupra caeteros eluceſcere debere censes, non humiliorum contemptu, ventoſaque sui ipſius admiratione. Porro, quum Tu ex ea Gente ortus ſis, quae ſuis egregiis facinoribus, fortibusque factis Terrarum Orbem compleverit; praecipuasque praeterea habeas ac peculiares Domus Tuae laudes, quae per quadringentos ferme annos ſummis belli pacisque honoribus, praeclariſſimisque cognationibus, nunquam intermiſſo vetere splendore, floruit; pudore Tuo, morumque ſanctimonia effeciſti, ut in Te, tantarum virtutum lumine perculſi,

culſi ; nil parcius admiraremur , quam illuſtrium imaginum ſeriem , quibus nonnullorum tota commendatio continetur . Sanè anguſti animi eſt , adeo magnis Majorum nominibus Titulisque ſtupentem tumere , ut nihil proprii ad vetera decora addatur , omnisque laus in uno naſcendi caſu reponatur . Tu vero ab aſſidua accurataque hiſtoriarum lectione , quibus jure meritoque maximopere delectaris , ut alia quamplurima , ita & illud aſſecutus es , ut Principum virorum , Regumque , ac Imperatorum famam , non a divitiarum affluentia , generisque vetuſtate , nec ab ipso Regali faſtigio pendere intellexeris , ſed a virtute , qua tantummodo poſteritas laudes metitur , ſuperbiam , crudelitatem , ac caetera vitia , contiſcente prorſus adulantium voce , inexorabili calculo ad perpetuam nominis infamiam , condemnans . Quamvis hanc animi aequabilitatem ac moderationem non a rerum ab aliis geſtarum monumentis petere neceſſe habueris , qui adeo domeſticis Avorum , ac Gentilium Tuorum exemplis abundas , ut , quum Tuos tantummodo imitatus fueris , Te abſolutiſſimum in omni laudum ac virtutum genere praebere poſſis . Quapropter perge , ut facis , Vir excellentiſſime , novaque ſemper macte virtute , ut familiae Tuae claritudinem , qua tantopere nites , Tuo viciſſim ſplendore augeas , & quam a Majoribus Tuis magnam accepiſti , eam maximam cumulatamque Poſteris tradas . Interea hos noſtros luſus , forenſiſque belli effigiem , quam Tibi hoc libello ſpectandam proponimus , volens libenſque perlege . Valde etenim ad exhilarandum recreandumque animum feſtiva , nec inerudita lectio valet . Quod quidem nos aſſidue experimur , quum a gravioribus literis ad has humaniores deſcendimus , nosque hoc peramoeno ac ſuavi diverticulo oblectamur . Nec aliquem unquam adeo acerbum , durumque ſtudiorum

no-

Digitized by Google

noſtrorum Cenſorem fore ſuſpicamur ; ut hoc noſtrum inſtitutum damnet , quieteque nobis , atque hoc veluti laborum portu cenſeat interdicendum . Nam cur caeteris , vel ruſticationibus , vel ocio , & amicorum conviviis , aliiſque voluptatibus feriarum tempus detur inſumere , nobis probro vertatur , ſi quod ſomno , ipſisque aliquando vitae opportunitatibus subtrahimus , id in haſce literas , ſummorum virorum exemplo conferamus ? Id autem non alia de cauſa a certis hominibus reprehendi comperimus , quam , quod Jurisprudentiam laedi , eique graviter offici cenſent , ſi vel punctum temporis in alia ſtudia inſumatur . Mihi vero , ut ſaepe nos inter nos , Caracciole *optime , collocutos memini , praeteritorum ac noſtrorum temporum* Oratores *aliquando conferenti , ideo ab illa eloquentia nos videmur desciviſſe , quod toti in Jurisconsultorum commentariis ſimus , caetera veluti inania ac ſupervacua , neſcio an optimo conſilio deſpicientes. Quod vel hoc uno adversae sententiae propugnatoribus probare mihi poſſe videor , quod omnes , qui apud nos vel noſtra vel patrum aetate supra caeteros eloquentiae gloria floruerunt , id equidem non a Pragmaticorum libris , ſed ab interiori rerum cognitione , philosophia, hiſtoria , veterumque Authorum perpetua lectione aud dubie ſint aſſecuti . Nam quis cenſeat , Franciſcum Andreae , cujus ingenii dum haec Civitas vivet memoria extabit , Seraphinum Biſcardum , Caesarem Natalem , Nicolaum Caravitam , Cajetanum Argentum (Qui mihi unus inſtar omnium eſt : etenim , cum incredibili praecellentis ingenii nisu Latinas , Graecasqae literas , diſciplinas , artesque omnes ita complexus ſit , ut nemo in unaquaque ita excellat , ut ipse in omnibus , tamen Jurisconsultorum quotquot sunt , vel fuerunt apud nos Jurisconsultiſſimus concordi hominum ſuffragio habeatur) aliosque hujus notae Oratores , non ab Academiae Spatiis ,*

tiis, optimarumque Artium scientia, sed a jejunis forenſium commentariis tantos, tamque praeclaros extitiſſe? Profecto id mihi nullo pacto eripi poteſt; neminem unquam dicendo valere poſſe, quem non philoſophia inſtituerit, caeteraeque diſciplinae erudierint. Sed haec alias & fortaſſe fuſius: modo quod supereſt expediamus. Etenim in alteram forte nos reprehenſionem incursuros suspicor, quaſi Medicos potiſſimum delegerimus, quos in hac noſtra exercitatione veluti per ludibrium traduceremus. Verum, ut satis etiam his faciamus, Te, Caracciole *Princeps humaniſſime, satis locupletem Teſtem producemus, qui in familiaribus noſtris colloquiis a me ſaepiſſime audieris, nullam modo in Europa univerſa Urbem extare, quae probioribus doctioribusque Medicis floreat, quam haec noſtra, in qua poſt aliquot annos ipsa Medicina ſtabilem sedem, fixumque domicilium poſuiſſe videatur. Nam quae unquam aetas, quae barbaries Schipani, Severini, Borrelli, Cornelii, Portii, Capuae clariſſima nomina eſt deletura? Magna vero eſſet judicii perverſitas, & nimium coeca praeteritarum rerum admiratio, fato functos admirari, quorum autem praeſentium virtutem intuearis, eos illaudatos praetermittere. Nam Cirillum, Vitulum, Caſtaldum, Alterios, Poetam, Crescentium, reliquos, quorum, ne nimius ſim, nomina praetermitto, ſummos sane philosophos, cunctisque bonarum artium ornamentis praefulgentes, quis tam in noſtris rebus rudis, ac plane peregrinus eſt, qui neſciat, trans maria etiam & Alpes ab exteris gentibus celebrari? Itaque omnibus facillime persuasum iri confido, me non ut tantos viros in ſcenam, contra quam meus pudor, eorumque authoritas poſtularet, deridiculi cauſa producerem, paucula haec luſiſſe; ſed tantummodo, ut veterem morem meum ingenii exercendi obtinerem; & Medicinae potius nimis*

cre-

crebram viciſſitudinem , quam Medicorum inſtituta ſale jocisque perfunderem . Praeterea casu mehercule evenit, non certo conſilio, ut hoc potiſſimum colloquium quod tempore poſtremum eſt , omnium primum in lucem prodiret . Quod nos speculatum doctorum hominum ſententiam mittimus, ut ſi, poſtquam erit deguſtatum genus hoc exercitationis noſtrae, aud adverſis eorum ſuffragiis id nos facere poſſe animadverterimus, continuo ad caetera vulganda, deſcendamus . Quodcumque vero aliorum hac de re futurum erit judicium , nos magnum certè operae precium laturos arbitramur, ſi illud ſaltem aſſecuti erimus , ut Tibi , cujus judicium tanti facimus , quanti fieri viri acutiſſimi judicium debet , operam , ut eſt, in proverbio , minime quidem luſiſſe : omnibus vero ut grati , ut beneficiorum memores , quae plurima in nos , Vir excellentiſſime , contuliſti , videamur . At jam Mercurium video , admoto ad os digito , ſilentium Patri facientem : audiamus ergo quid narret .

JUP-

Digitized by Google

JUPITER . NEPTUNUS . APOLLO . MERCURIUS.

JUPITER . Novum omnino ſpectaculum , Mercuri , & quod nunquam antidhac exhibitum ſit , Diis omnibus hodierno die praebituri ſumus: Siquidem ad nos , ut noſti , e ſuis fluctibus & pumiceis ſpecubus Neptunus adſcendet cum Apolline judicio certaturus . MERCURIUS . Quod quidem , Pater , Tibi , nobiſque adeo omnibus, glorioſum ac magnificum eſſe reor, quum ſummus aquarum Regnator , quaſi unus è Deorum turba , ſponte ſua Tuo ſe & Coelicolarum ſuffragiis ſubjiciat . JUP. Proinde Ego Te diligenter curare juſſi , ut omnia pro noſtra dignitate , potentiaque compoſita ſint ; nam volo Fratrem meum quam honorificentiſſime excipere , & prae ſuis aquis , ſcopuliſq; Regni mei majeſtatem , atq; opulentiam oſtentare , maximo rerum omnium apparatu . Quae vereor , ut probe , atq; ex animi mei ſententia parata ſint , tandiu te vidi oſcitantem , & quaſi mea juſſa faſtidientem . MERC. Jamdudum ſenſi , Pater , meam apud Te operam ſordeſcere , & pro nihilo eſſe . JUP. Curnam iſthoc , amabo ? MERC. Nam poſtquam Tibi vel ſenectus, vel valetudo fibulam impoſuit , nec amplius in taurum , aut aquilam verſus amores , ut olim , exerces , vix me aliquando praeterlabente oculo forte fortuna intueris , neque ſinis ex veteri illo more tuis arcanis intereſſe . JUP. Cenſen' ergo , Fili , hoc ita fieri , ut memoras ? MERCUR. Quidni cenſeam ? Sane aud dubia res eſt . JUPIT. Nugas garris . MERCUR. Quanta vero induſtria & ſedulitate hoc etiam tempore paterna juſſa capeſſam , ac voluntati ſubſerviam Tuae , non mea verba apud Te , ſed res ipſa erit teſtis .

Digitized by Google

Quare jam paullulum hoc progredere ad locum, ubi pompam erigi imperaſti, ut videas nimiſne glorioſe modo me efferam. JUP. Faciam ſane quod mones. MERC. Quin ergo imus, Pater? JUP. Nil moror. MERC. I ergo prae, ego pone ſequar. JVP. Euge, Fili, euge! Vt ſcite, ut graphice diſpoſita omnia! Vt magnifice Judicum ſubſellia exornaſti! Deorum autem Concilium nunquando ſedit decentius! Porro te non eloquio tantum, nunciiſque, & mercaturæ praeeſſe deinceps aequum eſt, verum Architecturam inſuper in tuam clientelam ſuſcipere, quandoquidem tam te egregium hodie Architectum praebuiſti. Atque hoc pacto fortaſſe de intermiſſa erga Te benevolentia mea queri deſines, cum videas propter unum hoc opus, Me tibi Vulcanum poſthabere, qui & aedes noſtras ſcientiſſime aedificavit, & fulmina mihi ad quotidianum uſum nulla mercede tandiu jam praeſtat. MERC. Hui! Palpo me aggrederis? At operam ludis profecto. Nam ego morem tuum non calleam, qui Tibi, quicquid egiſti, perpetuus fuerim comes? Qui, ut caetera ſileam, quum ſervili etiam ſchema amori tuo aliquando velificatus fuerim, nuſquam memini me, niſi nimium ſero, idque ipſum aegre, a Te collaudatum, quamobrem...... JVP. Taceſis jam: audin ſtrepitum venientium? At at, Frater eſt, age, tu cito convoca Deos: Ego ibo obviam Fratri. MER. Pudet me ſolenni die pedeſtribus aſſuetiſque verbis tam auguſtum Conſilium cogere. Ab Homero itaque ſplendidiſſima carmina mutuabor, atque ita digniorem praeconem agam. At enim vero quis Homeri verſus ferat hoc tempore? Sane nimis vetus Poeta eſt, & pleriſque Diis vix nomine tenus cognitus; quapropter officioſius me facturum puto ſi ſuetum uſque teneam morem, ne me hujuſmodi vieta aevoque confecta ad eruditionem oſtentandam effodere Deorum vulgus criminetur. Audite ergo Dii

omnes

omnes, mares, ſoeminae, Nymphae, Fluviique quotquot eſtis, ſecundae poſtremaeque claſſis Genii, & quicumque fruimini aliqua Divorum ſorte; omnes ad Conſilium citato gradu concurrite. Jupiter vos praeſto eſſe jubet. Agite ergo jam, properate. Papae! Vt undique conveniunt plenis viis! norunt ſane quid modo vocentur. Heus vos Superi ſublimioribus illis ſubſelliis conſidite; vos vero Inferi, qui abs tenebricoſis locis advenitis, concedite huc ad dexteram. Ohe! iſtoccine pacto! non teſtudineum iſtum grandibitis gradum? Quid vero ocioſi adſtatis Medioxumi? quin ſedes haſce ad ſiniſtram occupatis? nam quae a fronte ſunt, eas marinis Diis aſſervari juſſit Pater; quos omni honoris ſignificatione excipi aequum eſt. Vobis vero minutiſſimis Diis, Laribus, Patellariis, iiſque omnibus, qui anguſtiſſimis finibus circumſcripti, certis locis affixi eſtis, area haec deſtinata eſt, atque hinc de plano audietis. Perbelle. At jam omnes Jovi ſummo, Maximo, Optimo, Omniparenti aſſurgite. JVP. Gaudeo ſane, Frater, quod mihi tam longo intervallo Tui conſpiciendi, atque adeo amplexandi facultas tandem oblata ſit. Siquidem poſtquam inter nos paternum Regnum diviſimus, Iliumque evertimus Graecorum ultioni faventes, vix aliquando te ab alto deſpexi vel tempeſtates ſedantem, vel Vrbes & Terras tridenti quatientem. NEPT. Id quidem, Frater, aeque mihi acerbum fuit. At noſti miſeram imperandi neceſſitatem; in qua illud duriſſimum eſt, quod aliquando neceſſe ſit, ab eo quod vel maxime cupias, abſtinere. Ne te rebus gerundis muſſitent privatas voluptates praeferre: neve quam ad ſubjectorum ſolummodo utilitatem referre debeas, in propria commoda clament vertere poteſtatem. JUP. Nimis vera praedicas. Quanvis longe majus mihi negocium hominum importunitas faceſſat; quibus ſatisfieri utique non poteſt; in tam

 va-

varias, tamque abſurdas ſcinduntur uſque ſententias, ac praeſertim intolerandi ſunt qui ſapientes eos inter perhibentur, quibus noſtrae res, & noſmetipſi adeo diſplicemus, ut quandoque ſerio videantur inſanire, atque intemperiis agi. NEPT. Vetus quidem eſt tua haec adverſus philoſophos querela; at quid ad Te? Ipſi poſtmodum maximas poenas pendunt dementiae ſuae. At ubinam, Frater, Citharoedus noſter eſt, cui mecum eſt dies haec conſtituta? Num fortaſſe cincinnos vibrat calamiſtro? An potius in ſolum aliquem locum receſſit, defenſionem moliens ut inde in judicium adveniat meditatus? JUP. Nonne jam ſuo loco ſedet? NEPT. Nuſquam apparet. JUP. Viden contumaciam! I cito, Mercuri, atque illum continuo ad nos. Quin is? MERC. Nihil acceſſito opus eſt; jam ipſe contendit huc quantum poteſt; reſpice dum ad dexteram. JUP. En tibi reus adeſt, Neptune: indue jam animos accuſatoris. NEPT. Ut venuſte, & eleganter, ut amatorie concinnatus eſt! Ut bene pexit caeſariem! Credo, eum cum Daphnide, aut Hyacintho ſe ſe hodie congreſſurum arbitrari, aud cum Neptuno. JUP. Quid Tu? Vnde tandem appares, o Phoebe? APOLL. Ne mireris, quaeſo Te, Pater, quod ad judicium aliquanto ſerius advenerim: nam magnus me Serum Imperator properantem retinuit de difficili ſane re conſulturus: cui dum ſuetis ambagibus reſponſum involvere, atque obſcurare impenſius curo, diei tempus me, quippe aliud agentem, feſellit. NEPT. Porro frater nimis veriſimile eſt quod narrat. AP. Verumtamen, ut harum rerum facies eſt, aud diutinam videor accuſatori meo moram attuliſſe. JVP. Sede jam. Tibique, pro imperio ſilentium indico, dum optimus hic Patruus tuus actionem ſuam exequitur. Ap. Fiet, Pater, ut jubes. JVP. Ageſis, Neptune; Tu modo ipſe moraris reum aeque ac Judices.

NE-

Digitized by Google

NEPTUNUS.

Mirabitur fortaſſe Deorum quiſpiam, & ſecum ipſe quaeret,cur poſt tam diuturnum ſilentium hoc potiſſimum tempore contra fratris mei filium inſurrexerim, ac de Medicina judicium inſtituerim. Cui ego poſtmodum de ſilentio meo ſatisfaciam, modo de judicii cauſis reſpondebo. Porro non ambitione, nec repentina aliqua voluntate, in propinquum meum, tot jam ſaeculis Medicam provinciam obtinentem, invaſi: neque ad accuſandum ea fortaſſe de cauſa deſcendi, ut eum de ſuo veteri Regno deturbarem, meque in ejus locum obtruderem. Etenim non hac levitate ſum, nec tam humilia cum animo meo agito. Majus quoddam eſt quod me impulit, quodque, Judices, quam maxime noſtra omnium intereſt. Noſtis quam diuturnum & acre bellum cum certis hominibus geramus, noſtrum in res humanas imperium pertinaciſſime detrectantibus, ita ut (dubium ſane, majorine contumacia, an caecitate) nec providere nos rebus ſuis affirment, nec quicquam boni pro meritis expectare a nobis homines debere, nec malum aliquod ab noſtra ira formidare. Cui generi hominum cur aegre ad haec uſque loca reſtiterimus non eſt neceſſe apud conſcios, participeſque narrare. Hoc vero tempore, quum homines non modo non juvari ſe ſe a Diis videant, verum ſuperbe ludificari fidem ſuam, ſeque innocuos occidi, niſi omnibus opibus & induſtriis contendimus, profecto hujus rei omnem cito ſpem deplorabimus. Quis enim ſatis aegrotorum querelis faciet? Quis ſurgentibus opinionibus hominum obviam ibit? Nam quum Medicinam, patefactis tandem iſtorum fallaciis, inclinatam jam omni ex parte & ruentem adſpiciant, & nihilominus Intonſum hunc noſtrum, ejuſque gnatum praeclariſſimum AEſculapium vetera illa ſomnia & commenta, ſuorum clientum ore, modo etiam im-

pu-

pudentiſſime venditare, omneſque mortales ſuis egregiis reſponſis veluti ſica jugulare, anne dubium cuiquam eſt, quin, excuſſa demum omni opinione de Deorum bonitate & providentia, ad impietatem, tamquam ad aram, docti paſſim, indoctique confugiant? Qua de re cogitanti mihi illud optimum factu occurrebat, ut in tantis rerum noſtrarum turbinibus fluctibuſque, juvandos, tutandos, conſervandoſque homines certatim ſuſciperemus; atque ita effuſa beneficentia impiorum maledicentiam retunderemus, hujuſque mali truncum, imaſque radices tandem aliquando excinderemus; ne nobis ſit alternis pene diebus quaſi pro aris & focis decertandum. Cujus rei caput eſt, Judices, ut hunc Vatem, Citharoedum, Poetam, ejuſque filium, qui nimium diu ſuis mendaciis nugiſque homines fefellerunt, atque acerbiſſime interfecerunt, a Medicinae gubernaculis ad oraculorum technas, cantuſque & tibias relegemus. Atque ut alacriore animo in meam ſententiam eatis, iſtius facta breviter percurrere; meaque jura vos edocere in animo eſt, quibus perſpectis, & hunc obrepſiſſe ad eam tutelam, & ad me Medicinae patrocinium apertiſſime pertinere cognoſcetis.

Principio quum homines, quae eſt humanae naturae conditio, a morbis tentarentur, nec adhuc vel a Medicis, vel a philoſophia opem exquirere conſueſſent, naturam ducem ſequebantur. Itaque ſimulac alicui ea tempeſtate febri corpus incaleſcebat, illam ex proximiore flumine aqua hauſta continuo extinguebant, quippe qui ignem ſuperfuſa aqua quotidie viderent deleri atque reſtingui: vel ſi ob cruditatem & redundantiam (quod raro admodum propter illorum temporum frugalitatem & temperantiam eveniebat) venter fortaſſe, aut caput indolebat, dolores patientia, & conſtanti abſtinentia ſedabant. Eodemque pacto in caeteris ſe ſe morbis ge-

re-

Digitized by Google

rebant, cum noxia, & innoxia, utilia, atque inutilia ſola experientia aeſtimarent, nondum fucatas ſplendidaſque Medicorum fraudes, nec egregie ad fallendum excogitatas iſtorum rationes cognoſcentes. Atque ita quietum, nulliſque opinionibus conturbatum primi illi mortales feliciſſime aevum egerunt. Tum iſte a Coronide, quam tunc temporis perdite deperibat (lepida ſane puella, at quae uni viro morigerari nimis illepidum duceret) AEſculapium, peſſimo hominibus auſpicio ſuſcepit. Et quum quo pacto eum ad divinitatis faſtigium eveheret aud facile inveniret, ſollicite circumſpicere omnia coepit, ac diligentiſſime excutere. Denique nihil opportunius ad eam rem, quam parabat, eſſe ratus eſt, quam artem quandam medendi hominum morbis comminiſci, quam filio ſuo veluti patrimonium traderet, & occaſionem ei hoc invento praeberet, ut tamquam Baccho Cererique propter vinum, & fruges evenerat, pariter & ille ob tale beneficium in Deorum Collegium cooptaretur. Coepit itaque apud aegrotos ipſe primum divino Numine abuti, alioſque eadem docentes immittere. Poſt deinde quum jam gnatus adoleviſſet, magnamque jam inde calliditatis atque malitiae ſpem praeberet, amantiſſimus Pater paullatim ipſum apud homines obtrudere, inq; Eum, addito ad ſpeciem Chirone, medicinae opinionem transferre, eamque artem veluti propriam ad filium ſenſim rejicere. Cui praeterea, quum ipſe imberbis eſſet, barbulam adhuc puero affinxit, ut ſenilem, vereque medicam prudentiam praeſeferret. Ego, Judices, quamquam tunc temporis hujus fraudem ſatis compertam habebam, adoleſcentis ambitioni nihilominus aliquid indulgendum ratus, in re praeſertim, ut tunc quidem erat, innoxia, facile me jure meo ſpoliari perpeſſus ſum. Quid verò opus eſt, AEſculapii in ipſis ſtatim Regni principiis efferatam crudelitatem oſtendere? Nam cum fallendi artem,

quam

Digitized by Google

quam tunc primum cudebant, non bene adhuc divinus candidatus calleret, neque herbis adhuc, lapidibus, & quae poſtea invaſere, abuti coepiſſet, carminibus & incantationibus aegrorum mentes ſtupefacere ſolebat, aut ſono futilibuſque cantionibus demulcere; vel amuletis, ac hujuſcemodi inanibus myſteriis homines decipere conſuebat, ut deinde his ambagibus anxios, & implicitos tutius atque facilius obtruncaret. At ſatis ſuperque ea de re dictum eſſe cenſeo, ſi Te, Frater, dicam eo tandem ab illius ſceleribus adductum fuiſſe, ut fulmine eum ad Acherontem, aeternamque noctem detruſeris. Licet irae tuae cauſam, non illius nefaria facinora fuiſſe Pulchellus noſter affirmare non dubitaverit, ſed invidentiam, quaſi Tu egregiam AEſculapii virtutem, & ſummam, planeque divinam medendi ſcientiam, qua is mortuos etiam ad vitam revocaret, aequo animo ferre non potuiſſes. Iſte vero ob dulciſſimi filii acerbiſſimam calamitatem incredibili rabie percitus, innocuos Cyclopas egregio ſcilicet ac memorabili facinore occidit, quod fulmen, quo Tu Gnatum ſuum perculeras, inſcii imprudenteſque conflaverant. Quumque abs Te ob tam immane ſcelus in Terram dejectus eſſet, ut erat omnium rerum, propter ingentem exilii dolorem, impatiens, coepit humanis negociis ſe ſe immiſcere, & mortalium animos variis rationibus conturbare. Tunc enim futurorum praedictione homines, rei novitate ſtupentes, perculit, atque in ſui admirationem convertit; Carmina tunc primum pangere ignaros antea harum deliciarum perdocuit: poſtremoque, cum nullis repagulis ejus ambitio contineri poſſet, nihil praeteritarum rerum memoria retardatus, denuo medicinam invaſit. O miſeram mortalium conditionem! quae quum innumeris ipſa malis ſcateat, ac maximis aerumnis ſuo fato ſubjiciatur, tantam inſuper plagam ab iſtius audacia accepit, ut ei nec tot ſae-

cu-

culorum prudentia mederi unquam potuerit, nec, niſi aliquid hoc judicio, Judices, proficietur, ulla in poſterum aetas aliquam opem ſit allatura. Hic itaque, ut acceptam injuriam aliquo pacto ulciſceretur, Medicinam, quae antea liberis a Parente, qui ab Avo prius acceperat, nullo negocio per manus tradebatur, tam caecis involucris, obſcuriſque integumentis involvit, ut homines occulta vi numinis correpti, experientia poſthabita, qua duce tamdiu incolumes vixerant, hujus ambages, inexſtricabileſque fallacias amplecterentur. Quum autem iſte in aqua, quam jure meritoque optimam optimus Poeta appellavit, maximam vel ad omnes morbos vim eſſe intelligeret, nec eam puram putam commendare e re ſua eſſet, herbulas, ut quaeque in manus veniebant, aqua macerabat, ſicque demum tanquam praeſentiſſimum pharmacum, mutato non colore tantum & ſapore; ſed ejus etiam facultate aud leviter affecta, atque imminuta, eandem aquam venditabat. His artibus, atque hac potiſſimum ſapientia magnum ſibi nomen, & authoritatem apud mortales comparavit. Quumque exactis jam exilii temporibus in Coelum remigraſſet, homines, qui plerumque, neque quid expetant, neque quid oderint ſatis compertum habent, ſuperſtitione inſuper, & errore mentis praepediti, hunc ſibi Tutorem, Patronumque in rebus ad valetudinem pertinentibus abs Te ſuis votis expetiverunt. Ego, Judices, haec omnia videbam fieri, tamen quo tandem evaderent expectabam. At vero quum iſte, parum ſua authoritate contentus, Gnatum etiam ſuum, Te facillime (ut ſumus nimia erga filios indulgentia) exorato, e vinculis, pallentibuſque Erebi umbris quaſi ad paternum Regnum rurſus extuliſſet, vicem hominum graviter dolui, Judices, qui duos Tyrannos, tot tantiſque cladibus exaſperatos, Dominos ſibi ſuis precibus imprudentes optaviſſent. Jamque ab eo loci hanc actio-

nem mecum ipſe meditatus, neceſſitudine deinde, & regni negociis retardatus eas cogitationes in aliud tempus rejeci. Sed iſtorum importunitas atque ſaevitia longe meam patientiam ſuperavit. Etenim ut ſuam apud homines authoritatem ſatis invaluiſſe, profundaſque jam radices egiſſe animadverterunt, immiſſis primo e ſuo gremio familiaque Podalirio & Machaone, deindeque aliis ad eam rem opportune ſuffectis, omnia pro libidine agere coeperunt, hominesq; miſeris modis ludificare, atque occidere. Porro Judices, optarem alium mihi reum, quam fratris mei filium obtigiſſe: at quando aliter comparatum eſt, dicam ſi minus volenti hilarique animo, ſaltem omni prorſus odio, aliaque perturbatione libero, vacuoque. Sane brevi, Generoſo iſto praemonſtratore, ejus interpretes, atque internuncii adeo Medicinam labefactaverunt, ac rem ſuo ingenio maxime ſimplicem, adſcitis AEgyptiorum deliramentis, ita variam compoſitamque ad eradicandum genus humanum reddiderunt, ut ne veſtigium quidem ejus, quae antea fuerat, Medicinae ſupereſſet. Immo tam crebris mutationibus modo hanc, modo illam medendi methodum labentibus ſaeculis induxerunt; quum hi rationem, illi experientiam ſequerentur; ut deſperati laboris eſſet pugnantes inter ſe diſſidenteſque Medicorum opiniones aliquo pacto non dicam conciliare, ſed utcunque recenſere. Nam ad inſtar earum haereſum, quae plurimae in philoſophia ſunt, ſuas ſectas Medici quoque inſtituerunt, (quas ſingillatim referre hujus inſtituti ratio non patitur) atq; ut quiſque huic, vel illi diſciplinae adhaerebant, ita in diverſa nomina, diverſaſque pariter ſententias ibant; ſuiſque diſſenſionibus, & concertationibus Medicinam, morbos, aegrotos, ſeque metipſos funditus conturbabant. Ita ut non modo in quibus corporis partibus morborum ſedes eſſet, quove pacto eis mederentur mini-

nime inter Medicos conſtaret; verum, quod quidem incredibile videtur, nec quidnam morbi eſſet, aut quo vocabulo potiſſimum appellari deberet, conveniret. Quantas hinc clades, quae funera, quam ſtragem hominum cenſetis ortam eſſe? Inde eam rem aliqua conjectura aſſequi poteritis, quod ſicuti militibus (quis crederet, Judices, militem inter, & Medicum exemplum conferri poſſe?) magnificum apud homines eſt, & glorioſum, hoſtes quamplurimos virtute, & armis obtruncaſſe; ita Medicis praeclarum, ac egregium habetur, ſua inſcitia, vel, quod verius eſt, fraude doliſque innumeros mortales interfeciſſe. Siccine agi? Tam crudeliter, tam nefarie homines in hominum clades ruere? Communem cognationem, jura omnia, Deorum metum, ut Belliſſimo huic ſatisfiat, ſuſque deque haberi? Quid ergo cenſetis, Judices? Hunc iſtorum furorem in hominum generis perniciem crudeliſſime incitatum, retardandum vobis, an impertita impunitate inflammandum arbitramini? At audite, quaeſo, quibus artibus Poeta noſter mortalium infortunia cumularit, divinumque etiam numen ad eos excruciandos adjunxerit; ut tandem cognoſcatis cuinam hominum ſalutem, vitamque commiſeritis. Porro, praeterquamquod aegrotis ipſe magnus vates & Delphis, & ubiq; gentium ex Tripode, & Cortina reſponſitaret, atque ita mirifice illuderet, certam quamdam Filio ſuo reſpondendi facultatem attribuit, non voce, & oraculo, ut ipſe, ſed alio pacto, omnino, Judices, novo atque mirabili. Nocturnum etenim vatem eum conſtituit, tenebraſque, & obſcuritatem maxime ad fallendum idoneas delegit, quo tempore ridendo ſane aſtu miſeras aegrotorum mentes circumageret. Nam in templis, quae plurima mortales (proh coeca hominum pectora!) AEſculapio per celeberrimas Europae Aſiaeque Urbes excitaverant, auro, argento, tabulis, ſigniſque, atq;

omnis generis donariis referta; viſebantur attonitae ſuperſtitione mulieres, viriq; continuas noctes precibus, ac votis trahentes, Deique numen per ſomnia vanaſque ſpecies expectantes. Tum optimus iſtius filius non quidem primis noctibus, ſed octava demum, aut decima huic ſimiam humano capite per ſomnum immittebat, illi ſerpentem ſua colla humeroſque ambientem, alteri ſemetipſum inflatis buccis, minantemque oſtendebat; atque omnes hujuſcemodi fallaciis circumventos, rerumque omnium incertos, ad hariolos inſuper, & ſomniorum interpretes, pro malorum cumulo cogebat accedere. Quae omnia ex iſtius conſilio prorſus gerebantur; quum hic mentem, ac veteratoriam ſolertiam, Ille manum tantummodo rei gerundae, ac vocem praeberet. Interea ſummis laudibus, ac honoribus caeci mortales iſtum extollebant. Phoebum vocabant, quem tenebras, & noctem appellare jure debebant; morborum expulſorem dicebant eum, qui univerſam morborum cohortem incredibili aſtu in ipſos immiſerat. Iſte autem, quum haec a ſupplicibus audiret, nec erubeſcebat, Judices, quod ſe tot laudibus, alia omnia merentem, celebrari intelligeret; nec tanto obſequio delinitus ſuae eum crudelitatis pro aliqua ſaltem parte poenitebat. Nulla frons unquam, Judices, tanta impudentia, nullum os tam durum fuit. At magnum modo operae precium me facturum puto, ſi vobis egregia medicamenta indicavero, quae iſti aegrotantibus per ſomnum vel per ſuorum Sacerdotum vocem imperabant. Caeco: ut poſtquam ante ſuam aram procubuiſſet, tunc a dextera altaris parte ad ſiniſtram quam celerrime tranſiret, ibique expanſam manum arae imponeret, quam deinde oculis admoveret. Laterum dolore laboranti, cinerem e ſua ara; uni malvam ſuilloſque pedes, alteri mel & nucleos pineos; huic vinum, illi mulſum commendabat: omnibus vero anilia quaedam figmenta, ac nugaciſſimas nugas obtrudebat. Atque miras

pro-

Digitized by Google

profecto naenias Chalcedone iſtiuſmodi oraculis Paflago ille Alexander credulitate mortalium abuſus aliquando excitavit; Pellaeoque dracone, & nobiliſſimis clariſſimiſque praeſtigiis Europae, Aſiaeque univerſae mirifice impoſuit; opulentiſſimaſque Provincias, ea religione praetenta, avariſſime compilavit; cujus apud homines ſempiternis monumentis hiſtoria conſignata eſt. At iſte non modo ea omnia ſciebat, & patiebatur, verum inſuper omni ope, auxilioque juvabat. O ſaevitiam incredibilem! Tu ne miſeros gementeſque, quibus auxiliari debueras, auſus es tam acerbe contemnere? Tu Deorum nomen tam indignis factis commaculare? Tu imperium noſtrum propter importunam crudelitatem tuam in ſummum diſcrimen adducere? Atque omnia haec, ſi Dis placet, impune feceris? Omnem notam effugeris, omnem poenam perpetuo declinaveris? Sed hoc, Judices, veſtris ſuffragiis, veſtraeque ſeveritati reſervemus. Modo e diverticulo in viam. Ita Arcitenens noſter, ſtupefactis omnium late gentium animis, non cultu hominum, tantaque obſervantia mitigatus, crudeliſſimum in eos imperium exercebat. Adeo ut abs tuo ore aliquando, Frater, nimia profecto, & intoleranda iſtorum potentia memorabilem illam vocem elicuerit; quod poſtquam Parens Delphis, Gnatus autem Pergami oracula venditare, & cum mortalibus veluti familiarius colloqui inſtituiſſent, Tu ipſe jam Deorum Pater frigeres, & prope nauci numen tuum ab hominibus tuaeque vires aeſtimarentur.

Vt autem faſtidium vobis, mihique dicendi laborem demam, caetera quam celerrime fieri poteſt perſtringam. Brevi itaque, Judices, eo res redit, ut puerorum more ab generoſis iſtis riderentur homines, & viliſſima quaeque, & ſordidiſſima, atque olentiſſima, pro optima certiſſimaque medicina obtinerent. Radices amariſſimae, baccae incredibili aſperitate, animalium adeps, oculi, cor-

cornua, & quid dicam ultra? ſtercora, urinae, ſperma. Nec mihi, meoque Regno pepercerunt. Frutices etiam noſtros, herbaſque aliquot, viſui fortaſſe, & naribus permulcendis idoneas, caeterarum rerum cumulo impudentiſſime adjecerunt. Nam quid me cenſetis, Judices, cum animo meo tunc volutaſſe? Quum viderem, me poſt tam gravem injuriam, ademtamque per fraudem Medicinae tutelam, ludibrio inſuper haberi, regnumque meum hoſtili animo diripi, ſpoliari? At nihil unquam animo meo fuit aegrius, nunquam vehementius exarſi, (ut ad poſtrema tandem veniam, ad quae jamdudum feſtinat animus) quam quum egregii iſti poſt diutinam conſultationem aquam omnino, quaſi magnam gravemque perniciem aut peſtem, repente ab aegrotorum ore, manibus oculiſq; etiam, ac cogitatione ad beſtias ablegaverunt. Nec enim ſatis ſibi ſaevire videbantur, dum aqua quantumvis mixta, & fucata mortalibus ſupereſſet. Omnem iis ad ſanitatem aditum intercludere, omnem ad longaevitatem viam ſepire contendebant. Etiamſi nihil adderem amplius, plane, Judices, apertiſſime conſpiceretis iſtorum perverſitatem animi ſingularem, immanitatemque praedicandam. Nam quid tantum homines in eos commeriti fuerant? Profecto Te, Pulcricome, nec facto, nec dicto laeſerant, non Epidamnium Regnatorem: Immò Te unum omnium Deorum impenſe colebant; Gnatumque maxime venerabantur; iis igitur pro honore cruciatus, dolores pro cultu, pro obſervantia mortem improbiſſime benemerentibus reddidiſtis. Itaque, Judices, poſt hoc praeſtantiſſimum ſcitum, aquarum nomen omnino a medicamentorum albo eraſum eſt, & Medicis capital eſſe coepit earum uſum, quocumque id pacto fieret, retinere. Hic ſi aliquis ſubreptitio aquae hauſtu (quod vulgo factitatum eſt, ſtimulante ſcilicet natura) e difficili gravique morbo evaſiſſet, continuo Medici oſtenti loco rem eſſe aje-

bant,

bant, Apollinique, & AEſculapio grates habendas, qui rem nempe mortem allaturam, in bonam ſalubremque vertiſſent. Et contra quum aliquis vel repentina vi morbi correptus, vel ſuis malis medicamentis celerius, quam ipſi prolixe affirmaverant, interiiſſet, bibiſſe ſtatim eum ſcientiſſimi veteratores clamabant; aquaſque innoxias perfricta fronte taetricoque ſupercilio homicidii poſtulabant. Hac malitia, doliſque malis mortales ab eo quod optimum erat, abſterrebant; & paſſim aegrotos urebant, atque acerbiſſimo mortis genere igni ac ſiti necabant. Invexerant etenim iſtius Operae & Emiſſarii intolerabilem quamdam, & abſurdam medendi rationem. Nam ſaxa, herbas, vinum, fruges, metalla, & hujuſcemodi quam diligentiſſime per tubos quoſdam, varia arte multiplicique compoſitos, excoquebant, & ſal inde, utque ipſi magnifice loqui conſueverunt, ſpiritum, vitamque ipſam extrahebant; nec quicquam unquam, niſi ex hoc latifundio aegrotis apponebant. Quorum domeſticis ac neceſſariis illud cum primis, Jovem Patrem Deoſque omnes ſi ſecus fieret teſtati, imperabatur, ut ne vel guttam aquae eorum ori admoverent; ſed (audite Judices ingenioſiſſimum, idemque ſceleſtiſſimum commentum) aquae vice globulos quoſdam cryſtallinos effingendos curaverant, queis in aegrotorum os conjectis, ſaevientem ſitim, ſeu potius clamantem naturam fallerent. Atque ipſi Medici ſaepenumero hujuſmodi decipulas amoris, & benevolentiae ergo amicis aegrotantibus afferebant. Quod eo quidem recidebat, ut corpora humana, quae nonniſi juſto, ac naturali frigoris, ac caloris, humidi, & ſicci temperamento ſuſtinentur, & vivunt, maxima caloris vi primo mire ſiccarentur, deindeque veluti facibus admotis incenderentur. Quae Incendiariorum ratio ſub Septemtrionibus forte minus noxio conſilio excogitata, ut primo per omnes fere gentes diſſeminata, ita & inter Vaeſevum

dein-

Digitized by Google

deinde, & Dicaearchaeae ſulphura ab iſtorum diſcipulis importune nefarieque translata, ſub miti tepentique Coelo quaſi coctorum lignorum incendium ad cremandam amoeniſſimam regionem excitavit. Quid ego vobis, Judices, tenebricoſiſſima, & funeſtiſſima humano generi tempora narrem? Quaeve acerbiſſima funera iſtorum immanitas hominibus objecerit? Horret profecto animus, atque abs tam triſti luctuoſaque narratione oppido refugit. Quot enim creditis miſeras Matres moerore, & lacrimis confectas e ſuo ſinu raptos dulciſsimos natos, incredibili iſtorum crudelitate, dimiſiſſe? Quot infeliciſſimos ſenes liberos ſuos, ſpem ſenectutis,turbato ordine compoſuiſſe? Quot ſponſas Junoni Pronubae, dulciſſimaeq; ſpei in ipſo aetatis flore ſubreptas iſtorum ſaevitia Libitinae traditas eſſe?Quot honeſtiſſimas domos patribus familias orbatas in ſempiternum luctum, ſummamque egeſtatem eſſe demerſas? Nequeo, Judices, nequeo crudeliſſima iſtorum facinora, infinitam atque omnigenam ſtragem, acerbos hominum caſus, familiarum calamitates, Urbium clades, Orbis Terrarum vaſtitatem oratione complecti. Aud ſecus, Judices, eo medendi inſtituto necabantur mortales Medicorum manibus, ac ſi igni Coelum plueret (nec enim alia imagine tantum malum referri poſſe mihi videtur) totaſque late regiones incenderet.

Moriebantur itaque homines, nec quo ſe verterent, quave ope tam grave incendium reſtinguerent, inveniebant. Donec eos deſperatio tandem, ſive eadem Natura, quae primum eos ad flumina, fonteſque perduxerat, unde non ſuo peccato, ſed maxima iſtorum culpa aberraverant, duce viro acerrimo, & experientiſſimo, quem nominatim appellare non eſt neceſſe, ad aquas denuo reduxit. Quo facto ſalus, valetudo, ſpes bona continuo ad homines remigrarunt; quae omnia iſti, veluti oſtraciſmo ab omnibus Terrarum confiniis jampridem

ex-

expulerant, Ego vero magnam modo mihi facundiam, dicendique copiam optaverim, quî poſſem ingentem hominum laetitiam, mutuaſque gratulationes explicare, quibus inter ſe praecipuo mutuoq; gaudio exultantes triumphant, quod ad haec potiſſimum tempora reſervati ſint, quibus tam leni, jucundoque medicamine ad valetudinem recuperandam uti detur: nec amplius amarulenta, & novercalia illa pocula cogantur maximo gemitu, & totius corporis tremore ſorbere. Mortemque ipſam gratulantur veluti longius abeſſe: atque eo ipſo tempore, quo ad vaſa conclametur, extremamque neceſſitatem ſubire neceſſe ſit; eam non ita truci terribilique facie videri, quippe quam ſemper ſpes, expectatioque quaedam bona comitetur. Etenim quum in omnibus fere morbis, quicquid iſti contra effutiant, eandem prope vim aquas habere experiantur, eaſque non febribus tantummodo omnigenis, ſed & vulneribus (quae vetuſtiſſimis temporibus conſuetudo tenuit) & difficillimo cuique lethalique morbo, apoplexiae, pleuritidi, ipſique hydropi, ut hoc uno omnia complectar, praeſentiſſime mederi, cur, obſecro vos Judices, non ad ſummum uſque diem, veriſimili ſpe, & quamplurimorum exitu confirmata teneantur? Quum præſertim moribundos vulgo videant, animamque jam agentes, ab iſtorum interpretibus certiſſimis ſuffragiis morti damnatos, uno aut altero gelidae hauſtu illico reviviſcere. Nolite enim arbitrari, Judices, poſt excuſſas tenebras, veteremque caliginem, aliquid clarius, aut vulgatius apud homines eſſe, quam mirabilis aquarum vis, quas ſibi vitae, ſanitatiſque vindices extitiſſe adverſus taeterrimam iſtorum tyrannidem arbitrantur. Summos viros ante oculos habent, quos aquae ab ipſis mortis faucibus, inſpectantibus, ac moerentibus Medicis, eripuerunt. Vident quotidie Virum Patricium, egregie moratum, & quod apud iſtum nonnihil valere debuit, Muſarum delicium, incolumem valentemque volitare,

 quem

quem extremo ſpiritu jacentem, ac pene exanimem luxerint. Vident ampliſſimum genere, literis, fama Senatorem, tuum, Minerva, corculum, jus integerrime, & ſapientiſſime dicere, quem aliquando magna civium ſuorum jactura iſti, quantum quidem in iis fuerat, e medio plane ſuſtulerant. At quid ſingulis enumerandis immoror? Nullam ego domum, nullum hominem eſſe affirmo, quin ei aquae magnam aliquam utilitatem attulerint. Quibus rebus nemo veſtrum eſt, Judices, quin illud eveniſſe arbitretur, ut nimirum iſti, ſuorumque ſomniorum propugnatores, detecta jam, conteſtataque innumeris exemplis veritate, niſi alia de cauſa, pudore ſaltem deterriti ſint, atque a fallendi conſuetudine inviti tandem receſſerint. Sed tanta in iſtis eſt, neſcio an dicam contumacia, & impudentia, vel diritas, & immanitas, ut obfirmato animo eandem conſtantiſſime ſemitam terant; grandiloquentiaque inſuper, & exotica eruditione, atque vocabulorum portentis, nimiumque ſane callida ſimulatione prudentiae ad mendacia ſua confirmanda abutantur. Et quum aegrotos e vetere ſuo inſtituto confecerint, tunc demum deſperatis rebus omnibus, ad aquas eos ire jubent; ut hoc pacto in periculoſam nimium aleam aquarum virtutem conjiciant, unde admodum difficile ſit, eas ſalva integraque exiſtimatione ſemper evadere. Atque hîc illud obiter a te, Medicinae Parens, exquiſierim, cur confecto tantum acciſoque corpori aquae mederi poſſint, valido firmoque non item? At nobis, qui tua iſta praeclara ſapientia aud inviti caremus, videbatur, quod ſolae ſuoque Marte in deſtituto corpore aquae poſſunt, id in ipſis morbi principiis, viribus, robuſtoque corpore adjutas validius & certius, ſore praeſtaturas. Quid tu verò ais Herbipotens? Fallimur nempe; ita aſpere frontem contraxiſti. Verum uter decipiatur hujus judicii eventus patefaciet: modo quae ſuperſunt tranſigamus. Sane nonnullorum Medicorum ſuavi-

viſſimum eſt, medendi modo rationem agnoſcere. Nam hi diffiſi rebus ſuis, priſcaſque fabellas magnam partem rejicientes, aquis vero (quas pauci admodum ab illis tranſfugae bona fide amplexati ſunt, atque ad aquarios ex animo defecerunt) nec damnatis magnopere, nec commendatis, in infinitam dubitationem demerguntur; atque ita Medici monogrammi anxio incertoque vultu ad ægroti lectulum taciti ſedent, primo ſeptimum valetudinis diem, inde decimumquartum, & demum illius mortem vel ſanitatem expectantes. Verum ne videar ignaviam, ingeniiq; imbecillitatem hominibus crimini vertere, quod nimis acerbi accuſatoris eſſet, ad maximum iſtorum ſcelus, idemque occultiſſimum, Judices, tranſibo. Quam etenim rem generoſi iſti palam inceptare non audent, eam occulte cuniculis oppugnant. Nam quum aquas a morborum curationibus expellere, ne prorſus decoquant, acciſis rebus ſuis omnino neceſſarium ducant, nec tam recenti re, unanimique omnium hominum conſenſu, id aperte aggredi poſſint, plani vaferrimi, qui nullum laborem, dolum, aut fraudem ad priſtinam dignitatem recuperandam ſibi praetermittendam eſſe cenſent, illud nuper e penitiſſima fallendi arte expromſerunt, ut quum maxime aquis inſidias ſtruerent, tunc maxime bona fide iis uti, atque in ſummo precio habere exiſtimarentur. Etenim in omnibus fere morbis (idque quo poſſunt ſerius uti monuimus) aquas adhibent, neque eas ullo in conventu illaudatas ire ſinunt, ſed quaſi ex animo illarum vim ultro admirantur. Interea illas modo calidas, modo tepentes, raro gelidas praebent, nunc modice ac dubitanter veluti ex occulta quapiam ratione, nunc profuſe & plenis rivis, dandique methodum non unam uſque ſervant, ſed variam incertamque. Atque in uno eodemque aegroto omnes haſce vices quam ſaepiſſime alternant, ut quem calida inceperint, gelida, deindeque tepenti curare deſinant, & mox converſa repente medendi ratione, aquas

omnino abjiciant, aliiſque medicamentis utantur. Saepe etiam pulverem aliquem aquis, vel herbam, aut oleum, quaſi aliud agentes, admiſcent, ut paullatim non in aqua curandi vis, ſed vel in ſua methodo, vel in iis, quae aquis addunt, ineſſe videatur. Si qui vero tam crebra importunaque mutatione & miſtura confecti moriuntur, eorum obitus aud dubie ad aquas referunt: verum id modeſte nimium faciunt, ne ſe ſe ipſi prodant, dolique tam bene naviterque excogitati fructum per imprudentiam amittant. Ita diligentiſſime ab ſua ſimplicitate, quod caput rei eſt, optimoque iis utendi inſtituto aquas abducunt, atque in ingentem paullatim ſuſpicionem, propter nonnullorum interitus eas conjiciunt. Inde quum ſtudia multitudinis ſenſim deſuefactae deſerviſſe intellexerint (quod ſerius, ocius eventurum eſſe confidunt) tunc demum rupta, ut ajunt, teſtudine, apertoque Marte aquas, omnium fraudum ſuarum everticulum, aggredientur. Quas cum nullo praeſidio, ac ne populari quidem opinione munitas facillime expulerint, tunc in vetera mala, priſtinamque ſervitutem mortalibus recidendum erit; quibus fruſtra fuerit aliquando veritatis lumen affulſiſſe. Proh ſumme Jupiter! Te enim appellabo, mi Frater. Quid expectas? Quid ſedes? Nonne jampridem univerſam fulminum tuorum iram in iſtos, iſtorumque emiſſarios oportuit eſſe converſam? Viden quo tandem ob paucorum audaciam, uniuſque iſtius compendium res humanae redactae ſint? Sane aequum eſt, ſi minus Te praeterita tetigerunt, modo ſaltem conſulere calamitatibus hominum, iſtorumque furorem in poſterum pio bonoque conſilio celeriter antevenire. Licet enim ad id nulla neceſſitate cogereris, miſericordia tamen, quae maxime omnium Deum decet, ad ſublevandos, recreandoſque homines deberes adduci. Nihil hic de jure meo loquor, nihil de debita mihi Medicinae tutela mutio: veſtram ego rem, Judices, ago. Deorum imperium & majeſtatem

hoc

Digitized by Google

hoc judicio periclitari confirmo . Videte quaeſo , ne vos nimis ſero indulgentiae veſtrae poeniteat ; tempeſtive conſulite rebus veſtris , quae , ut eſt in proverbio , in acie novaculae conſtitutae ſunt : tempeſtive veſtris ſuffragiis conſulite vobiſmetipſis . Neu ſinite ut iſti , quae jam valide quateſecerunt , Imperii veſtri fundamenta prorſus ac funditus evertant : quod quidem , ſi iſtos aliquis caſus ex hoc judicio incolumes eripuerit , cito perfectum iri confidite . Nam quid cenſetis denique conſilii capturos homines , quum ſe ſe , liberos , uxoreſque ſuas veluti victimas animadvertent iſtorum furori atque acerbitati a vobis permiſſos , ac traditos eſſe ? Scilicet ſupplices ad veſtras aras confugient : auro , argentoque , & lapillis templa veſtra decorabunt : hoſtias de more immolabunt : vos pro bonis , & beneficentibus habebunt ; Nihil , Judices , nihil vobis apud homines reliquum erit : imperium, nomenque ipſum imperii veſtri , quod jam ſatis grave eſt , juſtiſſimo dolore incenſi , confeſtim pervertent , excutient , delebunt . Quod vero ad me attinet , illud velim vobis , Judices , pro inconcuſſo eſſe , me non ut iſtorum calamitati inſultarem , quod improbum eſſet , neque ut Medicinae praeeſſem , quod ambitioſum & puerile videretur , hunc laborem ſuſcepiſſe ; verum ſimul ut genus humanum tantis cladibus afflictum atque confectum ſublevarem , vehementer enim ejus malis permoveor , atque ut noſtris omnium rebus , quae porro praecipua accuſationis cauſa fuit , quoad ejus rei facere poſſem , patrocinarer . Nec enim tanti apud me Medicinae tutela eſſe potuit , ut ideo Regalis faſtigii oblitus veſtro me judicio ſponte ſubjicerem , Fratris mei amantiſſimi filium accuſarem , tantaſque turbas in meammet , Judices , domum excitarem . Nam licet meis viribus , aquis nimirum , in quas poſt diviſum Imperium ſolus regnum obtineo , pene omnia , rejectis iſtorum figmentis , in medicina aud dubie conficiantur ; potuiſſem tamen in tam

levi

levi negocio mea jura modo etiam negligere, vel Apollinem ipſum vice mea in eam ditionem ſubmittere: niſi quanta in nos tempeſtas excitaretur, quanta, Coelitibus impenderet procella proſpexiſſem. Itaque ſi vos vel iſtius gratia, vel alia quaepiam privata ratio a recto, utilique ad injuſtitiam malumque tranſverſos rapiet; me ſcitote Regem nihilominus fore, nec quicquam adverſo judicio mali ſubiturum; vos vero omnes, quod, ut praedictum recordemini, qua poſſum maxima voce praenuncio, quum nullo pacto homines veſtrum ſint Numen ultra veneraturi, nec thura & hoſtias unquam deinceps oblaturi, neglectos, atque contemtos, pro Deorum inſignibus poſt hac vix nectar & ambroſiam retenturos.

JUP. Euge!, Frater, Euge! Sane ignorabam, tantum te in eloquentiae ſtudiis proceſſiſſe. Atque equidem miratus ſum, te tam grandem natu juvenili alacritate tandiu declamitaſſe. At, ſi videtur, Apollinem audiamus. NEPT. AEquum eſt. JUP. Ehus Tu, loquere, ſi quid habes.

A P O L L O.

Fateor, Judices, me dum Patruus meus diceret, vehementer addubitaſſe, utrum accuſationi ſuae adverſa oratione reſpondere satius eſſet, an Medicis, & Medicinae tacitum volentemque cedere, atque omnino ſilere. Et quamvis ad ſilentium animus meus proclivior eſſet, vicit nihilominus, ac omnem dubitationem meam fregit cogitatio illa, ne ſi tacuiſſem, vel judicium veſtrum me ſpreviſſe ſuſpicaremini, vel rerum mearum deſperatione potius, quam pudore, & verecundia adductum, tam vetere dominatu decedere crederetis. Surrexi itaque, ut eam vobis ſuſpicionem adimerem, ſimulque, ut nudam nulloque oratorio indumento perſonatam veritatem ante oculos veſtros ſtatuerem. Qua perſpecta,

ſicuti

ſicuti pro certo habeo, vos fallaciam, & imbecillitatem argumentorum, ac rationum, quibus Patruus meus uſus eſt, nullo negocio deprehenſuros, ita a vobis, Judices, & ſapientia fideque veſtra maximo opere, ſummiſque precibus poſtulo, ne magna accuſatoris authoritas, quam unice mihi hoc judicio pertimeſcendam intelligo, me, gnatumque meum innocentes evertat. Itaque ita me, obſecro, audiatis, ut anteceptas animis veſtris adverſum me opiniones, tantiſper, dum loquor, ſeponatis; utque poſtquam ſingulis accuſationis partibus reſpondero, tunc demum, libratis utrinque rationum ponderibus, ad judicandum deſcendatis. Te autem, Neptune, itane aſpere, ita infeſte in me, meoſque invehi decuit? Tam putidis maledictis, tantaque acerbitate ultro in meam, & Medicorum famam incurrere? Quid durius unquam, aut odioſius ab inimiciſſimo adverſus inimiciſſimum excogitatum eſt? Nequeo profecto ſatis tragoedias illas mirari, Judices, quas in ipſo ſtatim orationis limine accuſator noſter excitavit, vereri nimirum ſe, ne propter meam, filiique mei crudelitatem, atque malitiam adeo impiorum ſententiae invaleſcant, ut vulgo homines, abjecta omni de Diis opinione, impietatem veluti ſacram anchoram amplectantur. Ingemui, Judices, tanti criminis invidiam mihi a conjunctiſſimo meo propter effraenem ambitionem ſuam inuri. Egone, Neptune, qui ſummos labores pro mortalium commodis maxime omnium Deorum ſuſceperim, & uſque ſuſcipiam, luce eos quotidie, caloriſque temperamento enixe juvando, nec non per templa paſſim in trepidis rebus reſpondendo; Egone, inquam, ad impietatem mortales compello? Ut autem me tanti ſceleris inſimulares, amores mihi, ac exilium exprobraſti, calamitatem filii acerbiſſimam objeciſti, aegros, herbas, aquas commentus es. Haeccine ſomnia, haſce tenebras in me Patruum meum cudere? Scilicet veſtra ei Majeſtas, ve-
ſtrum-

ſtrumque, Judices, imperium cordi eſt, qui arctiſſima ſanguinis vincula, Jovem, Jovisque filium, ob leve incertumque compendium, ſuperbe contemnit. At jam ex abrupto hoc, & desultorio dicendi genere ad perpetuam orationem me conferam, atque accuſationem veſtigio premam, daboque operam, ne quid aut noſtram memoriam effugiſſe, aut dolose diſſimulatum eſſe videatur. Quum me igitur Pater, ob inconſultum illum furorem, Judices, in Terras ablegaſſet (nec enim nugari de primis illis temporibus cum Neptuno ferunt haec noſtra tempora) quandoquidem mihi inter mortales verſari, vitamque agere neceſſe erat, exiſtimavi, nil mihi antiquius eſſe debere, quam eos, quibuſcum viverem, quammaximis beneficiis afficere, noſtrique apud eos hoſpitii memoriam ſempiternam relinquere. Itaque, quum eos rudes, & agreſtes offendiſſem, verſibus, & cantionibus, Deorum facta & potentiam magnam partem continentibus, cœpi ipſorum feritatem ſenſim mollire, atque ad humaniorem cultum hoc pacto traducere. Deinde, quum mente, & ratione, queis potiſſimum homines caetera animantia antecellunt, raro admodum uterentur, ſed caeco impetu in voluptates ruerent, proindeque in rixas, & ultiones vecordes agerentur, quae mala iis eventura eſſent praedicendo, nonnullam inſolita re Deorum opinionem in eorum mentes injeci. Et retardato paullatim veteri eorum furore, impetuq; illo ac immanitate temperata, eos docui ex praeteritarum rerum eventu de futuris conjicere, indeque ſibi leges ad vitam in poſterum aſſumere: unde omnis hominum prudentia orta eſt. Poſtremo, ut ſexcenta alia praeteream, quum aegrotantes in triviis viderem tamquam bruta animantia jacere, nullaque prorſus ope juvari, miſertus eorum vicem, vivendi rationem, & nonullarum iis herbarum vim & uſum indicavi, ut deinceps, unde ſibi praeſidium peterent, haberent. His rebus permoti homines, quum tandem aliquan-

do in Coelum rediiſſem, uno ore me Poeſi, vaticinationi, & Medicinae praefecerunt. Ego vero tunc demum harum rerum patrocinium ſuſcipere auſus ſum, quum Pater, adhibito omni Deorum Conſilio, authoritate ſua me etiam atque etiam hortatus eſſet, ne precantium voces ſuperbe deſpicerem, ſed amplexarer divinam opem implorantes. Nequibam enimvero ego tot inſimul rebus moderari, ut ſi Poeſeos, & Oraculorum ſatagerem, Medicinam nullo pacto curare poſſem. Ne totam ergo rem abjicerem, AEſculapium (cui non quod aliquid deliquiſſet, ſed ob malevolorum calumnias antea, mi Pater, iratus fueras) medicinae ſcientia praeſtantiſſimum, quippe quem, & ego, & peritiſſimus Chiron diligentiſſime docuiſſemus, vice mea huic Provinciae praefeci. Nec alioqui injuria me id feciſſe dici poteſt: nam quod ego Hominum, Deorumque primus inveneram, recte quidem, optimoque jure poteram filio meo delegare. En vobis, Judices, meas fraudes, quibus ad Medicinae regnum perveni, atque ad filium meum tranſtuli. Exponam modo vobis eadem brevitate quibus artibus, quove aſtu adminiſtraverim. Primum autem illud a te quaero, Neptune, quamobrem putes, cujuſque compendii cauſa, me, quum bene mortalibus facere poſſem, ſuperbe, & tyrannice dominationem exercuiſſe? Niſi me ſceleſtum, & omnium improbiſſimum, non maledictis e trivio temere arreptis, ſed veris certiſque criminibus, eſſe confirmas, cui te Deorum perſuaſurum reris, me ſponte mea tantarum cladium, & malorum hominibus cauſam fuiſſe? Quod ſi contra apertiſſimum eſt, me totas vires, atque omnem potentiam, numemque meum in id ſedulo impendere, atque omni tempore conſtanter impendiſſe, ut hominum generi quoquo modo poſſem opitularer, atque inſervirem, quam rem agimus, Neptune? Judiciumne tu hocce fore putaſti, an Nereidum, convivium, in quo tu, olentiſſimis herbulis corona-

tus, inter lectiſſimorum piſcium delicias oſcitanter recubans, pro libidine ludere, & quidquid liberet effutire poſſes? & profecto ſuſpicor, ideo te tanta libertate, atque inclementia contumeliarum, ac meledictorum jacula in nos, innocuoſque Medicos, amariſſimo felle illita, conjeciſſe. Nam ſi hunc locum, hos Judices, hanc coronam cogitaſſes, certe nunquam talia effudiſſes; quibus neſcio, turpius mihi ſit, an gravius reſpondere. At facile equidem patior, maledicendi licentia a Te ſuperari, integramque tibi eam victoriam libentiſſime concedam: vobis etiam, Judices, veſtraeque dignitati id tribuam; & tantum in reſpondendo digrediar, quantum defenſionis neceſſitas poſtulabit.

Porro quaenam iſtatandem fuiſſet ambitio, quae dominandi cupiditas tam inhumana tanque praepoſtera, quae amantiſſimos, & obſequentiſſimos per ſummos cruciatus, nulla de cauſa interficeret? Nonne id mihi potius faciendum fuit, quod revera feci, ut eos nunquam intermiſſa beneficentia ita mihi addictos, deditoſque redderem, ut impietatem, vel maxime hoc nomine exhorrerent, quod eam ſine ſummo ingrati animi crimine amplecti non poſſent? Quod ſi ego, Judices, ad mea genua provolutos doloribus & morte affeciſſem, tantamne creditis tarditatem hominum, ut tandiu mea templa ſtare, ſtatuas thure & odoribus coli ſiviſſent? An potius per omnia delubra vindices circumlaturos fuiſſe ignes, ſimulacra foede truncata deturbaturos, omni denique contumelia atque dedecore authoritatem numenque meum affecturos. At, clamabit Neptunus, Medici tuis permoti conſiliis, tuoque numine adacti mortalibus tot cladium miniſtri extiterunt. Scilicet, Neptune, in tanta criminum meorum copia, nimium cito ad aliena, & translatitia confugiſti. Primum enim Tibi reſpondere poſſum, minime quidem veriſimile eſſe, ullos unquam Medicos extitiſſe, qui ultro, ac
vo-

Digitized by Google

voluntaria immanitate tam crudeliter in mortales ſaevierint; quos ipſos (ſi quis aliquando tanta improbitate fuit) malos ſane non ego, aut Medicina, verum ſuapte potius ſaevitia, & prava indoles effecerunt. Deinde valde equidem demiror, unde tibi in mentem venerit dicere, me hujus generis criminum authorem eſſe, quum poſſes ea, & reliqua omnia hominum ſcelera ad Jovem ipſum, qui in iis connivere ſoleat, jure referre. Nam ego, mi Patrue, quid facerem? Quo pacto hominum malitiae obſiſterem? Quo fulmine, quave adeo poteſtate eos percellerem? Frater tuus tibi, ea de re arceſſendus fuerat, non ego. Atque ipſe fortaſſe tibi, pro conjunctione & neceſſitudine veſtra, ſuorum conſiliorum arcana reſeraſſet, quibus de cauſis nedum malos Medicos, ſed tot omnis generis ſicarios, parricidas, aliiſque ſceleribus commaculatos atque inquinatos ſinat plerunque incolumes, alacreſque volitare. Quae omnia nobis omnibus ſcuriſſima, profundaque nocte, ac denſa caligine viobdentur involuta atque contecta. At quando malorum Medicorum delicta mihi potiſſimum objicere tibi, Neptune, viſum fuit; debueras idem quae ab iis benefacta, & ſapienti utilique conſilio inventa, atque excogitata ſunt, ad me quoque referre. Quae tot tantaque ſunt, ut omnia Medicorum crimina, ſi quae aliquando fuerunt, vel a te ipſo poſſint facillime deprecari. Qua in re non ego vobis, Judices, aliquid proferam; ſed ſciens & volens ſilebo. Ii ipſi, quos excruciatos, ludificatos, necatos a Medicis Neptunus dixit, loquantur. Teſtes ſint homines, iterumque, atque iterum homines. Horum ego fidei ac teſtimoniis, quorum de re agitur, acquieſcere vos, Judices, velim, non odioſis, inanibuſque Neptuni calumniis. Adeo enim referta eſt apud mortales omnium annalium memoria praeclariſſimorum & plane divinorum facinorum, quae Medici omni aetate, atque in unaquaque Terrarum Orbis regione in curandis

Digitized by Google

hominum morbis egregie & fideliter effecerunt, ut omne profecto defenſionis meae tempus deberem abſumere, ſi minimam ex iis partem conarer modo referre. Illud autem ſufficiat, ceu per tranſennam, vobis indicaſſe, eos tanto ſemper apud mortales in honore habitos, ut praeterquamquod divitiis longe ceteris praeſtiterint, gratiaque apud omnes mirifice floruerint, ſummi etiam, principeſque viri Medicinam exercere, ad laudis & gloriae participationem, non ſint dedignati. Nec mihi in tam aperta re aliud agendum eſſet, quam clariſſima tantummodo Medicorum nomina memorare, ut omnem continuo dubitationem ab animis veſtris excuterem. Verum patientia veſtra, Judices, abuterer, tempuſque male diſperderem, ſi in omnibus, quae in me Medicoſque, neſcio quo furore ac iracundia percitus accuſator meus congeſſit, nimium diu immorarer. Percurram nihilominus leviter omnia, ne forte ulla in me criminis nota propter ſilentium meum inhaeſiſſe videatur. Sane quod Medicinam, rem ſuapte natura ſimplicem, Medicos, me authore, affirmaſti, variam, compoſitamque ad conficiendum humanum genus, reddidiſſe; Ea vox, mi Patrue, quod tua pace dixerim, imperiti indoctique eſt. Nam, obſecro Te, quo pacto ſimplex Medicina dici poſſet, quum ei tot tamque varia morborum genera proponantur? Quum non eadem mulieribus, eadem viris, nec eadem diverſis, & aliquando nec iiſdem etiam aetatibus praeberi poſſint; ſed pro temporum, aetatum, locorum, corporumque varietate, varia itidem medendi ratione uti neceſſe ſit? Sectarum autem multitudinem quis nobis niſi Neptunus objiciat? Quod philoſophiae, Judices, oppido glorioſum eſt, id iſte Medicinae, quae & ipſa magnam partem philoſophià continetur, crimini vertere contendit. Praeterea quaenam ars, aut quae unquam diſciplina eos omnes, qui eam ſequerentur, concordes unanimeſque habuit? Non Pictura, non Poeſis,

non

Digitized by Google

non Rhetorice, immo, quod portenti ſimile eſt, nec Geometria. Hominum natura haec eſt, mi Patrue, ut nunquam multi idem probent; duo vero vel tres quam rariſſime. At in tanta opinionum diverſitate, & repugnantia, quid tutius eſt aut prudentius, quam nulli effuſe favere, ſeque nemini veluti vinctum, conſtrictumque tradere? Itaque ut inter philoſophos, qui maxime aſſenſum cohibere norunt, nihilque audent pro vero affirmare, omnium ſapientiſſimi apud homines perhibentur: ita, quos tu per ſummam injuriam monogrammos Medicos appellas, caeteros omnes authoritate ſupereminere aequum eſt, ac optimos ſcientiſſimoſque cenſeri. Nam nil ſapientius ab humano ingenio fieri aut excogitari potuit, in tanta Medicinae rerumque Medicarum dubietate, quam obſervationibus diligenter inſiſtere, nihil temere probare, & se, aegrotumque nunquam in irrevocabilem caſum dare. Verum haec omnia, ut percipitis, Judices, quanquam longiore oratione vix indigent, nimis tamen properanter. Vocat etenim me ea criminationis pars, qua Neptunus de aegrotorum ſomniis, Aeſculapiique reſponſis ſane quam diſerte diſſeruit. Debueras profecto, Neptune, hominum potius ſuperſtitionem ridere, eorumque, quibus tuendorum templorum cura demandata erat, avaritiam & aſtum ejus fraudis inſimulare, quam me aut Aeſculapium inſcios, innocenteſque ea de re obtorto collò in judicium rapere. Etenim (quod aliquanto pluribus verbis referam, quum vos, Judices, benignitate veſtra tam attente me audire videam) ut quiſque aegrotus paullo difficilior erat, vel a longiuſculo morbo diſtinebatur, continuo ad AEdituos, & Sacerdotes Aeſculapii accedebat, datoque aere, locum in templo ad deprecandam a Deo ſalutem, quae erat illorum perſuaſio, facillime ab iis impetrabat; Ibique uſque eo manebat, donec de Dei voluntate ſibi certior factus eſſe videretur; atque hinc nimi-

Digitized by Google

nimirum omnia illa ſomniorum monſtra oriebantur. Nam quum multa ſecum ipſi vigilantes, pro maxima convaleſcendi cupiditate, imaginarentur: aliorumque aegrorum exitus, & admirabilia portenta ab ipſis Sacerdotibus ſaepiſſime acciperent: atque draconem, qua forma homines filium meum effingere conſueverunt, intentis oculis acerrime intuerentur; quid mirum, ſi eadem fere dormientes, paullo fortaſſe confuſiora, & turbatiora ſibi conſpicere, ac audire videbantur? Eo pacto, Judices, aegroti in fraudes ſe ſe ipſi inducebant, nulla ope profecto coelitus adjuncta. Oracula autem aud minus facilem & expeditam defenſionis rationem habent. Ea etenim ex iis, atque ea magna pars eſt, quae vere a me, Gnatoque meo reddita ſunt; optima nempe & appoſita eorum morbis medicamenta continent, qui a nobis expetiverunt. Quae res adeo nullam dubitationem habet; ut omnino nullum ejus generis reſponſum proferri poſſe audacter affirmem, quod non utilem ſalubremque medicinam contineat. Pauca vero oracula ſubditiva, quae innocuo bonoque Sacerdotum noſtrorum dolo (perſpicite Judices, quam parum diſſimulanter tantis de rebus loquar, ita me fidentem humanitas veſtra effecit) conficta, noſtroque nomine hominibus ſunt prolata; nugatoria ſcilicet ſunt; & plerumque nec utilia, nec noxia. Quam conſuetudinem ideo aud magnopere excindendam expellendamque curavimus, quod quum nihil omnino reprehendendum contineret, quammaxime ad Deorum cultum apud mortales adaugendum, noſtramque omnium authoritatem potentiamque amplificandam mirifice pertinebat. Nec ego, Judices, eum morem, ſi is forte minus alicui veſtrum probabitur, primus induxi. Nam celeberrimae Patris mei Dononaeae quercus, quod vetutiſſimum omnium oraculum eſt, ſatis mihi amplam vel ad excuſandum authoritatem, vel ad imitan-

tandum exemplum praebuerunt. Venio nunc ad rem ipſam; ad amaras nimirum baccas, animalium oculos, cornua, & id genus quiſquilias. Qua in re quidem jocularem quamdam, & circulatoriam facundiam praeſeferre mihi Patruus meus viſus eſt: ac contra tanti Imperatoris Majeſtatem riſum in re maxime ſeria captare. At quid voluerit, quid eo loci reſpexerit, plane Judices, ignoro: niſi quod ea ideo videbatur tantopere exagitare, quaſi meis, ac medicorum dolis non ſuapte natura hujuſmodi res vim quamdam medicam, atque ad ſanitatem inſita ſemina continerent. Cui tanto in crimine quid reſpondeam? Quove pacto me apud eum, maxime acerbum, & inexorabilem, Judices purgem? Praeſertim quum longe majus mihi malum imminere ſuſpicer; idem enim paullo poſt mihi objecturum credo, quod ignis fraude mea caloris cauſam in ſe habeat, nix refrigerandi, ac ſimilia hujuſcemodi. Num ergo jocamur, Judices? Num huc tanta expectatione ludendi cauſa convenimus? Nam quum talia objiciantur, quis hoc judicium eſſe, voſque Judices, quis ſerio Neptunum agere ſuſpicetur? Niſi forte, Medicos non iis, quae aut ratio aut experientia commendaret, ſed pectinibus, & echinis morbos depellere maluiſſet. Quae quum obtrudere non auderet, aquas, ſuum patrimonium, arripuit, iiſque mihi bellum denunciavit. Atque, caeteros accuſationis ſcopulos praetervecta, eo tandem pervenit oratio mea, Judices, quo eam & ſumma expectatione veſtra vocari, & ab accuſatore jampridem flagitari, triſti minacique vultu, adductiſque ad frontem ſuperciliis, intellexi. Expectas fortaſſe, Neptune, ut ea, quae tot verbis de mirifica aquarum virtute memoraſti refellam; at vana ſpe illectus, mi Patrue, ut id expectares animum induxiſti tuum. Nam quis tam praerupta unquam erit audacia, ut apertiſſimam rem, tamque quotidianis experimentis firmatam audeat oppugnare? Quod ſi alicui

un-

Digitized by Google

unquam tam durum os obtigerit, ac tanta contumacia animum efferaverit, ut adverſus aquas inſurgat aliquando: equidem mihi certum, immotumque eſt, aquarum virtutem contra invidorum atque ignavorum calumnias enixe, omnique ſtudio tueri. Verum quoniam ad Te hanc aquariam Provinciam dixiſti pertinere; & me, filiumque meum, noſtroſque vulgo diſcipulos aquas, tamquam duriſſimum hoſtem, exhorrere copioſiſſime declamaſti; neceſſitatem mihi injectam eſſe arbitror, de aquis, earumque uſu brevi diſſerere. Et niſi ipſe mihi anſam, quam in hac diſputatione apprehenderem, dediſſes, longe modo repetenda mihi eſſet defenſio mea. Nam quum me jam inde ab initio herbas aqua maceraſſe dixeris, fundamenta mihi jacta eſſe exiſtimo, quibus innixus univerſam defenſionem ad culmen uſque poſſim attollere. Hinc enim Judices, ipſo criminatoris mei teſtimonio, me nullo tempore ab aquarum uſu refugiſſe colligere poteſtis, immo eas omnibus pene medicamentis immiſcuiſſe. Quod quum criminatori noſtro, judices, propter maximam vim veritatis, inconſulto excidiſſet, incogitantiam ſuam callido certe conſilio emendavit. Dixit etenim, me eo pacto fucum feciſſe mortalibus, & magnum nequitiae exemplum eo invento ediſſe; quum herbis ea per dolum tribuerem, quae ſolae, nulloque prorſus adjumento aquae poſſent. O ſuavem accuſatorem! O crimen horribile! Nec Deorum, nec hominum quiſquam, qui ſana mente eſſet, adhuc dubitavit, Neptune, quin magna ad arcendos, ſanandoſque morbos vis herbis ineſſet. Tu modo, ab alga areniſque ſubito emerſus, inventus es, qui ad conflandum mihi crimen id negare volueris, rerumque etiam Naturam in meam perniciem acerbe converteris. Ideo autem ad eum modum aquis uſus ſum, quod Tibi uni dictum volo Neptune, ut eae latitantem herbarum virtutem elicerent, illamque per humanum corpus facilius ſua fluiditate diffunderent. Atque hinc illud etiam facil-

ſacillime perſpici poteſt, quam inane, ac mere accuſatorium ſit quod dixiſti, Emiſſarios meos aquis adeo inſenſos fuiſſe, ut eas ab oculis, etiam aegrotorum amoverint. Factum id quidem eſt, Judices, & vere maxima vulnera hoc inſtitutum hominibus inuſſit. At nec a meis diſcipulis, nec conſilio meo id ſceleris admiſſum eſt. Quorumdam Medicorum poſtremis hiſce temporibus ſingulari audacia, atque infinita ingenii oſtentandi intemperantia illud incendium, quo remotiſſimae regiones vaſtabantur, in amoeniſſimam quoque Campaniae oram, veluti Palladium quoddam accitum eſt. Ut hoc lethali munere, frequentiſſimiſque civium ſuorum funeribus inſignem ſibi gloriam, opeſque maximas compararent. Quorum equidem diſciplina, Judices, nihilo aſperius in iſtius aquas, quam in me, Gnatumque meum invecta eſt. Etenim hi veterem inſtitutionem, gravem eam, ipſaque vetuſtate venerandam, tanta confidentia aggreſſi ſunt, ut, perterrefactis rei novitate atque inſolentia meorum interpretum animis, terga continuo verterent, campoque paventes decederent; illorumque facibus apertam atque expeditam quaquaverſum incendendi viam relinquerent. Quo factum eſt, ut homines extremi caloris, quem illi induxerant, impatientes, ſiccitate ac ſiti compulſi, ad extremum frigus temerario ſane conſilio confugerint. Meorum autem diſcipulorum aequabilis uſquequaque fuit, ac temperata doctrina. Aquas etenim nec effuſe amplexati ſunt, nec omnino rejecerunt. Verum eas, uti caetera medicamenta, aliquando quidem prodeſſe, alias vero inutiles, aut etiam lethales eſſe crediderunt. Exundationes autem iſtas, quas in quodam Italiae angulo (nec enim ulterius, Judices, progreſſae ſunt iſtius aquae, ſed reliquus, immo totus Terrarum Orbis mea jura conſtantiſſime reveretur) modo in uſu eſſe cognovimus, quammaxime ancipitem medendi rationem continent: ideoque prudentiores Medici nonniſi deſperata ſalute, atque in

quibuſdam tantummodo morbis ad eas deſcendendum eſſe arbitrati ſunt. Quae ne a me conficta eſſe, temporis cauſa, ſuſpiceris, Neptune, ad optimorum Medicorum, & Philoſophorum commentarios te mitto, ut eos aquarum quidem uſum retinuiſſe, abuſum rejeciſſe cognoſcas. Nequaquam vero praetermittendum eſt, ad me meoſque interpretes abs tuis calumniis vindicandos, eos quodammodo impenſius quam aquarii iſti tui aquas coluiſſe, atque ad hominum utilitatem adhibuiſſe. Siquidem balnearum uſum, quà tepentium, quà frigidarum, aegris pariter, ac benevalentibus adeo apud omnes Gentes ob maximam earum utilitatem, inculcarunt, ut ſolenne omnibus aliquando Populis fuerit, publice privatimque Thermas extruere. Quod modo etiam pene ab omnibus Aſiae, Africaeque nationibus retinetur, quae vel ob idipſum omnes reliquarum regionum homines longe valetudine, ac ſanitate antecellunt. Et quamvis alicubi, propter nimiam rei voluptatem atque frequentiam, in luxum molliciemque ea abierit conſuetudo; turpe tamen tibi eſt, Neptune, ab aſſeclis quoque tuis, eam quaſi in totum eſſe rejectam. Quinetiam, ſi te ea quae apud homines fiunt ſcire, aut omnino curare intelligerem, Antonium Muſam, clariſſimi nominis apud mortales medicum in medium adducerem, qui ad morem iſtum tuum aquis vulgo uſus eſt, idque notiſſimo experimento in hominum hiſtoriis teſtatum reliquit. Nam is Caeſarem Octavianum Romanorum Imperatorem, graviſſimo morbo implicitum gelida reſtituit; deindeque ſemper frigidis medicamentis curavit, quod ei ad longaevitatem aud leviter profuiſſe compertum eſt. At idem Muſa paullo poſt Marcellum Auguſti generum, ipſiſſimo ſoceri morbo laborantem iiſdem aquis interemit. A qua exitus diſſimilitudine apertiſſime intelligere poteſtis, Judices, aquas, ut caetera medicamenta, quae huic ſaluti modo fuerint, eodem in morbo alteri occultiſſimis ſane rationibus,

mor-

mortem afferre. Et ſi Tu, mi Patrue, ex fide loqui velles, nonnullos (vide quam tecum modeſte agam) tuis etiam iſtis aquis extinctos eſſe confitereris, quum vel non ſuis temporibus, vel non ſuis morbis exhibitae eſſent aegrotantibus. Cognoviſtis igitur, Judices, vetuſtiſſimos medicos non modo non reſpuiſſe aquas, ſed frigidarios etiam, & aquarios fuiſſe, cum res nivem, & aquam poſtularet: atque eoſdem aliam, atque aliam perſonam, pro temporum opportunitate, aegrorumque indigentia induiſſe. Multiplex etenim & varia res eſt Medicina; & ſinguli fere homines peculiarem quandam medendi rationem requirunt. Idque tum propter diſſimilem corporum conſtitutionem, tum propter regionum, quas incolunt, aeriſque & ciborum diverſitatem. Ut eorum ſtultitia nunquam ſatis reprehendi poſſit, qui ubi aliquis ingruit morbus, confeſtim ſolenni, ſtatoque medicamento omnibus, cujuſcumque aevi, ac valetudinis ſint, imprudentiſſime medentur: ne paullulum quidem de aegri corporis innatis, propriiſque affectionibus cogitantes. Qua modo imprudentia carere prudentiſſimos medicos audiſtis, Judices, Neptunum acerbiſſime ferre: qui veluti parricidium iis objicere paullo ante auſus eſt, quod non gelidis uſque utantur aquis, ſed tepentes aliquando, vel calidas adhibeant; quaſi nil aetas, aut valetudo, nil morborum varietas, aut temporum, Regionumque diſſimilitudo ad variandam medendi methodum, apud ſapientiſſimos Philoſophos valere debeat: ſed, veluti e Praetoris albo formula ad agendum accepta, nil ultra eam Medicis liceat moliri, aut audere. At pudet me tanto apparatu, & coram tantae dignationis Judicibus, haec ſerio declamare, quae ſane flocci non ſunt. Quare, his miſſis, ad alia progrediamur. Tu vero, Neptune tantum quod aquarum magnus Imperator es, & omnia maria ſummo imperio coerces, Tibi tuiſque Medicinae Regnum deberi cenſes? Verum enim vero non bene ratio-

nes ſubduxiſti, & gravis nimium error in iſto calculo tuo latet. Etenim non modo pars tantum Medicinae, aquae ſunt: ſed haec ipſa pars ut aliquid prodeſſe poſſit alienis viribus frequentiſſime indiget. Nam plerumque aqua iſta tua nive comite, ſeu potius duce opus habet; ſine cujus ope inutilem & noxiam eam aegrotis eſſe aud raris experimentis animadverſum eſt. Nix vero, mi Patrue, Patris mei, nequaquam tua eſt. Ideoque Juppiter nubium coactor ab hominibus dicitur, pluviaque, & nive omnia late loca conſpergere. Si Tu ergo mihi aquas tendes objicere, ego Tibi continuo nivem opponam. Et quando aquarum Tibi nomine Medicinae tutelam deberi dices, ego propter paternas nives id patrocinii ad me traham. Praeterea loqui nos de fontium ac fluminum aquis profecto non inficiaberis; ſalſae etenim illae tuae ad omnes humanos uſus quam inſulſiſſimae ſunt. At oppido incertum eſt, a marine, an potius a pluviis nivibuſque flumina ac fontes oriantur. Poſſem igitur hanc tibi quoque dicam impingere, ſcholaeque diſputationibus, & argumentorum anguſtiis, & ambiguitatibus te implicare. Qua una re jura illa tua, quae tam vehementer paullo ante jactitabas, nullo negocio ruere poſſe animadvertis. Verum, mi dulciſſime Patrue, (vide quid inter tuam aſperitatem, meamque lenitatem & largitatem interſit) omne hac in re meum jus tibi libentiſſime largior. Tam enim apertis firmiſque rationibus defenſio mea ſubnixa eſt, ut haec & nonnulla hujuſcemodi negligere, atque contemnere tuto poſſim. Eſto igitur tuae aquae ſint. Age jam quid fiet, Neptune, ſi Dii omnes tuo permoti exemplo, vel tua potius incenſi contumelia, ſuum quiſque jus vindicabunt? Neque enim me tantummodo intempeſtiva iſthaec ambitio tua aggreſſa eſt; verum Deos omnes, quibus aliquo nomine medicarum rerum, quas Tu nullas eſſe putas, patrocinium eſt. Quid ſi Libero viſum fuerit ab uvis, & vino, quae in ſua tutela

Digitized by Google

tela ſunt, Medicorum manus arcere? Quantumne cenſes vulnus hoc juſſu infligi Medicinae? Incredibile enim dictu eſt, Judices, quantam in ſe vim vina contineant. Immo, ne plus aequo aquarum tuarum honore ſuperbias, ſcito Neptune, ea omnia, quae mira fieri ab aquis modo praedicabas, egregie, cumulateque vinum etiam efficere: idque in iis praeſertim regionibus, quae ad Borealem plagam jacent. Immodica etenim frigora, quibus Terrarum totus tractus ille riget, adeo humana corpora firmant atque obſtipant, ut longe aptius, & utilius illorum locorum homines calidis medicamentis, ac potionibus curentur. Deinde haec ſapientiſſima Soror mea oleam ſibi, quam propriam jamdudum habet, jure meritiſſimo vindicabit. Detracta autem olea, truncatam, & mancam nimis opportuna parte Medicinam habebimus. Quod vero majus quoddam, ſeu totum potius eſt, ſi Ceres, quae frugum herbarumque omnium patrocinium habet, in ſuum jus Medicos vetet irrumpere, quid, amabo Te, Medicina fiet? Aut quid demum Tu cum aquis tuis rerum geres? Aquas videlicet iterumque aquas ſitientibus & nec ſitientibus effuſe ingerens, egregium ſane te medicum, haud vero nimis accuratum ac diligentem Pincernam praebebis. Extimeſcendum vero eſt, ne homines ſub tua tutela Pyrrae rurſum ac Deucalionis tempora formidare pavidi incipiant, quum, ſe ſuoſque omnes aquis undequaque perfuſos, atque madentes miſeri circumſpicient. Quamobrem Judices, ſi unquam ſecundum Neptunum cauſam dandam exiſtimabitis, quod ſapientia atque aequitas veſtra ſuſpicari me vetat, brevi dilacerandam vobis, & in fruſtra comminuendam Medicinam praenuncio. Omnes etenim Dii, qui ſpoliatos ſe ſe poteſtate ſua a Neptuno videbunt, ſuas protinus ſibi res a vobis attribui jure contendent, ut iis pro arbitrio hominibus juvandis utantur. Tunc, per Jovem impietatem, a qua tantum vos timere Neptunus voluit

Digitized by Google

propter duos in Medicina Tyrannos, egregie, Judices; tot Regulis, ac Dinaſtis conſtitutis, reſtinxeritis. Et tunc Neptunum ad vos denuo aſcenſurum confido, non quidem, ut modo, longinquis terroribus Deos perterrefacientem, & terribilia quaedam vaticinantem; ſed flentem ac gemebundum, quod jam homines ob tot dominorum inſolentiam, aquario Patrono expulſo, novaque dignitate protinus exuto, ſeſe a veſtra dominatione ſubtraxerint, atque in plenam libertatem vindicaverint. Longiuſcule, quam ab initio conſtitueram, orationis aeſtu abreptus locutus ſum: idque non tantum ob triſte hoc, & lentum Medicinae imperium retinendum; ſed ad veritatem vobis patefaciendam, neve tantorum ſcelerum in me opinionem ſuſciperem. Sane ſi Gigantes iterum Terra pareret, quibus ſedes haſce excindendas, delendaſque impius furor proponeret, aud tantus equidem pavor nobis, Judices, injiceretur, quantum ob ſomnia ſua, ac aniles delirationes Neptunus inferre conatus eſt. Cui quoniam, vobis bene juvantibus, reſpondi, nil amplius plane laboro. Eripite mihi, Judices Poeſim, eripite Vaticinium, in Terras rurſum dejicite, alia quoque ſuppliciorum genera excogitate; omnia firmo, hilarique etiam animo ferre poſſum; dummodo crudelis, ſaevus, perfidus, ſceleroſus eſſe non dicar. Egone hoc ampliſſimo loco me dignum exiſtimarem; ego conſpectum veſtrum, Judices, quo nihil auguſtius eſſe poteſt, non exhorrerem, ſi tam foeda, & immania facinora, non dicam, admiſiſſem, ſed animo tantum ac cogitatione verſaviſſem? Magna eſt, Judices, conſcientiae vis; atque adeo magna, ut etiam occulto crimine nulloque accuſatore, & judicio, vultus tamen ipſe, oculique nos prodant, & quod animo nequicquam premimus, nobis invitis patefaciamus. At me quidem praeter delictorum participationem, aud magnam hoc judicio jacturam facere poſſe cognoſcitis. Æſculapium haec tela petunt. Is,

omnia

Digitized by Google

omnia, quaecumque vobis viſum fuerit ei hoc judicio inferre, ſuo pectore vulnera excipiet. Qua re, Judices, quid poteſt indignius eſſe? Eum, qui ob medicinam in Deorum numerum relatus ſit, ob idipſum poſt tot ſecula dejici, atque infami judicio damnari? Quid tunc faciet infelix? quo ſe conferet? Ad homineſne ibit? Quos ſua crudelitate dilaceraſſe vos judicaveritis? Ad Deoſne, atque in hoc Concilium veniet? Ubi pro foribus triſte decretum adſpiciat; ideo ſe a Medicinae gubernaculis depulſum fuiſſe, quod adductis ad impietatem mortalibus, imperium veſtrum prope deleverit. Vel ad infeliciſſimum Patrem confugiet? Cum quo calamitatem, & lacrimas communes habet? Suſcipite igitur innocentium patrocinium, Judices, neve nos, alienae ambitioni inſervientes, nullo crimine, ſed frigidis jejuniſque calumniis condemnetis. Abſit a Deorum judiciis invidia; abſit omnis in judicando temeritas, quae ne in ſapientum quidem hominum coetibus locum habet. Atque eo fortius malivolentiae, atque ſaevitiae, Judices, veſtris ſuffragiis reſiſtite, quo praeclarius, majoriſque animi eſt, gravius alienis, quam ſuis injuriis commoveri.

MERCUR. Ehus vos Dii omnes, quibus ſuffragii ferendi jus non eſt, nec ſententiam aliquo pacto dicturi eſtis, protinus exurgite foras, atque abſcedite in proximum hoc conclave. NEPT. Ego jus meum tenebo, & ſinminus ſententiam, utpote reus, dicam, tacitus tamen interero. APOLLO. Enimvero id iniquiſſimum eſſet. Explora Patris ſententiam mi Frater. MERC. Quammaxime. Tibi Neptune, cum primis diſcedendum eſt; ita Juppiter, ac omne Deorum conſilium cenſet. NEPT. Quando ita cenſent, nil moror. MERC. Ego jam hoc oſtium ambobus peſſulis occludam, nequis fortaſſe curioſus rimari poſſit. Sane, Frater, diſertiſſime te tuumque Regnum tutatus es; atque ego miratus ſum,

Te

Te qui Poeta ſis,egiſſe hodie Rhetorem profecto aud inſulſe.APOL. Quid tibi viſus eſt Pater?MERC.Quid faceret, quaeſo?Cui Neptunus tam prope eſſet,ut non modo loqui, ſed ne nutare, quidem, aut nictare ei liberum fuerit. APOL. Caeteri vero Dii? MERC. Caeteri vero Dii aud mediocriter mihi oratione tua commoveri viſi ſunt, ita ut ſpei plenus ſim, Neptunum primo quoque tempore ad ſuos fluctus, & antra rediturum ſurdo agmine. APOL. Timeo ne quid Juno turbet. Et Minerva nimis ſevera fronte ſedit; nec me unquam intuita eſt. MERC. Ne verere, Diana Tibi pro ſexcentis erit. APOL. At vereor ut poſſit. MERC. Nimium formidoloſus es: quid faceres, ſi manifeſte tenereris? APOL. Ah Frater, animus mihi male conſcius eſt; nam vera magnam partem ſunt quae in me Neptunus conjecit. MERC. Aintu vera? APOL. Vera. At id ego, non culpa aut voluntate mea Tibi pro fraterna caritate factum confirmo; Filii hoc, Filii peccatum eſt. At Neptunus ad nos; cave de his mutias Frater. NEPT. Quid vos adoleſcentuli in angulum hocce receſſiſtis? Tuque, Mercuri, jam aperte, quantum quidem in Te eſt, plus Fratri ſaves, quam Patruo. MERC. Ignoſcendum ſi adoleſcens adoleſcentem, Frater Fratrem diligo. At quidnam obſecro meus favor huic proderit? Mihi non judicandi, ſed juſſa pronunciandi munus eſt. APOL. Sine, per Amphitritem te Patrue oro, ut ſaltem Fratrem germanum mearum fortunarum miſereat; neve ſi Regnum a me, & vetuſtiſſimam tutelam extorquere conatus es, odiis tendas ulterius, mihique contendas meorum eripere & lacrimas. NEPT. Vide ne ominoſum Tibi ſit Apollo, qui futura cognoſcis, tuis rebus ante peractum judicium tam luctuoſe illacrimari. MERC. At haec alias videbitis. Nunc intro properate, factum conſultum eſt. JUP. Adeſdum Mercuri, Deorum decretum quammaxima voce pronuncia.

MER-

MERCURIUS.

JOVIS. SATOURNEI. F. DEORUM. SENATOM. CONSOLOIT. DE MEDICINAI. TOUTELA. SENATOSQUE. QUOM. FREQUENTISSIMOS. ESSET. EX. PALLADOS. SENTENTIA. ITAI. EXDEICENDOM· CENSOIT. UTEI. APOLLO. EEIUSQUE. GNATOS. AISCULAPIOS. EEA. TOUTELA. CONTINOUO. DECEDANT. NEVE. CO-UIQUAM. EEORUM, DISCIPOLO. POUBLICE. MEDICINAM . EXERCENDEI . JOUS . AMPLIOUS . SIET . PREIVATEIM. VERO. SEIQUIDEM. VELINT. EXERCENDEI. JOUS. SIET. POUBLICE. AUTEM. PREIVATEIMQUE. DE MEDICINA. RESPONSITANDEI. JOUS. PENES . NEPTUNOM . EEOSQUE . QUEI . EEI . REI. PRAIFICIENTOR. ESTO. SEI. QUEIS. NEC. AQUARIOS. MEDICOS. SECUS. AC. DI. JOUSSERONT- FACERE. AUSOS. SIET. CONTINOUO. ENDO. IGNEAS. AD. EXTREMOM. MERIDIEM. TERRAS. DEPORTETOR REI. JO. UDICATAI. DIES. X. JUSTEI. SUNTO. MERCOURIOS. HAIC. JOUSSA. PER. OMNEIS. GENTEIS PROMULGATO. •

SCRIB. DI . OMNEIS . ADFUERONT. PRAITER. DIANAM.

POST. GEIGANT. VICTOR. OLYMP. CIↃIↃIIX.

FINIS.

Digitized by Google

JANUARII PARRINI
J. C. NEAPOLITANI
FORTUNA
DIALOGUS.

Digitized by Google

Ασκεῖν μὲν ἀρετὴν, ευτυχεῖν δ' αἰτεῖν θεοῖς

Carcin. in Tereo.

JA-

Digitized by Google

JANUARII PARRINI J.C.
FORTUNA,
AD THOMAM FIRRAUM
Sanctae Agathae Principem, Fagnani, Roſae, Sancti Geniti, Lutiorum, Jogis &c.
DOMINUM,
VIRUM EXCELLENTISSIMUM.

MIrari saepe ſoleo, Thoma Firrae Princeps ampliſſime, quamobrem fiat, ut, quum in omnibus ferme artibus doctiores, atque excellentiores ii habeantur, qui ad eam diſciplinam, quam profitentur, alias praeterea artes adjunxerunt, in una Jurisprudentia secus se res habeat, atque ineptiores vulgo apud nos Juriſconſulti aeſtimentur, qui aliarum quoque doctrinarum peritia cenſentur expoliti. Quod quam pravum ſit, & perversum, quam a ratione, reique natura alienum, & abhorrens, nemo non videt. Nam ſi quos in Civitate doctrina, & ſapientia decet excellere, ii profecto ſunt Juriſconſulti, quibus quotidie privatorum opes, atque exiſtimatio, ac ipsius nonnumquam Reipublicae cura committitur. Doctos vero, & ſapientes puerilis equidem literularum inſtitutio, & forenſis ſive calliditas, ſive exercitatio non efficit, ſed graviſſimorum Philoſophorum praecepta, veterum, novarumque Rerumpublicarum leges atque inſtituta, hiſtoria, totiusque humanae vitae diuturna ac diligens observatio. Nec enim mihi ſatis Jurisconsultus videtur is, qui non ſolum appoſite interpetrari, verum etiam emendare leges, novasque, ſi fuerit opus, condere non poſſit. Quid vero

vero

ro de eloquentia dicam, quae modo Jurisprudentiae adjuncta eſt? ut quae olim in duo hominum genera diſpertita fuerant, juris peritia, & dicendi copia, nunc ſimul in uno Jurisprudente requirantur. Variam autem, atque multiplicem maximarum rerum ſcientiam, excultumque literis, ac probe ſubactum ingenium in Oratore requiri, & veterum orationes, & mira eorum paucitas, qui eloquentiae laude floruerunt, abunde probaverit. Quocirca quod ſtudium, quae doctrina inutilis, & extranea in Jurisconſulto dici poſſit, cujus tam late patet officium, plane non intelligo. Suaves autem illi ſunt, Vir Excellentiſſime, qui rei magnitudinem cauſantur, & tantam forenſium rerum molem, ac varietatem eſſe ajunt, ut quantum opera atque ingenio contendatur, vix eorum ſtudiorum satagi poſſe affirmare non erubescant. Quibus vereor, ne ſi libere respondere velim, durior aliquanto, atque acerbior eſſe videar. Satis modo erit, ſi C. Plinii majoris conſuetudinem, quem tu, Vir Clariſſime, tantopere admirari soles, iis reponam. Eum etenim Plinius junior narrat, ad ducenta volumina, quum maximarum rerum adminiſtratione diſtineretur, condidiſſe; tam vero incredibili temporis parſimonia fuiſſe, ut non modo ſomno quicquid poſſet, mensae, balneis, horarum ſucciderat; ſed inter ipsa negotia, &, quod mirum fortaſſe fuerit, vel Romae ſella circumjens, vel longius quoque iter faciens, ne quid literis deperiret, amanuenſi dictaret. Porro numquam, ſi diligenter ac sedulo id agas, tempus volenti defuerit. Quod vel tuo, Firrae optime, exemplo confirmare licet; cui ampliſſimae rei familiaris curam gerenti, & maximis vitae officiis implicato, amicis nihilominus, boniſque literis operam dandi tempus, ceſſandique etiam abunde ſuppetit: & nos in ſtudiis noſtris quotidie experimur. Diviſis etenim lucubrationum temporibus, sane percommodum eſt, jurisprudentiae affatim ſatisfacere,

cere ; & in philoſophiae , meliorumque artium ſinum poſtea confugere. Quo minus aequo animo eorum reprehenſiones ferimus, qui male nos egiſſe clamitant, quod deserta, ut ipsi ajunt, Jurisprudentia, quae noſtra Sparta eſt, alienas Provincias ſusceperimus exornandas. Nam, Deum Immortalem! ſi omnino tacuiſſem, & me inertiae dediſſem, iſti ipsi qua me ratione reprehenderent non haberent; nunc quia aliquid scripsi, nec nihil agere potui, in crimen adducor. Non modo vero falsum eſt, me Jurisprudentiam neglexiſſe, ſed, quod mei defendendi causa ſine arrogantia dicam, nemo profecto aequalium meorum in eam ſcientiam magis aſſiduam, & diuturnam ac ego, operam impendit; quod brevi patefactum iri confido, ſi Deus O. M. quae jampridem ſcribere aggreſſus sum, longiorum noctium opera, dederit ad calcem adducere. Tu interea, Princeps ampliſſime, mei patrocinium, quod jamdudum ſuscepiſti, conſtanter proſequere, atque hunc libellum, qui Tibi, cujus maxima in me extant merita, multis nominibus inſcribendus fuit, a malevolorum, ſi qui ſunt, calumniis protege. Nil etenim nobilem, magnumque virum magis decet, quam literarum, atque honeſtorum hominum tutela. Id igitur a Te quaſi jure debitum petere poſſe mihi videor; quum vetuſtatem ac nobilitatem Tui generis ab uſq; Raone illo Normanno repetamus: quem ſacro bello, quod ante ſexcentos annos sub Gotifredo Bolionio a nonnullis illuſtribus Europae Regulis ad recuperandas Hyeroſolymas geſtum eſt; cum Tancredo, & Boemundo propria arma conſtat ad eam expeditionem conſociaſſe. Hujus deinde Raonis poſteri (qui & Filraones, & Firrai poſtmodum ſuccedentibus temporibus appellati ſunt) secundo honorum cursu, ampliſſimisque rebus geſtis, veterem nominis gloriam mirifice adauxerunt. Nam Rogerius, ut Berardinus Martiranus auctor eſt, Brutiis, quos citeriores, atque ulteriores Calabros vocant, ducenteſimo supra

pra milleſimum anno, pro Rege moderatus eſt: & Troilus ac Julianus, compluresque praeterea ex hac Gente, Andegavenſium, & Tarraconenſium Regum aevo ampliſſimos honores geſſerunt, primariisque familiis innexi ſunt. Quorum gloriae aemuli ſimul, heredesque deinde extiterunt Petrus Antonius, Thomas, & Caeſar Thomae avi tui Patruus (qui Regiae venationi memorabili quidem magnificentia praefuit) ſummo omnes ſplendore vitae, praeclariſſimisque factis inſignes. Merito igitur tantam modo Domus Tuae dignitatem atque amplitudinem intuemur; quum repetitis Caracciolorum, & Caraphaeorum cognationibus, adauctaque plurimum vetere ditione, ântiqua familiae decora continuato insuper propinquorum, ac divitiarum ſplendore magis usque confirmentur. Verum praecipuum Gentis Tuae decus Tu ipse, Thoma optime, es, qui tuum non ſatis eſſe quicquid ab aliis provenit, reputans, ita ab ineunte aetate te comparaſti, ut potius ipse Te poſteris tuis praeclarum nobilitatis auctorem praeſtares, quam majoribus heredem. Nam vix adoleſcens longe ſuper aetatis captum excelluiſti ingenio, equeſtrium artium peritia, pudore, humanarumque literarum ſtudiis: vir, judicio, fortitudine, doctrina, liberalitate, omnibusque illius aetatis officiis egregie floruiſti; nunc in iſthac maturitate mirifico virtutum omnium concentu, ſummo conſilio, exacta prudentia, animi magnitudine, morumque aequabilitate adeo excellis, ut vere Sapiens, & cuicumque ex laudata illa antiquitate comparandus videare. Quae tantum abeſt, ut triſtem Te ac ſeverum effecerint, ut potius nemo meo quidem judicio, Te facilior, atque hilarior ſit, urbanoque ſale affluentior. Condis etenim prudentiſſimos, graviſſimosque ſermones Tuos tempeſtiva ac decora feſtivitate, vel apologos opportune & venuſte admiſcens, vel breviter atque acute dicta. Quinetiam clariſſimi Galeacii Tarſiae Belmontis Domini, propinqui

Tui,

Tui , & Pelii Firrai , ac Caesaris Patrui poeticam laudem aemulatus , nitidiſſima , & ſuaviſſima Etruſcâ lyrâ pangis carmina : quae , ſi aliquando in lucem emitti modeſtia tua patietur , magnum profecto erunt feliciſſimi in hac quoque parte ingenii tui documentum . Hinc nil mirum eſt , ſi in Petro Maria , Sancti Geniti Domino Filio Tuo , quem mira diligentia ad paternarum , avitarumque laudum aemulationem inſtituis , tantam jam nunc morum ſuavitatem , atque modeſtiam , tam egregiam ad omne decus efflorescentem indolem intuemur , tamque illuſtria praeſtantis ingenii specimina . Iccirco tantam ego in Te humanitatem , atque ſapientiam , excelſumque ac prudentem animum admiratus , unum omnium praecipue colendum , atque obſervandum ſuscepi , ut adoleſcentiam meam , tam perfecto atque excellenti exemplo propoſito, ad honeſtatem, & gloriam excitarem. Hoc igitur opusculum , primus fuerit , Firrae ampliſſime , publicus erga Te obſervantiae meae teſtis , qui , ſi vita ſuppetet , ne poſtremus ſit , curabitur a me diligenter . Piaculum vero foret , Joſephum Firraum Archiepiſcopum Nicenum , Fratrem Germanum Tuum ſilentio praetermittere , haud mediocre quidem tuarum laudum , ac familiae claritudinis additamentum . Is etenim optimis artibus , copioſaque omnigenae eruditionis ſuppellectile inſtructiſſimus , Romanae Urbis celebritatem delegit , ubi tantas , tamque praeclaras ingenii dotes explicaret . Ibi a Romanis Pontificibus ſummam viri induſtriam , vividamque mentis aciem admirantibus , graviſſimarum rerum adminiſtratione exercitus , demum a Clemente XI. ad Luſitanam legationem emiſſus eſt . Qua difficillimis ſane temporibus prudentiſſime obita , nuper a Clemente XII. ad amplificandam Eccleſiam a D. O. M. ad ſummum Sacerdotium evecto , ad deſtinatam tantae virtuti (ut ſuſpicari licet) omniumq; ſuffragiis , jam deſponſatam Romanæ Purpuræ dignitatem Romam eſt evoca-

 tus

tus(*).*Talis ergo quum ſis , taliqu prognatus genere , nil omnino verendum eſt , ne mihi , atque huic libello , qui jam tuus jure optimo eſt , libentiſſime patrocineris . Nam ego meum inſtitutum retinens , ut ſuperiore aeſtate Neptunum pro medicinae tutela cum Apolline altercantem induxi ; (quod opus nobiliſſimo lectiſſimoque adoleſcenti Thomae Caracciolo Caſarboris domino amitino Tuo dicavi) ita & hac , ne feriatus ceſſarem , majus , ut videtur , ac utilius opus aggreſſus ſum . Vetus etenim eſt opinio , ab Homericis temporibus ad haec uſque perducta , pleraque in hominum vita a vi quadam occulta ac temeraria peragi , quam Graeci* Τύχην *noſtri Fortunam vocaverunt . Huic vulgus infinitam quandam , atque immenſam tribuere conſuevit poteſtatem , ut nil agere , aut perficere , & nil pene cogitare ſine hac adjutrice homines poſſe cenſeat . Philoſophi vero , ac prudentiores haud ita raro caſum & Fortunam in medium ſolent adducere,quum certarum rerum cauſas non bene perſpiciunt . Nam ut miſſos faciam illos , qui fortuito atomorum concurſu , & hunc Mundum effectum eſſe , & innumerabiles quotidie gigni affirmant : ex aliis quoque ſectis doctiſſimi alioquin philoſophi non defuerunt , qui ſublunaria omnia temere , nulloque ordine miſceri dicerent ; vel majora tantum naturali certaque lege ire , minora verò ac minima Fortunae , & caſui eſſe permiſſa . Has quidem ſententias vix in philoſopho ferendas , quis obſecro Te , Firrae pientiſſime , in Chriſtiani hominis ore non abominetur ? Quum nos porro non a dubia fallacique opinione , verum a Sacrorum Librorum auctoritate, ipſiusque Dei voce doceamur , aeterna atque immutabili*

(*) Scriptum hoc eſt anno 1730. & ſequenti anno ampliſſimus Joſephus Firraus S. R. E. Cardinalis a Clemente XII. renunciatus eſt.

Ii rerum ſerie a Divina Providentia ſapientiſſime diſpoſita , atque ordinata eſſe omnia . Non igitur nullam operae precium me facturum cenſui , Firrae Excellentiſſime ; ſi , extra omnem diſputationis aleam Providentiae veritate ſepoſita , naturalibus atque humanis rationibus rerum ordinem aptum undique ac neceſſarium aſſererem , & quantum quidem in me eſſet , totam hanc de Fortuna opinionem refellendam ſuſciperem . Attamen quum omnia a mundi Conditore , & Gubernatore Deo regi , atque ad certam ſtatamque legem , ab ipſomet cunctis creatis rebus datam , moveri saepius affirmare debuiſſem , & Dei , Divinaeque Providentiae appellationem jocosae ac feſtivae orationi immiſcere indecorum , & tantum non impium videretur , Naturae nomen arripui , cui illa omnia , quae ab humano arbitrio non pendent , tribuerem . Multum autem intereſſe Naturam inter , & Deum , illamque ab hoc effectam eſſe , & conditam , profecto notior , atque apertior res eſt , quam ut longiore ſermone egeat . A Te modo expeto , cujus humanitatem ſatis compertam habeo, ut quamcumque meam hanc de Fortuna commentationem aequi bonique conſulas : neque ſi nil reconditum , atque novum , Tibi praeſertim Vir doctiſſime , ea ferat , ideo induſtriam , laboremque meum abiiciendum , ac repudiandum arbitreris. Res etenim eſt ejuſmodi , ut quum maxime ante oculos ſit , minime quandoque cernatur , & neſcio quo ingenii humani fato , docti etiam acutique viri , rerum veritate neglecta , ad opinionum errores nonnunquam ſane deflectant . Inde nil frequentius vel in libris conſpicere , vel in hominum ore audire eſt , quam aliquid fortuito , caſuque accidiſſe ; illi adſpiraſſe , hunc vero peſſumdediſſe Fortunam ; alteri bonum conſilium , bonoſque mores ab ea in exitium eſſe converſos , alteri imprudentiam , atque malitiam feliciter , ipſa imperante , ceſſiſſe . Quae, etſi a prudentibus , ſi altius inquiras , calore , & in-

cogitantia quadam dici comperias, nonnullam tamen malis atque improbis fiduciam pariunt. Quid enim ſperarent mali ſub juſto ac ſapientiſſimo Moderatore, quid ſibi a ſua improbitate, atque ignavia pollicerentur, niſi a Fortuna proſperas res, ſecundaſque occaſiones nequitiae, atque inertiae ſuae praebitum aliquando iri confiderent? At ne verba praeripiamus Fortunae, quae veriſſimum de ſe ſermonem habitura jam prodiit, longiorem orationem noſtris familiaribus colloquiis reſervemus, ipſamque modo attente audiamus.

FOR-

FORTUNA, ET SIMO.

SIM. NAM quid hoc monſtri eſt, quaeſo ? nudas incedere interdiu mulieres ! Sequar hercle : hui ! rota vehitur ; & poſticum quidem calva eſt, frontem vero plus aequo capillatior. Moriar, ni ea Fortuna eſt. Quid igitur ceſſo ? An eam ſinam effugere ? Jam mulierem quantum poteſt corripiam. At, o generoſa, tandem aliquando te tenui : integros me ſeptuaginta annos mala male fruſtrata es. Nunquam vero hodie, per Jovem, effugies. FOR. Heus tu ſiccine aequum eſt ? quid tibi alienas mulieres tactio eſt ? SIM. Lubet. FORT. Num hic obſecro Regnum obtines, qui pro arbitrio in re ſua occupatos tam ſuperbe detines ? SIM. Falleris, o fors Fortuna, ſi me, hoc aetatis quum ſim, nugis iſtis inductum te aliquo pacto fore dimiſſurum putas. Aſt aſt : Hercules adjuva me. Quam pene effugit ! Improba : jam ego, relicto pede, comas invadam. Fuge modo, velum infla, age, rotam impelle. FORT. Numnam, obſecro, tecum etiam addictam trahes ? SIM. Ni ea quæ tibi ocioſus imperabo faxis, compedibus injectis efficiam, ut periculum ex te ipſa facias, quid ſit anguſtam pauperiem pati, alienoque arbitrio precariam animam ducere. FORT. Ferox nimium es mi Senex, & ſane praeter aetatem. SIM. Immo quid te durius, aut ferocius ? Porro ego a primis unguiculis ad hanc effaetam uſque ſenectutem, te opere maximo dies nocteſque precatus ſum, ut me ab hiſce ſordibus, honeſtum honeſtis deditum ſtudiis ad mediocres ſaltem opes educeres ; tu vero, quae modo ferocem me appellas, ecquando fruſtum aliquod meminiſti, vel ecquas micas dediſſe ? FORT. Ego vero nuſquam popinam

exercui, & convivia haud ferme memini ad haec uſque agitaſſe, ut tibi, vel fruſtum aliquod dare potuerim vel micas. SIM. Papae! delicias agis? At ego omnes tibi iſtaſce delicias excutiam probe. Age jam, ſceleſta, deſcende rota,& mecum aequo jure colloquere:iſthinc etenim quaſi è tribunali ferre potius leges consueviſti, quam accipere. Deſcende inquam, deſcende. FORT. Nam cur me miſeram Regno meo immeritam exturbas? Quod nec Craeſus quidem olim, aut Polycrates, nec alii, quorum maxime ſtudiis velificari viſa ſum, facere auſi ſunt. SIM. Ideoque Sardus ille ante ipſam Regiam rogo impoſitus, hic in excelſiſſimo montis vertice in crucem actus, te conſpexerunt vertentem terga, alioque venenatas blanditias ferentem. At jam non deſcendis? FORT. Quidvis potius jubeto, per Venerem. SIM. Au, au! Per Venerem obſecras ſenem vietum, veternoſum? Tu vero deſcende per Plutum. Quod ſi inanes morae cauſas perges ulterius nectere, per Proſerpinam jam te capillo praecipitem traham. FORT. Quando ita infeſte, ita crudeliter cogis, deſcendo: At Deos homineſque teſtor, nunc primum me ad tam inhoneſtum facinus tam indignis modis eſſe adactam. Hei, hei.

SIM. Ne plora, o rerum omnium dominatrix, ne plora: immo potius bonum animum habe, Regina. Ego enim non quo te contumelia afficerem, ſed ut aliquo pacto ſiſterem tam vagam, & mobilem Deam deſcendi in hoc conſilium. Quare age, mecum hic aliquantiſper ſede, dum pauca quaedam ex te familiariter exquiro; ad quae velim vere, & ſine fuco reſpondeas. FORT. Faciam hercle quod jubes, quandoquidem omnia mea tibi Dii permiſerunt. SIM. Primum omnium, o Deorum Dearumque maxima, tibi perſuadeas velim, neminem extare, qui te tantopere colat, atque ego. Nam tibi ego Mercurium, Apollinem, Martem,Minervam, Junonem, Jovemq; ipſum poſthabeo: omnia mihi vilia, contemnenda, obſcura, nihili

hili prae te videntur. FORT. Curnam obſecro? SIM. Quia ego te unam haec omnia ſimul eſſe arbitratus ſum; nec Fatum, Cererem, Pana, Jovem, caeteroſque, alios a te eſſe credidi, ſed te ipſam multis nominibus appellatam. Quamobrem ſpero te ſenectuti, ac paupertati meae aequam fore; & ſi me, propter maximarum rerum adminiſtrationem, adoleſcentem praeteriiſti, ſenem modo ſublevaturam confido atque adjuturam. Ita ut immortali beneficio tuo, caepis tandem ac porris vale dicam, laceramque hanc tunicam, paene mihi coaevam, abjiciam; menſaque atque veſtitu lautiore aliquando excipiar, ſervoſque habeam quamplures, argentum, villas, currus, & hujuſcemodi; quae tu omnia, ſi me benigne ſolummodo reſpexeris, affatim praebebis. FORT. O mirabilis ſenex! Ut repente cicur blanduſque effectus es! Mecaſtor nunquam virum te placabiliorem offendi: verumtamen quo tibi pacto opituler, & quae cupis efficiam, plane ignoro. SIM. At ego doceam magiſtram. Vel me potentem repente effice, vel theſaurum indica: aut ſi neutrum vis, alicui ex iſtis Satrapis me commenda, qui me amet, me cogitet, mihi omnia ſua committat, me unum omnium ſuſpiciat. FORT. Jocari porro te puto, quum ea a paupercula muliere petas, quae longe quantum ab omnibus ſuae poteſtatis finibus diſtant! SIM. Quid? nonne tu rebus hiſce omnibus ſola dominaris? Non tu omnium vocibus dominatrix, ac Regina invocaris? Una laudaris, una argueris, ut quaeque proſpera, aut adverſa evenere? Tu impeditum expedis, turpem efficis honeſtum, & vertis in divitias paupertatem. Tu mari, tu aeri, tu terrae moderaris. Non Oratori facundia, te renuente obvenit, non Philoſopho ſapientia. A te belligerantes, a te in pace degentes, amantes, ambientes reguntur: tibi artes, tibi ſcientiae, tibi quaevis humana facultas plurimum debet: tu enim duobus illis doliis praees, quae in Jovis limine dicuntur eſſe: Inde Craeſo aurum, Candaulae uxorem,

Pe-

Peleo enſem, Neſtori ſcutum, dilargita es, Alcibiadi pulcritudinem, Socrati prudentiam, Ariſtidi juſtitiam, mihi paupertatem: Tuque ipſa, ubi in mentem venit, haec omnia eripis illico, atque ad alios transfers. Quid igitur,o Mundi domina, egone jocor, an tu ſuperbe miserum ludis? FORT. Non ego jocari te amplius, ſed inſanire jam arbitror; ita multa non extra rem tantum effudiſti, ſed prorsus extra rationem. SIM. Precibus malaciſſanda es. FORT. Tu autem elleboro curandus es. SIM. Novi mulierum morem, ſcio, exoraberis. FORT. Quid exorer, mi homo? Quo rationem, quo mentem expuliſti tuam? SIM. Serione loqueris? FORT. Quidni ſerio? SIM. Tempus male perdis; ſcito enim, belliſſima, cum Simone te loqui, cui imponere nulla unquam ope poteris. FORT. Neminem ego ſoleo fallere, vos vobis ipſis inextricabiles dolos nectitis. SIM. Deſine jam, Fortuna, me hoc pacto fruſtrare, aufer, quaeſo, cavillum. Nam, quod in rem tuam fuerit noſſe, jam bili pectus mihi omne tumet. FORT. Nihil bili opus eſt, o ſapientiſſime Simo; interroga potius, ut dixeras, ſi quid lubet; iſta prorſus omitte.

SIM. Quando me per anfractus ire mavis, interrogemus. At quum meam de te opinionem acerbe irriſeris,antequam aliud quippiam interrogem, cedo, eloquere, quaenam ipſa tandem, & qualis ſis, mortalisne an Dea,quae,quantaeque ſint vires; ut deinde facilius ad caetera progrediamur. FORT. Quî Tibi in mentem venit iſthaec potiſſimum interrogare? Exquire, quaeſo, alia omnia. SIM. Minime gentium alia: ad haec ego jubeo, aperte, ac perſpicue reſpondeas. FORT. Enicas enimvero me importunis hiſce interrogationibus tuis, ſenex duriſſime. SIM. Jam non dices, quae juſſi? An me vis, praeclara, manibus rem gerere? Noſti triſte ingenium, ac tot annorum paupertate exaſperatam ſenectutem. FORT. Dii te omnes eradicent, ita me nunc atrocibus minis territas. Attamen dicam potius, quam tuae intemperantiae, & contuma-

ciae

ctae me committam . SIM. Incipe jam , tricas mitte. FOR. Ego quidem (ah pudet , pudet !) nihil revera ſum , niſi ſimulacrum quoddam (vide quo me adegeris , improbe !) & ſomnium effictum ab humani animi perturbatione , ac vanitate . Vos , adjuro , me Deam inscientem feciſtis , atque in Deorum collegium allegiſtis immerentem . SIM. Vah callidum conſilium ! At progredere , FORT. Vires autem meas , & quam late opibus polleam , ut ipſa taceam , nuditas mea tibi diſertiſſime aperit . Nam quae malum ! veſtra eſt hominum caecitas, me, quae tot jam ſecula ne vile quidem amiculum potuerim comparare , quî ſaltem muliebria tegerem , aurum , argentumque credere meis legibus addictum mecum trahere , utque lubitum mihi eſſet diſpenſare ? Quinetiam. . . . . SIM. Ne oratione incaleſcas ; video quam rem agas : iſtiuſmodi enim fabellis eum in me animum inducere cogitas , ut te credam pauperem quamdam è trivio mulierculam eſſe , & omnium rerum egentem . Atque ita quum Te (ſi Diis placet) dimiſerim rideas ſcilicet credulitatem , ne dicam ignaviam meam . At , ne operam diſperdas , ſcito , o ſapientiſſima , hoc te pacto in magnum diſcrimen tuum caput adducere . FORT. Nimium malum oportet eſſe te , qui obſtrepis tam impudenter veritati . Ego vero per quicquid in Coelo Deorum eſt affirmo & juro , me tibi puram putam veritatem elocutam eſſe . SIM. Etſi ego juranti nunquam fidem praeſtiterim , ac praeſertim mulieri ; tibi nihilominus , ne me aſperum rurſus , malumque appelles , illud praecipuum dabo , ut rationes audiam tuas , nec continuo mentitam eſſe credam . En igitur philoſophi perſonam induam , & tecum , veluti cum altero philoſopho non cum Fortuna colloquar : Placet ne ita ? FORT. Parum credo negotii facturum te mihi arbitratus es , niſi philoſophos inſuper , contentioſum hercle genus hominum , adjunxiſſes , veluti ſuppetias importunitati tuae . Verum quicquid mihi faciendum

eſt ,

eſt, ut effugiam baculum iſtum tuum, capiti meo ſaepius jam intentatum.

SIM. Nil equidem tam Fortunae, & caſui contrarium eſt, quam ordo, & lex. Ut quod Fortuna, casuque non accidat, id lege, atque ordine neceſſarium ſit fieri. Si ergo non tu, nec temeritas tua, Mundum ac omnia humana regunt, ſequitur, ut cuncta certis legibus eant, ordinemque perpetuo ſervent. Num tibi falſa proloqui videor? FORT. Immo veritatem ipſam. SIM. Perridiculum autem eſt, umbram aliquam ordinis iſtius ac regulae velle in rebus invenire; nam ab antiquiſſima omnium aetatum memoria, ſine lege, & ſine conſtantia ſurſum deorſum jactata fuiſſe omnia compertum eſt; quid vetat itaque, ne ad te deferant homines chlamydem, ſceptrum, ac caetera dominationis inſignia? FOR. Euge, ſatis quidem dialectice, & ſatis etiam inepte. At ego te, mi Simo, unum ex purpuratis illico renunciarem, ſi quod Regnum mihi ſingulari liberalitate obtuliſti, aliquo pacto poſſem invadere. SIM. Etiamne ludis? Videsne, te non cum puero, ſed cum edentulo, canoque ſene loqui? Jocos miſſos face, o Fortuna, ſerio jam reſponde. FORT. Iram cohibe, Simo, ſaciam, ut jubes. Res humanas vario agi, verſarique motu nunquam abnuerim. At nil ſane rei eſt, ut me ideo cogatis in scenam prodire; quum ſingularum rerum causae aliae ex aliis aptae & neceſſitate ſint nexae, quas vos ſaepiuſcule non perſpicitis. Expende quaecumque accidunt, vel mille ante annis acciderunt, animadvertes, vel Naturam, vel hominum arbitrium earum rerum viciſſitudinem peperiſſe: & cuncta eo pacto moviſſe, atque agitaſſe.

SIM. Callida nimium Dea es ac verſuta; verum neſcio an Simone callidior, & verſutior. Quid, amabo, commune inter se habent Naturae leges, humanique animi affectiones cum iis, quae rebus aeterno quodam turbine accidunt? Cum imperiis huc illuc identidem trans-

la-

Digitized by Google

latis; cum varia praeliorum fortuna, Regum favore, potentia, divitiis, & hujus generis? Sane dici non poteſt, quam varia, quam diverſa, quam inopina, quam nova ubique harum rerum facies ſit. Gentes, Regeſque paſſim videre eſt a ſummo gloriae faſtigio dejectos repente atque afflictos; rurſumque Gentem aliam ad potentiae nominisque decus ſine certa cauſa erigi, atque imperio clareſcere: qua paullo poſt, certo aevi ſpatio emenſo, raptim deturbata, novum aliquem Populum aut Tyrannum temere oboriri, cui rerum ſumma conceditur, eadem ſane lege qua caeteris. Bellorum, divitiarum, favoris omnino ſimiles caſus ſunt. Quum modo hos, modo illos fortuito ad ſummas opes emergere videas, rurſumque ad ſordes quandoque adigi; & veterem paupertatem. Ducum quam lubrica, quam fluxa ſors eſt? Iſti profecto in ipſa tuae novaculae acie ſunt. Eundem videas hic egregio facinore fudiſſe hoſtem; illic, te ita imperante, revinctis poſt terga manibus, per ludibrium ante currum victoris agi. Nec favor firmioribus nititur fundamentis. Quos corculum, amores, delicias hodie appellari; cras turpiter pulſos audias, aut crudeliter interfectos. Caetera, ne ſingula fruſtra proſequar, eadem inconſtantia feruntur; nec aliquid in Orbe Terrarum eſt, quod non feratur hoc viciſſitudinis, ac temeritatis Euripo. Haeccine Tibi, noſtrum arbitrium efficere, o ſcientiſſima, ac Natura videtur? FORT. Cominus, ecaſtor certare tecum oportet. Tu enim ubi paullo liberius loquendi locus datur, vehementer ſane inflas, & longe quantum praeterveheris. Quapropter ne in infinitam, nulliſque circumſeptam limitibus diſputationem abripiamur, ſingillatim, obſecro, genera ipſa rerum inſpiciamus, quae ſub mea ditione eſſe credis. Atque ego ad ſingula capita cauſarum praecipuas tibi exponam, a quibus, veluti fontibus, facillime rivulos derivare poſſis ad caetera. Nam vel de omnibus inſimul loquendo, vel mi-

nutiſſima quaeque inſectando, nullus ſermo, nullum acumen par eſſe poteſt. SIM. Mea quidem nil refert quo pacto dicas: taedet tantummodo longioris morae. Sane nollem Fortunam, ſegniter terendo tempus, amittere; at ſi ſanus ſum non amittam, nec capillum fortiter adprehenſum per imprudentiam elabi ſinam. Quare quidvis faciam, quid enim intereſt, hora ſerius, aut ocyus dives fiam? FORT. Nunc inaurandus eſſes, o Simo: ingredere igitur interrogationem, quo tu ordine mavis.

SIM. Initium nobis erunt imperia, & Regna, quae juris tui eſſe nemo ambigit. Quis enim in hiſtoria tam rudis eſt ac plane hoſpes, qui omnium imperiorum ortus atque obitus ab uſque primis illis Aſſyriorum temporibus tua temeritate, & libidine eveniſſe non noverit? Quis Ninum, nova dominandi ambitione flagrantem, circumjectis pacatiſque gentibus impoſuit? Quis Cyrum deinde excitavit, qui florentem vetere imperio gentem audaciſſime perculit, nomenque ac potentiam ad Perſas traduxit? In quos ipſos poſtea Alexander a te immiſſus eſt ex anguſtis Macedoniae finibus, opibuſque ſane per quam mediocribus. Demum Gentium omnium dominos, ac Regum cunctorum everſores Romanos, e latronibus rerumque capitalium reis, effeciſti; ut in hoc uno populo infinitae in hiſce rebus potentiae tuae magnum ſane ſpecimen, Fortuna, praebueris. I nunc, & in Regnis, vel condendis, vel proruendis, arbitrium vel Naturam comminiſcere. FORT. Nil mecaſtor comminiſcar; ſed quicquid dixero, vel te Judice me probaturam confido: etenim ſi diligenter imperiorum omnium originem caſumque perpendes, eandem fere naſcendi in omnibus, eandemque rurſus ruendi rationem deprehendes. Nam imperii initia virtus, aut ſimulatio virtutis, robur, ſolertia, ingenium, vigilantia, audacia, fraus etiam aliquando comitantur, atque perfidia: Caſus vero luxuria, ocium, imperitia, imbecillitas, faſtus, diſcordia. Atque ut a

Nino,

Nino, quem tu principem dixiſti vicinos imperitandi cupidine invaſiſſe, incipiamus; quid tandem mirum accidit, ſi diſſitas ille paſſim per agros, Patrumfamiliarum domos, quae non moenibus, nec turribus defendebantur, ferro, & audaciſſimorum catervis aggreſſus, in poteſtatem redegit ſuam? Auctiſque a victoria viribus, veluti torrens, quamplurimas late gentes eodem impetu oppreſſit? Haec initia duo dehinc mirifice confirmarunt: Regum adſpectus procul in Regiam abditus, quo major in ignotum eſſet reverentia:& militum annuae mutationes, ne Ducibus nimis aſſueſcerent, in dominantium perniciem: adde innatam toti Aſiae ſerviendi cupidinem, atque ab hac prima Aſsyriorum aetate erga dominos inveteratum obſequium. SIM. Profecto non abſurda locuta es, quare miſſa haec faciamus; de Cyro exequere jam.

FOR.Non hic ego tibi(ut jure poſſem)geſta Cyri ab ea inſtitutione dicam proveniſſe,quam vir ſapientiſſimus memoriae mandavit, potius ad poſterorum diſciplinam, quam ad hiſtoriae fidem: ne me dicas a fictis praeſidium petere. A rebus ipſis uti effectae ſunt, rationes ſumam. Principio Cyrus, egregiam indolem regioſque animos vel inter mapalia & paſtores retinens, Aſſyriorum regnum non ut praedo invaſit,ſed uti nepos obtinuit. Deinde haud leviter Populorum animos miſericordià commovit infantis expoſitio, & quaſi a debita ſuis fatis ſucceſſione abdicatio; ita ut jure ad eum deficere crederent, quem, niſi maturius Regnum occupaſſet, ſerius nihilominus ſciebant avitas opes omnino habiturum. Caput vero rei eſt Aſtyagis ſaevitia, & infames coenae, quibus Patri filius ad barbaram ultionis oſtentationem appoſitus eſt. Hunc poſtea Patrem per ſummam imprudentiam Regio exercitui ab eodem Aſtyage praefectum,miraris a tali Rege ad Cyrum deſciviſſe, quem ipſe ad Regnum capeſſendum hortatus fuerat? Adde Cyri lenitatem atque clementiam. Avo cuncta ex priſtina fortuna reliquit, praeter Regnum; ſo-

cios

Digitized by Google

cios hujus expeditionis, prout antea pollicitus fuerat, ſumma liberalitate, & benevolentia proſecutus, promtiores effecit ad reliquas. Inſpice viri judicium, & imperatorias artes. Craeſum totius Graeciae ocellum incolumem dimiſit, ne pugnaciſſimae gentis odia atque inimicitias ſubiret: Perſas ignobilem tunc temporis gentem, optima diſciplina & perpetua exercitatione, brevi fortiſſimos Aſiae milites reddidit, quam pene univerſam perdomuit. Dum haec Cyrum comitata ſunt, merito viris ſuperior extitit: ubi ea deſeruere, & pertinacia, atque ſuperbia ſubiit animum, foeminae turpiter ceſſit. Nunquid ulterius de Cyro? SIM. Non. FORT. Ad Macedonas igitur tranſeamus, quandoquidem caeterorum Regnorum originem feſtinatio tua contemnit, SIM. Si me vis aequo animo audire, quae dixeris, quantum potes feſtina, nec enim diutius pauper eſſe poſſum. FORT. Geretur tibi mos; nam ego aeque me hinc cupio expedire. Profecto Alexander firmiter jacta imperii fundamenta a Patre accepit, & veteranum, victoremque militem, cui cum fortiſſimis Graecorum copiis, ac ſolertiſſimis Ducibus aſſidue res fuerat. Ipſe aetate florens, laudum ac gloriae immenſa cupidine flagrabat; ſumma in eo conſilii dexteritas, periculorum contemtus, in rebus aſperis conſtantia, ordinandi, armandique exercitus ſingularis peritia, in privatis voluptatibus parſimonia, ac temperantia, in amicos, & milites effuſa liberalitas. Prudentia quinetiam haud mediocris in eo fuit, & plurimarum rerum ſcientia, quam a maximi Philoſophi inſtitutione arripuerat; ſupraque humanum captum animi magnitudo, qua ſpe, & auſis Orbi terrarum imminebat. Hic igitur Rex, perterrefacta Graecia clariſſimae urbis excidio, perdomitiſque accolis nationibus, in Aſiam perrexit paternum ultorem gerens. SIM. Jam tu longe ſecus facis, ac ego juſſi; nam ea te dicere imperavi, quae ego neſcirem; verum tu ea modo narras, quae planius ego

ſcio,

ſcio, quam tu quae narras. FORT. Gaudeo ſane tam te memorem in hiſtoria eſſe. Itaque ne te plus teneam; an cuiquam veriſimile videri poteſt, Simo, Aſiaticos milites, magnam partem ex tempore collectos, a beatis illis Satrapis ductos, aurea atque argentea gerentes tela, tot praeterea gemmatos currus, mulierum, atque eunuchorum greges, robori fortiſſimarum phalangium, & tantae Regis, ac Ducum virtuti, ullo pacto pares eſſe potuiſſe? SIM. Tu autem, impudentiſſima, cunctos parietes eadem fidelia dealbas. Mutato tantum nomine eandem prope modo de Alexandro, ac paullo ante de Cyro fabulam narraviſti. Perſas tunc mirabiles quosdam viros, quibus tota fere Aſia ceſſerit,effeciſti: modo eosdem, ubi ita tibi expediret, omnium hominum ignaviſſimos. An quaeso me cenſes, quum manus, & baculum integra habeam, haec tua ludibria laturum? FORT. Obſecro Simo ſerviles iſtas minas hinc amoveto. Amice inter nos agamus. Non ego praedixi tibi, ſimilia plerumque eſſe Imperiorum primordia, ſimileſque etiam eorum interitus? SIM. Memini. FORT. Sane dum Perſae eorumque Reges acceptam a Cyro inſtitutionem retinuere; mirabiles quidem viri, rerumque merito potentes extiterunt: Quum autem molliores Aſſyriis, quos antea vicerant, effecti ſunt, fortioribus Graecis, ac peritioribus ſuccubuerunt. Atque iidem iſti Perſarum victores, dilapſa vetere diſciplina, a melioribus, & validioribus Romanis domiti ſunt. Quid igitur excandeſcis, & tam cito philoſophi perſonam exuis, ſi quum veriſſima dicam, ſimilia ea ſunt veriſſimis? SIM. Bene habet: largior hoc ego tibi quicquid eſt. Itaque, utcumque jam tranſactis aliis, de Romanis ſermonem inſtitue. Hîc Tibi, o belliſſima nimis in arcto res eſt. Hîc omnes tibi pigmentorum tuorum arculas opus fuerit educere. FORT. Immo quid me opus eſt de notiſſimis atque apertiſſimis rebus diſſerere? Cui nunc puero, cui tam rudi atque indocto Romano-

rum

rum facta atque inſtituta ignota ſunt ? SIM. Non a Te ego hiſtoriam exquiro ; novimus eam & nos ; Illud a Te expecto ut doceas , Romanos nulla Fortunae ope ad tantam perveniſſe potentiam , & claritudinem . FORT. Et haec notior res eſt , quam ut ſermonem meum requirat . SIM. Ego vero ita impero . FORT. Quandoquidem imperas , obtemperabimus domino .

Mecum , age Simo , omnia Reipublicae Romanae tempora curſim memoria repete , & ſtatim ab ipſis cunabulis patebit , conſilium & arma , non Fortunam tantum imperium conſtituiſſe . Vide , ut jam inde ab eo , quum incondita turba eſſent Romani , non connubia ſolum , queis ad propagandam ſtirpem unice indigebant , a vicinis per vim , & dolum paraverint , ſed egregio ac ſingulari conſilio vicinos ipſos in Civitatem cooptarint , ſibique ab ipſis hoſtibus novas vires addiderint . Mox ut ferocientem plebem,militarique licentia effraenem religione injecta (quod maximum ſocietatis vinculum eſt) compreſſerint ; atque hoc pacto non Deorum tantum metuentes effecerint , verum etiam , quod Civitatis quammaxime interesat, fractis eo terrore animis , Regi ac magiſtratibus obſequentes . Inde noſti quam opportune ad arma revocati ſint , ut ne longa pace deſidiae ac inertiae aſſueſcerent , viciniſque tandem praedae eſſent . Ut vero poſthaec optimae Civitatis formam aſſecuti ſint , in ſuos quemque ordines diſtributis civibus , cenſuque , re quammaxime ſalutari , inſtituto , utque egregio temperamento conjunxerint leges , & arma . SIM. Recte quidem; nam haec haud aliquis aeque callet, ac ego . FORT. Ergo caetera brevius proſequar . Ab optima hac politia , veluti a firmis , & ingentibus fundamentis tota , quanta fuit, Romanorum reſpublica excitata eſt. Etenim poſt compoſitas domi res , in id conſilium totis viribus Romani Reges incubuere , ut imperium propagarent . Itaque Latinos conterminam ac validam gentem , qua dolo , qua armis

mis oppreſſere: quos poſtea militiae gnaros experti, laborum omnium ſocios, imperii vero ac gloriae voluerunt omnino expertes eſſe. His Æqui Volſcique paullo poſt adjecti, ut aſſidua militia pugnare ſimul ac vincere Romanus aſſueſceret. Mox Regiam poteſtatem ob unius intemperantiam pertaeſi, libertatem optima foeminarum proprio ſanguine, duriſſimus idem, ac optimus virorum filiorum caede ſancivit. En Tibi veluti per tranſennam gentis Romanae primordia. Ubinam caſus, obsecro, ac Fortunae locum ſuſpicaris fuiſſe, Simo, cum nonnulla vi & dolo, omnia vero conſilio ac virtute prope divina confecta eſſe cernis?

SIM. Propemodum tibi aſſentirer; verum ipſorum Romanorum teſtimonio atque authoritate moveor, ne id faciam. FORT. Quidnam hoc erit tandem? SIM. Hoc nempe: cur Romanorum non Reges tantummodo, ſed plerique poſterioribus temporibus Duces prudentiſſimi ac fortiſſimi viri, tibi potius geſtorum ſuorum claritatem acceptam referre voluerunt, quam Virtuti? Equidem ſi ab hac, non vero a te gerendarum rerum eventus pendere credidiſſent, nunquam profecto tam praeclaram laudem a se abalienaſſent, tibique prorſus immerenti tradidiſſent, neque aras, & templa poſuiſſent tibi longe prius, quam Menti, ac Virtuti. FORT. Quandoquidem te pene docilem ſermoni meo praebere incipis, piaculum foret alicujus rei cauſam non indicare. SIM. Profer eam igitur. FORT. Rudis adhuc tunc temporis ac plane agreſtis ex Albanis Latiniſque agris collectus Populus Romanus erat, proindeque, ut ignaviſſimus quiſque, ſuperſtitionibus quammaxime ſtudebat. Hanc Populi ſui ſtupiditatem Ancus ille, & Servius, caeterique deinceps Reges, Duceſque oppido cognoſcentes, e re ſua eſſe arbitrati ſunt eam adaugere, vaniſque perſuaſionibus eorum errorem exagerare. Itaque caecae, ignotaeque potentiae nomen in medium adduxerunt, cui pleraque referrent, ſeque

eidem gratiſſimos, atque acceptiſſimos vulgaverunt, ut hoc pacto maxima eos admiratione ſui populares proſequerentur, quum a Dea, cui ſummam humanarum rerum poteſtatem tribuebant, diligi Reges, Duceſque ſuos conſpicerent, cujus ope finitimos Populos facillime in ſuam ditionem redigerent. Virtutis vero nomen inane tunc fuiſſet apud barbaram gentem, quae ultra corporis firmitatem, ac lacertorum vires nullam praeterea virtutem agnoſceret. Atque ideo, nonniſi Graecorum ſapientia in urbem illapſa, Virtutis templum excitatum eſt, ejuſque nomen innoteſcere tandem vulgo coepit Romanis. SIM. Vide quam liberaliter tecum agam, jam hoc non ulterius inquiram: inſani etenim eſſet nimis aſpere cujuſque rei rationem abs te exquirere, quae me beatum paullo poſt effectura es; quapropter ad caetera Romanorum tempora, transgredere. FORT. Perſpicua vero ſunt haec, atque in vulgari notitia poſita: ideo dicam, quaſi ad Ephoros. Poſt adeptam libertatem incredibile dictu eſt quanta imperii gloriaeque cupido Romanos invaſerit. Nedum Principes Civitatis ſed viliſſimus, atque egentiſſimus quiſque mirifico laudum ac potentiae deſiderio flagrabat. Rempublicam privatae rei ſuae anteponebant, labores ſubire, algorem, inediam tolerare, vulneribus occurrere, mortem pro patria obire glorioſum ducebant. Quam animorum magnitudinem communicati poſt ingentia certamina plebi etiam honores, & promiſcua connubia mirum in modum confirmarunt. Nec Patres, qui ingenio ac ſapientia pollentes Reipublicae conſulebant, neglexerunt prudentiſſimis conſiliis Populi alacritatem incendere. Ideo prout quiſque de Republica meritus fuerat, militaria atque urbana dona, laudationes, imagines, coronas, ſtatuaſque inſtituerunt; virtutis indicia, & claritudinis apud poſteros documenta. Praeterea quicquid ubique Terrarum optimum erat in ſuam civitatem accire feſtinaverunt, ut quam ſedem Orbis imperio parabant, optimis ute-

uteretur, qua militiae, qua domi, inſtitutis. Quamobrem, ut praeteream integras nationes in civitatem propter virtutem, aut loci opportunitatem acceptas, ſumſerunt arma a Samnitibus, quorum diſciplinam, & fortitudinem magnis ſaepe cladibus experti fuerant: Leges a Graecia, quam tunc temporis ſapientia excellere intelligebant; Inſignia magiſtratus, ac Religionum pertractationem ab Hetruſcis habuerunt; denique non unquam ſuperbia Romanis obſtitit, quin aliena inſtituta aſciſcerent, modo ea eſſe conſpicerent Reipub. opportuna. Militiam vero, quam egregiis legibus, quamque mirabili diſciplina compoſuerint, nulli obſcurum eſt. Ætatem militarem certis terminis incluſerunt, ut adoleſcentes tempeſtivo labore, & periculis prudentiores ac fortiores efficerentur: utque rurſum emeriti ſenes peractis ſtipendiis, ocio atque agris praeteritae vitae moleſtiam ſolarentur, ſimulque juventuti oſtentui eſſent, ut liberalioris vitae ſpe militiam alacres tolerarent. Civibus, & ſociis, quod hercle plurimum interfuit, non externo, ac mercenario milite, bella exercebant; eoque armaturae genere uſi ſunt, quod longe optimum eſſet, vel ad propulſandum vulnus, vel ad inferendum. Adhaec accedebat, praecipua Romani militis laus, ut ordinem conſtantiſſime ſervaret, Ducíſque imperio dicto citius obtemperaret. Severa quinetiam in locum deſerentes animadverſio, & ſeverior in eos, qui contra imperium in hoſtem depugnaſſent, cariſſimo ſanguine ad retinendam diſciplinam ſancita. Quid memorem in fugitivos, captivosque ignominiam, ut nec cives nec vivi crederentur? SIM. Quorſum haec obſecro? FORT. Eccere ſuavis es Simo. Non tu me Romani imperii cauſas juſſiſti? SIM. Profecto. FORT. Eas tibi quam breviſſime indicavi, ut noſceres, quibus animis, atque inſtitutis ea gens proceſſerit ad terrarum imperium. SIM. Audivi haec quidem: at quid addes praeterea? FORT. Quid addam? Inſpice tu ipſe, & conſidera: Nullibi ſanctiores

Digitized by Google

leges invenies, prudentiorem Senatum, peritiores Duces, conſtantiorem, majoriſque animi Populum, praeclariorem, ac meliorem juventutis inſtitutionem. Iidem ipſi prope per octingentos annos vix ter ab armis receſſerunt, atque id ipſum brevibus intervallis. Ut prope nemo Romae natus ſit, quin eum belli apparatus naſcentem exceperint, puerum accenderint, adoleſcentem armorum meditatione ad praelium paraverint. Ita accidit, ut rerum bellicarum peritia, Patriæ gloriaeq; ſtudium per manus traderentur, atque major in dies gliſceret ſummorum virorum æmulatio, quum egregia fortiaque facta illuſtriora quotidie ſuppeterent. His artibus, quum caeteris Populis meliores, ac fortiores Romani evaſiſſent, aequiſſimum, atque adeo neceſſarium fuerat, ut eorum imperium eſſet in deteriores, atque ignaviores. Immo, vide quo progrediar, ſi ad Romanae Reipublicae exemplum gens aliqua, cui nonnullae vires, & Romanus adeſſet animus, his ipſis temporibus inſtitueretur; mihi prope neceſſarium videtur, eam in reliquas aliquando gentes imperio potituram fore. SIM. Iſtuc ego, ut quidem modo se res habent, neſcio an ita eventurum eſſet. Quod vero ad Romanos attinet, jam ego conclamaſſem: at id ne faciam, praeclariſſimus philoſophus (*) in cauſa eſt, cui te ſatisfacere eſt neceſſe. FORT. Audiamus quid iſte narret. SIM. Hic nullus omnino dubitat Romanorum Fortunam prae Virtute ponere; & te affirmat, abjecta rota, aliſque diſſectis, in Capitolio conſtitiſſe. FORT. Jam vero ut vides renatae mihi ſunt pennae, rotamque..... SIM. Non hic erat jocandi locus. Audi reliqua. Et profecto, ſi verum amamus, quo pacto ei reſpondemus, Metellum, Paullum, Syllam, Pompejum, caeteraque fe-

(*) Plutarchus de Fortuna Romanorum.

felicia nomina objicienti? Anſeres, arcis haud dubie ſervatrices, vada Tyberina, Lupam, & hujuſmodi? Viden', o generoſa, non amplius Simonis ſomnia, ut vocas, ſed graviſſimum philoſophum tibi refellendum eſſe? FORT. Ergo eadem retractabimus? SIM. Neceſſe eſt. FORT. Quid? non id tibi in mentem quandoque venit, non philosophum ibi, ſed oratorem ab illo agi? Et cum alibi ſerio philoſophatur, ſibi ipſi reſpondere? Graecum praeterea hominem Romanorum gloriae pro viribus obtrectare, ut Alexandrum popularem ſuum extollat? SIM. Linque haec, rem ipſam explode, FORT. Strictim vero hoc attingam. Nec enim aut de Lupa, aut de Marte, & ejuſmodi naeniis verbum a me unum audies. SIM. Cur autem? FOR. Quid me vis fabulas, & commenta confutare? Niſi forte, aut Lupam credis Romulo ubera praebuiſſe, aut Martem cum Rhea congreſſum. SIM. Et iſthaec miſſa faciamus. Reliqua ingredere. FORT. Nil hercle tam durum atque incredibile eſt, quod dicendo molliri, & veriſimile fieri non poſſit. Profecto quid tam a temeritate, caſuque alienum, quam prudentia, quam fortitudo, quam diſciplina? Veruntamen quum earum opera in me transferenda vir eloquentiſſimus ſuſceperit, pene equidem tranſtulit. Sane cum ab iſtius ingenioſiſſima oratione diſceſſeris, teque ad Romanam hiſtoriam, ab ipſomet magnam partem conſcriptam, contuleris, ecquid fortuitum in Romuli virtute, in Numae ſapientia, ecquid in civili prudentia Servii, aliorumque Regum fortitudine ſuſpicaris? Percurre, ac diligenter excute quae ſequuntur: nil, per Jovem, niſi miram hominis eloquentiam deprehendes. Nam quod Macedonicus, optimam filiorum indolem nactus, egregie eos educavit, quod optimis praeceptis ad Rempublicam domi militiaeque capeſſendam inſtituit, ita ut praeclari Cives, & fortiſſimi Imperatores evaſerint, num Fortunae aliquid ideo tribuendum? Quid Pompejus? Si ejus expeditiones, ſummo conſilio, ſumma

ma virtute, incredibili celeritate, rebuſque omnibus opportune proviſis, confectas, ad examen revocaveris; ſi genus hoſtium, ſi ſexcenta alia perpenderis; nil ecaſtor minus, quam caſum, quam me cogitabis. Nec Sylla quicquam fortunae debebit, ſi ſtatum Civitatis, ſi flagrantiſſima partium ſtudia, ſi Ducum experientiam, veteranum exercitum, audaciam, & periculorum contemtum mediteris. Nam profecto gravem doctumque virum pudere debuit Nicopolim meretriculam nulla de cauſa in medium adducere. De Scauro quid dicam? Cur, quaeſo, mireris, avitam nobilitatem plus paternis ſordibus in magno AEmilii animo valuiſſe? Inſpice paullulum hominis ingenium, conſtantiam, animi celſitudinem, caeteraſque artes, quibus egregie floruit, porro non fortuitum tibi videtur, quod Conſul, quod Imperator evaſerit. Quod vero Lucio Paulo, quem virum Dii immortales, quibus moribus, qua frugalitate! omnibus imperatoriis artibus inſtructiſſimo, Perſei ignavia pro Fortuna objecta eſt, quam breviſſime dicam, ignavos, & fortes non Fortuna, ſed natura, ſed inſtitutione fieri. Non autem poſſum quin exclamem, quum de Caeſaris virtute video vel uno verbo addubitatum fuiſſe. Etenim ſi quem virum decuit non modo extra Fortunae aream, ſed extra omnium Imperatorum comparationem, praecipuum ſeponi, profecto Caeſarem hunc eſſe oportuit. SIM. Nihilne ergo caſu, nil forte Fortuna accidiſſe unquam Romanis affirmas? Omnia, judicio, virtute, audacia? Quis te talia dicentem ferat? FORT. Ego te quae dixi in eam velim partem accipere, ut credas, Prudentiam, Leges, Inſtitutionem, Fortitudinem, Arma Romanis imperium peperiſſe. Caeterum, ſi quaedam aliquando non humano conſilio, ſed Natura rerum ita comparante evenere, quae opportunitatem aliquam rei bene gerendae in se continerent, pro certo habe, vix ea parva quaedam adminicula ad eorum magnitudinem fuiſſe, atque ipſa haec ad-

fue-

fuerint nec ne, parum ſane ad rei ſummam pertinuiſſe. Sicuti nec offeciſſe vides tot claſſes mari abſumtas, tot exercitus Duceſque a Gallis, Samnitibus, Poenis deletos, Urbem captam, crebras Civium, Sociorum, Italiae conjurationes, atque ejus generis, quae plurima occurrunt in Romanis hiſtoriis. Quare deſine velle per Deos, Simo, Populo, qui tot ſeculis de gloria & Imperio cum omnibus gentibus fortiſſime dimicavit, propter anſerum clangorem, & fabellas neſcio quas, tantum decus per ſummam injuſtitiam avellere. Sed potius, ſi quid habes, ulterius percontare: jam enim haec acta res eſt. SIM. Etſi nonnulla adhuc ſuperſunt, taedio tamen adducor, ut ab iſtis Terrae ſeu dominis, ſeu latronibus diſcedam libentiſſime. Exordire jam ..... Quid moliris? Eja vero indignum facinus! FORT. Ne verere, remitte paullulum capillos. SIM. Remittam! Parum hercle abfuit, quin avolaret, venefica; Ideone amice inter nos agi volebas, ut me negligentem efficeres? Semper ego quorſum tandem iſta tua comitas evaderet pertimui, perfida. At nunc ambabus manibus teneam, nodoque praeterea conſtringam: per Jovem hinc niſi me mortuo non effugies. FOR. Nimis hoſtiliter mecum agis. SIM. Nimis hoſtiliter, peſſima! At hoc age. Deprome nobis cauſas, queis imperia ruunt, quando originem elocuta es. FORT. Quis huic faſtidio par eſſe poſſit? Ideo ego abire conata ſum, ne tam inſulſis quaeſtionibus divexarer. Nam iſtarum rerum cauſae ita perſpicuae ſunt, ut omnis eas mediocri prudentia vir, percurſas animo, & propemodum decantatas habere debeat. SIM. At ego eas ignoro. FORT. Quem ergo te magis blennum, magiſque fungum dicam? Nonne perſpicis ita ortus, interituſque cauſas conjunctas in extremo eſſe, ut unae alteris ſuccedant, utque dilapſis, quae imperium pepererunt, ſubeant neceſſario, quae evertant? Sicuti occidente ſole, qui diem effecerat, nox continuo Mundum occupat. SIM. Tu vero praeſtigia-

giatrix, mentem ita mihi hebetaſti dolis tuis, ut quid verum, & falſum interſit jam nequeam perſpicere. Quare detur tibi, hoc ita eſſe: non confiteberis ſaltem, illud te efficere, ut nulla unquam Reſpublica aeternum perduret, ſed neceſſario concidat, atque in novam, & diverſam tranſeat? FORT. Obſequar importunitati tuae, & quaſi unus e ſophiſtis iſtis, tibi de obſcuris ſcilicet rebus reſpondebo. SIM. At in pauca confer. FORT. Ne mone: praecipua haec quidem mihi eſt cura; nam tecum diutius morari sane non poſſum.

Veſtrarum rerum omnium ea natura eſt, ut poſtquam per gradus ad ſummum cacumen adſcenderint, optimumque in ſuo genere locum tenuerint, quum, quó ultra progrediantur, non habeant, neceſſe ſit, propter inſitam rebus aeternamque motionem, eas retrolabi, & paullatim ad ſua initia reverti. Iccirco quum Reſpublica, vel Regnum aliquod ad optimum ac rectiſſimum regimen, ſummamque, pro ſuo captu, potentiam pervenerit, deficiente in quem tranſeat meliore ſtatu, neceſſario in deterius labitur, brevique quandoque tempore plurium ſeculorum opera deſtruit. Atque ideo Medici, homini optime sese habere, perfectaque prorſus valetudine frui, periculoſum eſſe autumant, ne repente invertatur corporis habitus, celerique nimium motu in contrarium feratur. SIM. Quid tu mihi Medicos inſarcis? Non ego te quam breviſſime reſpondere juſſi? FORT. Ac propterea, quae longe uberiore oratione indigerent, quam leviſſime attigi. SIM. Pergis ſceleſta, me quaſi puerum ludificari! Quaſi aliquid de re ipſa dixeris, nec potius neſcio quid extra rem elocuta ſis. FORT. Quo iſthoc pacto? SIM. Etenim ſi naturae rerum conſentaneum eſt, ut Regna, & Reſpublicae certis periodis augeſcant, atque decreſcant, cur, obſecro, tam diverſis temporibus alia perdurant, alia ruunt? Et quaedam vix ad ſummum emerſerunt, quum repente deficiunt, quaedam vero bene diu

diu in optimo ſtatu permanent; quaedam autem ſemper in imo jacent, nec unquam caput attollunt. Hoc nempe tu, belliſſima, jubes, non neceſſitas illa, quam modo tam ſerio praetendebas. FORT. Dic age, o generoſe, quî fit, ut hic homo brevius, ille vero longius vivat? SIM. Scilicet dubium eſt, hoc vel a corporis conſtitutione pendere, vel a victus, totiuſque vitae ratione. FORT. Atque iiſdem de cauſis accidere tibi videbitur, ut hic diutius bona firmaque utatur valetudine, & juvenilem alacritatem ultra juventutis tempora retineat, utque contra ille ocyus, quam per aetatem, ſeneſcat, & citius etiam intereat. SIM. Ita porro. FORT. Si quis vero nunquam bene valeat, num aliunde, quam ab his ipſis cauſis rationes requiris? SIM. Inde profecto. FORT. Rerumpublicarum, atque Imperiorum eadem omnino ſors eſt, o ſapientiſſime Simo; nam aut bene a principio conſtituta ſunt, eaſdemque artes, quibus olim ordinata fuerant, retinent: & tunc ſine dubio, niſi vis quaedam major opprimat, quod & homini commune eſt, diuturna, ac longaeva erunt. Aut imprudenter ab initio inſtituta fuerunt; vel a veteri inſtitutione, quae bona & prudens erat, receſſerunt, & tunc brevis aevi ea eſſe neceſſum eſt. De iis vero gentibus, quae nunquam aliis dominatae ſunt, ſi bene rem tecum ipſe reputaveris, invenies, illud ejus rei cauſam fuiſſe, quod nec virtute, nec armis caeteris unquam fuere meliores. Omnes autem Reſpublicae, utcumque ſeſe habeant, citius, ocyus ruere debent, propter perpetuam rerum viciſſitudinem: nam, veluti homines, alternis etiam temporibus vivunt Regna, atque Reſpublicae, nec procul abeſt ab unius ortu, alterius interitus. Nam virtus nunquam perpetuo in eadem regione manet, ſed modo per has, modo per illas gentes peragrat; & ſicuti imperia adventu excitat ſuo, ita proſternit diſceſſu. Quum haec, quae apertiſſima ſunt, intelligas,

Digitized by Google

gas, Simo, contendes nihilominus, meam harum rerum ditionem eſſe?

SIM. Ægre nimium de his rebus aſſentior tibi, o Fortuna; nec ſi mihi modo quid reponam deeſt, ideo quod tu dixiſti ex animo adprobo.

Illud vero mihi nulla ope extorqueri poterit, ut ne credam, tuo numine bellorum momenta regi, & pugnarum eventus, huc illuc inclinari. Siquidem tantas in bello tuas vires eſſe docti indoctique credimus, ut pene omnia inibi a te geri cenſeamus, pauca a virtute. Atque iccirco alios Duces fortes, ac peritos, verum infelices appellamus, alios modica militari ſcientia, ſed fortunatos, tibique cariores: pluſque felici horum imperitiae fidere Reges Populoſque videre eſt, quam illorum infelici virtuti. FORT. Eandem cantionem recantas. Satis tibi factum credidi, Simo, quum Regnorum cauſas ediſſerui: quum enim in iis pariendis, & retinendis bella primas obtineant partes, haud potui bene de illis reſpondere, quin etiam de his una tibi ſatisfecerim. SIM. Id vero mihi non ſatis eſt. Integram ego hanc rem eſſe arbitror; ideo hoc mihi diligenter explanes impero. FORT. Viden', ſumme Jupiter, quo me hic homo peſſimus adigat? SIM. Ut te ſceleſtam, ac nefariam ille audiat! At cito quae juſſi exſequere. FOR. Duo quidem bellum conſtituunt: Dux milesque in altero ſunt, altero caſus, ut perperam appellatis, fortuiti, continentur. SIM. Probe. FORT. Et certe Ducis prudentia, vel temeritate veluti habenis quibuſdam bella reguntur. Et ſi prudenter ac ſcite imperitatur vix licet de bellorum eventu dubitare; ſi vero temere, atque imperite res agitur ab Imperatore, mirum eſt profecto, ni clades accipitur. Visne hanc rem exemplis ex univerſa hiſtoria comprobem? SIM. Quod quidem Deus avertat: Nam quis te decem millia exemplorum ingerentem audiens non diſrumpatur? FOR. Da

ergo

Digitized by Google

ergo mihi quod dixi, quippe ipſa veritas eſt. SIM. Do, dono, ac largior. FORT. Baſilice. Duces autem peritos, & imperitos, rei bellicae ſcientes, aut ignaros, prudentes, aut temerarios me credis efficere, Simo, an aliud quippiam? SIM. Quid tibi cum hujuſmodi rebus, quaeſo? FORT. Segregemus itaque Duces a mea rota. SIM. Lepidiſſime! quaſi non idipſum in controverſia modo ſit, cur ſapientes aliquando Duces fundantur, imprudentiores vero potiantur victoria. FORT. Et egregius quandoque ſagittarius a ſcopo aberrat, optimuſque nauclerus in ſyrtes impingit; at neuter fortuna. SIM. Qua ergo de cauſa? FORT. Quia nulla virtus hominem ſuper humanitatem extollit. SIM. Dux vero, etiamſi ipſe egregie vigilet, vincitur haud perraro nihilominus. FORT. Sane perraro. Ego vero in Duce quamplurima eſſe affirmavi, non omnia: Nam & milites, & alia quaedam efficere poſſunt, ut praeſtantiſſima conſilia in irritum cadant. SIM. Inſpiciamus igitur, quid in milites poſſis. FORT. Veteranum militem, & quammaxime exercitatum, qui ordines ſervare, juſſa capeſſere calleat, frigus, famem, vigilias facile toleret, tyrone, ac laborum impatiente, diſciplinaeque militaris ignaro, aptiorem ad victoriam eſſe ais, aut negas? SIM. Cur negem, quae res ipſa, etiamſi negem, affirmat? FORT. Jam ergo veteranus exercitus novum necdum diſciplina, atque uſu firmatum plerumque ſine ope mea vincet. SIM. Plerumque. FOR. Illud tantummodo ſupereſt, ut quum novi pariter, vel veterani utrinque milites concurrunt, in mea poteſtate ſit, utros velim vincere. SIM. Apparet. FORT. Rogo te, Simo, ſi cum alio quopiam tibi pugnare neceſſe eſſet, victor an victus inde diſcederes? SIM. Inepte interrogas; nam quid ea de re reponam tibi, ni prius doceas, cum fortiori ne ac paratiore adverſario mihi concurrendum fingas, paribuſque, vel non aequis viribus? Adhaec ſi aeque armati, aut noſtrûm alter inermis praelium inituri eſſemus,

 quove

quove loco, quo corporis, animique habitu. Quae quum dixeris, tunc faciliime conjectare de victoria potero. FORT. Victoriam itaque ab hiſce rebus, quas enumeraſti pendere cenſes? SIM. Quidni cenſeam? FORT. Fortes igitur, Simo, non ut eſt in proverbio, Fortuna, ſed fortitudo, ſed robur, ſed opportunitas adjuvat. Nam ſicuti tu in iſta duorum pugna, non fortuna te victurum putas, ſed fortitudine, ſed armis, & locorum, temporumque opportunitate: ita prorſus milites non caſu vincent; verum ſi numero, robore, audacia, armis praecellant; & ſi eo loco, eoque tempore in aciem deſcenderint, quod ſibi opportunum maxime fuerit, hoſtibus vero importunum, atque adverſum. Quid obmutuiſti? Num fallo, num mentior, num commenta profero? SIM. Nimis cito triumphas. Tuam ego modo admirabar confidentiam, ideoque ſilebam. Non ego id a te, quod obtruſiſti, exquiſieram: nam quum ita se res habent, nil vate opus eſt, qui nos de exitu doceat. Illud mirum, ac prorſus tuum eſt; ut quum miles optimus, Duxque peritiſſimus ſit, vincantur tamen ab inertiore milite, Duceque imperitiore. Quum tu aut ſubitum quemdam terrorem animis militum injicis, aut nebulas, ventoſque cies, & pulverem in ora, oculoſque immittis, ſolemque adverſum, ac umbrarum ſimulacra in perniciem convertis, aut commeatum ſubtrahis; quibus rebus perculſi meliores concidunt, ignaviores vero, te ita comparante conſequuntur victoriam. Haec ego a te explanari volo, non ea, quae vel anniculus puer divinare poſſet. FORT. Nimirum ſingularis obſtinatio, & contumacia eſt tua. Campo manifeſte decedis, teque pulſus in poſtrema confers propugnacula, atque id ſuperbe interea diſſimulas. At dum cedas, ſimula, & diſſimula, ut lubet. Ut autem ego milites terream, mi homo? Ut ego territos in aciem educam? Infans adhuc in hiſtoria mihi videris. Sane modo ſingulari aliquo certamine, adverſave pugna, mo-

do

Digitized by Google

do opinione, aut errore aliquo, vel portento perterrefactos milites legas, numquam autem ultro, nullaque de cauſa. Quod ſi ideo exercitus caeſus eſt, nonne Imperator merito accuſandus fuit, non ego? Hunc enim providere oportuit, ne eam animis opinionem milites antecaperent, quae eorum audaciam frangeret, & ſegniores redderet ad dimicandum: & ne vanae opiniones, & monſtra, queis nil validius apud multitudinem eſt, pugnaturis officerent. Vel ſi ejuſmodi res fuerit, ut Imperatoris ſolertia fieri nequiverit, quin animos militum irreperet; ſane illud duci providendum fuerat, ut ne ante excuſſos vanos iſtos pavores, inaneſque perſuaſiones, attonitos torpenteſque milites in aciem educeret. Noſti, Simo, eloquentiſſimum illum, ac fortiſſimum Ducem, quum ex ſubita ſolis defectione perterritos milites cognoviſſet, praelium non ante commiſiſſe, quam illos naturalem ejus rei cauſam diſerte edocuiſſet, omnemque ab eorum animis abſterſiſſet timorem. Qui ſi temere egiſſet, nec militum mentes portento ſtupefactas ratione firmaſſet, profecto cum omni exercitu interiiſſet. Atque haec nihilominus clades a te non ejus ignaviae, ſed fortunae fuiſſet tributa, quae.... SIM. Quis te juſſit exemplis certare? Nolo verbum unum, quod ad haec attinet, audire. Auſcultabiſne tandem mihi? FORT. Illico taceo; en jam unde profecta ſum redeo. Nebulas vero, pulverem, adverſum ſolem, ventos quid memorem? Nam primum ſapientem Ducem his dominari, non ſervire decet; atque haec providentiâ, & conſilio praecipere, ne quid poſſint nocere; quod hercle conſequetur, ſi Regionis, locique, ubi res agitur, indolem diligenter exploret, & quid quove tempore inibi ſoleat accidere: eaque in ſuam utilitatem convertat, atque in hoſtium perniciem. Dein, ſi quid aliquando inopinum, atque, ut vobis loqui mos eſt, fortuitum evenit; id ſatius fuerit cauſis efficientiam in

se

ſe naturalem continentibus tribui, quam arbitrio meo: Exorta eſt nebula? Cur me eam, amabo, in ſinu ferentem fingitis, & agmina caligine, & obſcuritate involventem, nec, quod verum eſt, potius dicitis, concretos nocturno frigore vapores eam effeciſſe, quam ſol paullo poſt, aut ventus diſſolvet? Ventum vero, rem maxime omnium liberam, voluntati meae inepte prorſus ſubjicitis. Sane ſi mihi Uliſſaeum illum follem Æolus tradidiſſet, vix ea poſſem efficere, quae vos ſomniatis. Numquam ne adhuc didiciſti, Simo, nubes, & ſuperiora quaeque corpora aerem prementia ventos gignere, vel aquarum curſus, aut terrarum halitus, & ejuſcemodi? Si didiciſſes, porro non ad me ventos ablegaſſes, ſed ad aeternas cauſas rejeciſſes. Praeterea an non & ibi nebulae quotidie cooriuntur, venti ſaeviunt, pulvis attollitur, ubi nec pugnatur, nec umquam pugnatum iri ſuſpicio eſt? Miror etiam incogitantiam tuam, qui commeatum quoque fortunae addixeris; atque hic vereri mihi in mentem venit, ne ubertatem quoque, & caritatem mihi tribuas. De ſole, & umbra pudet me loqui: ſiquidem nil conſtantius eſt, quam ſolis curſus, & nil magis neceſſarium, ac naturae conſentaneum, quam ut corpora, ſi adverſa lux incidat, umbram edant. Ea ſi aliquando profuerunt, ad mediocrem Ducis peritiam, ſi offecere, ad nimiam ignorantiam, prorſuſque ſupinam negligentiam, non ad caſum ſunt, fortunamque referenda.

SIM. Video ego extenuari ſpem meam, & paullatim in anguſtum adigi: ſemper enim tibi aliquid eſt concedendum, & maximarum rerum a te poteſtas abjudicanda. At mihi tanta humanitas videtur tua, ut ne leviſſima quidem ſuſpicione tenear, fruſtra te luci hîc ante meos oculos deambulatum ultro veniſſe, fruſtraque commiſiſſe, ut in meas manus incideres. Quapropter quicquid tibi, o Deorum potentiſſima, credam;

poſſe

poſſe te, aut non poſſe, regere ac moderari Terrarum Orbi, largiri divitias, vel non, prout juſſeris, dummodo paupertatis te meae miſereat, egenumque ſubleves tua liberalitate. FORT. Quid dem? Quid largiar? Vere morus es. Quin me potius hinc ſinis avolare, quum nec bene tibi, nec male per me eſſe poſſit? SIM. Immo conſtrictam uſque tenebo omnibus opibus, ac induſtriis meis. Ut ego comas haſce, niſi dives dimittam! Tunc vere morus eſſem; tunc nemo me viveret ſtultior, atque ineptior. FORT. Agedum ergo, interrogationem urge; quid moramur, quid tempus ocioſi conterimus? SIM. Summo ergo jure mecum vis agere, nulla eſt apud te aequi bonique ratio? FORT. Enicas me importunitate tua. SIM. Per dexteram ego tuam te numenque tuum oro . . . . FORT. Ah rurſus! Credo ego, te gravi atque exitiabili errore mentis affici, tam aperte, & tam vehementer inſanis. SIM. Quandoquidem me inſanire ais, cape jam inſaniae meae fructus; ſcelesta tene hoc, rurſus hoc alterum. Ego tibi hodie caput iſtud ſceleroſum baculo probe comminuam: cape rurſum: ut tibi videor inſanire? Satis tibi vehemens videtur meus furor? FORT. Proh Deum atque hominum fidem! Ita ne agi, Simo? Siccine innocentem cædi? Hei, hei; hercle larvatum oportet eſſe te, ac furentem; flagitium hominis, dies nefaſtus; at pænas dabis, niſi inane nomen eſt Juſtitia. SIM. Peſſima, tune audes juſtitiae mentionem facere? Quae non quidem injuſta, ſed ipſa injuſtitia es. Verum feſtina, jam te reſponſis tuis jugulabo; hocſis age; lacrimulas iſtas abſterge, atque animum ad ſermonem meum adverte. FORT. Nempe hoc ago. SIM. Miſſa jam imperia, & bella faciamus: quum nec regni potiundi ſpes me unquam tenuerit, nec imperatoria laude florere. Ad urbanas res, provinciam meam, venio; quarum adeo gnarus ſum, adeo peritus, ut nullus ſit hîc tibi, o praeclara, fallaciis locus:

omnia

Digitized by Google

omnia plana, atque aperta ſunt. FORT. Pone jam ad quod tibi reſponderi vis.

SIM. Antequam vero hanc ingrediamur diſputationem ſatis mihi facias velim de re, quae ſummam inſimul injecit animo meo curioſitatem, atque admirationem. FORT. Quae res iſta? Dic ſtrenue. SIM. Quamobrem accidit, ut homines, qui in adverſa, tenuique fortuna probi, atque prudentes vivunt, ſimul ac potentes, & divites effecti ſunt, veluti Circaeo quodam hauſto poculo, ſuperbi ſtatim plerumque evadunt, & contumaces, atque ab iis, qui antea fuerant, diſſimillimi? Sane, Fortuna, mirabilis omnino res eſt. FORT. Homines, ut paucis reſpondeam, res mediocres, & adverſas facile tolerant: felicitas eos corrumpit. Caeterum, Simo, vaſis vos ſimiles eſtis, quae quum vacua, atque inania ſunt, latet illorum vitium, ita ut non facile poſſis prava a probis diſcernere; poſtquam vero aquam infuderis ac repleas, tunc demum, haec aquam ferre, illa vero diffluere, rimisq; fatiſcere animadvertas. Ita prorſus homines probos prudenteſque ne dicas, Simo, antequam vel in dignitate, vel in ampla ſecundaque fortuna videris: haec enim unice probitatem, ac nequitiam patefaciunt, quae latebat. Non igitur potentia, aut divitiae homines immutant, ſed, veluti Lydius lapis, mores, qui argentei, atque aurei videbantur, plumbeos probant, atque aeratos eſſe. SIM. Magnas tibi habeo gratias, Fortuna. Nam hoc me mirifice torquebat. Eamus nunc ad rem. FORT. Et quidem celeriter.

SIM. Tria equidem in urbana cauſa ſunt, quae prorſus temere aguntur & perturbantur; nec aliquid adduci poſſe mihi videtur, quominus ea a te agitari affirmemus. Ea ſunt, Favor, Dignitates, Divitiae. Et de favore, quidem te praeter omnia agere volo. Vidi etenim, & legi hac in re mirabiles quosdam eventus, ac mera portenta. Truncos quosdam ficulnos,

igna-

Digitized by Google

ignaviſſimum genus hominum, ſceleſtos praeterea complures, & vere ſacra capita comperi apud Reges, Principeſque viros adeo gratia valuiſſe, ut inverſa ordinis ratione, domini ſervirent, ſervi dominarentur. Paſſim quoque deprehendi, pene omnes qui aliquid poſſent, nequiores probis anteponere, & ſtupiditati atque ignorantiae favere magis, quam induſtriae, ac virtuti. Nonne opera tua noſcitas? Vide ut memoriter, quae tu occultiſſime peragis, narrem. FORT. Stultitiae quidem tuae maxima video documenta; at quid ejus rei ad me pertineat, plane nihil. SIM. Non finem facis, te, veluti quendam ex Epicuri grege Deum, inertem nihilque agentem confingere? Si perges, peſſimis me Dii Deaeque exemplis excrucient, ni te hoc baculo praeclare exoſſatam reddam. Quae, praeterquamquod tamdiu me pauperem eſſe gaviſa es, hodie magna opera ſatagis, ut ne nunc quidem, quum capularis jam, & plane acheruntịcus ſum, laute atque opipare extremum ſaltem obeam diem. FORT. Ut quisquam tecum poſſit loqui! Nec tibi verba, nec ratio, neque veritas ipſa ſatis eſt, ut te aliquando victum confitearis, ac manus des. Porro mihi decretum eſt, quidvis potius pati, quam rurſus tecum ſermonem inſtituere, ita durus es, contumax, obſtinatus, & omnino inexpugnabilis. SIM. Tacebis itaque, & vapulabis. FORT. Minaris etiam carnufex! Ego uno tantum pacto induci poſſum, ut loquar. SIM. Quonam? FORT. Si nos inter nos feriamus fœdus. SIM. Qua formula? FORT. Ut ſi ego tuis quaeſtionibus non ſatisfecero, tunc tibi me caedundi, urendi, necandi jus fiet. Si autem ad ea, quae poſueris, vere & perſpicue reſpondebo, ita ut contra ne hiſcere quidem tibi liceat, tunc meas me res protinus habere jubeas, atque hinc quo libitum fuerit ſinas diſcedere. Num iniquas conditiones poſtulo? SIM. Diſce tandem, o Fortuna, humanitatem ex indulgen-

Digitized by Google

tia mea. Nil muto, nil addo. In tuas leges ictum eſto fœdus; num poſſem me lenius gerere? FORT. Quid te dicam? Optimus mortalium es, Simo. SIM. Expectemus, quo laudes iſthaec evaſurae ſint. Nunc, ſi videtur, ad ea quae de ſavore locutus ſum. FORT. Æquum poſtulas; aures atque animum adverte. SIM. Fit ſedulo.

FORT. Homines ad ſocietatem proclives, atque ad se se invicem diligendos Natura comparavit. SIM. Jam hoc infirmum eſt. Nam ſi ego homines dicerem, nec ad ſocietatem natura perlatos eſſe, ſed vel caſu, vel indigentia; nec amorem inter se conveniendi cauſam fuiſſe, ſed metum, & propria commoda; quid tu, quaeſo, ad haec? Aliunde ergo exordire, o Fortuna, fabellam iſtam, hâc enim, ut vides, ſentes, & virgulta aditum intercludunt. FORT. Non hoc mihi modo propoſitum eſt, ut inquiram, unde potiſſimum initia ſocietatis defluxerint. Scio equidem, atque habeo quid ſentiam: modo vero ne nimis vager, per me licet, vel timori, vel amori, vel neceſſitati id tribuas: nihil enim hoc ad meam diſputationem. Nam quicquid tunc, quum primum homines ſimul coaluere, cauſae fuerit, ut coetus miſcerent, urbeſque conſtituerent; tamen extra omnem dubitationem eſt, poſtquam una vivere, iisdem uti legibus, colloquia, vicinitates, cognationes miſcere coeperunt, factum profecto eſſe, ut inter se amarent, & ſocietatem unam maxime rerum omnium appeterent. Et quamvis id ob conſuetudinem quiſpiam, atque educationem contendat accidiſſe; nihilominus adeo inſitum modo humano generi eſt, ut nil prorſus a caeteris neceſſariis naturae affectibus diſcrepet hic amoris, & ſocietatis. Atque ideo nulla gens eſt, tam ferox, ac barbara, tam legum, & boni moris inimica, apud quam conjunctio atque ſocietas non inveniatur, tum omnium inter se, tum ſingulorum. Hoc, ut reor, firmiſſimum,

ac

ac certiſſimum eſt . SIM. Ita videtur . FORT. Quo poſito illud ſequitur, ex immenſa illa ſocietate humani generis ad majorem caritatem , atque conjunctionem inter homines deveniri , propter loci , linguae , juriſque communionem . SIM. Prorſus ita . FORT. Et rurſus illud , majore ac firmiore eos amore , ac benevolentia jungi , qui magis inter se ingenio , moribus , vita conveniunt . SIM. Apparet . FORT. Iccirco paſſim docti probique cum doctis probiſque vitam agunt , ignavi viciſſim , & ſceleſti ſuae notae homines ſequuntur : illique iſtis , iſti vero illis maxime adverſi ſunt , atque inimici : quod certe oritur ex ſimilitudine , ac diſſimilitudine morum, & ſtudiorum. SIM. Eſt ita ut dicis. FORT. Age vero , ſapientiſſime Simo , Reges , principes , potentes , divites viros , homines eſſe cenſes , an non ? SIM. Immo omnium hominum primos , ac beatiſſimos . FORT. Praeclare . Cur itaque , ſi tu pauper & ignobilis Simo Lyſiam illum tuum , qui tibi ſummus eſt , Bionem , Nicetam , alioſque ex hoc furfure amas , atque habes cariſſimos , moribus id veſtris , ac paupertati , quod vobis commune patrimonium eſt , tribuitur : quum vero lautus quispiam homo , aut Rex humiliorem quempiam diligit (nam parem haud facile poſſet) continuo arceſſor ego , quae amorem inter eos , atque amicitiam conciliem ? Aurum profecto ; & purpura humanitatem iis non adimit , nec quod potentiores , ditioreſque ſunt , homines ideo eſſe deſinunt , exuuntque odendi , amandique neceſſitatem . SIM. Ament igitur , quandoquidem id hominis natura jubet , verum ut malos potius ignavoſque diligant , quam probos . atque induſtrios , id enimvero prorſus ratione caret . FORT. Id autem falſum , nam non omnes uſque potentes , ſummique viri malos , inerteſque amplexantur , ſed ii tantum , qui & ipſi mali inerteſque ſunt . SIM. Ego quod ſaepius accidit dico , etſi aliquando ſe res aliter habeat. Inficiari autem non potes, peſſimorum hominum

 collu-

Digitized by Google

colluviem, ſine virtute, ſine fide, ſine ulla bona ſpe, magnos primarioſque viros plerumque circumſidere, iiſque eſſe acceptiſſimos. Quod equidem, ſi temeritatem tuam tollas, quomodo evenire poſſit non video. FORT. Omnes homines quicquid agunt, vel quod honeſtum eſt agunt, vel ob utilitatem aliquam, vel propter voluptatem. Honeſtas a pleriſque negligitur: niſi quod metu legum, aut praemii ſpe nonnunquam a tenuioribus, a ſummis vero tantisper colitur, dum popularem auram vulgique opinionem captent. Utilitatis varia apud variae ſortis homines ratio eſt: maxima vero pars non ad animi bona eam referunt, ſed utique ad corporis. Voluptas vitam hominum regit, & non modo pluris apud humanum animum eſt, quam honeſtum, & utile, verum ideo honeſtati aliquando, utilitati ſaepius homines inſerviunt, quod utrumque deſinit in voluptatem. His animadverſis, jam perſpicis, Simo, quae ſit animi veſtri indoles, quibuſque rebus maxime capiatur. SIM. Satis quidem, ut arbitror. FORT. Felices autem, lautique homines id ex fortuna ſua plerumque habent praecipuum, quod molliſſimus iis, ac delicatiſſimus eſt animus, qui facillime ad quaſcumque voluptatis illecebras excitatur, atque ad quantulamcumque doloris particulam offendit. Ideo hujuſmodi homines nil amare ſolent, niſi quod blandiatur, leniterque moveat animum voluptate: nihilque contra magis averſari, quam quod vel minime eos inſuavi, acrique ſenſu perſtringat. SIM. Inde igitur eſſe putas, ut mali ſaepius in felicium hominum oculis ſint; quippe qui ſemper aliquam voluptatem iis concilient, ſtudiiſque ſedulo velificantur ſuis. FORT. Rem ipſam tenes. Honeſti autem viri, qui nec aſſentari, nec mentiri, nec, ut uno verbo dicam, ſupparaſitari ſciunt, ſed, veluti acerbi quidam paedagogi, nil probare, nil laudare conſueverunt, niſi quod virtutem, atque honeſtatem ſapiat, merito ab aulis, potentiumque aedibus exulant: quum eo-

eorum libertas alienae ſuperbiae, honeſtas turpitudini, doctrina ignorantiae vehementer diſpliceat. Quae res apud meliores,probioreſque viros,qui mecaſtor nonnulli ſunt,magnae commendationis loco eſſe ſolent. SIM. Ut verum eloquar, Fortuna, nunquam magis probabilia dixiſſe mihi viſa es. Eſto itaque ut ais. Quid vero in cauſa eſt, cur potentiores, qui malos diligunt, non omnes utique malos aeque ament, ſed certos tantummodo? Et contra, qui doctos, & frugi, quosdam quidem ex iis ſuſpiciunt, caeteros vero meliores fortaſſe, doctioresque deſpiciunt? Tanta in pari cauſa diſparitas tuam patefacit hiſce in rebus potentiam. FORT. Suum cuique, Simo; quod meum non eſt, id nunquam mihi patiar addici. Sane ſi quis a te quaerat, cur Nicetam, Lyſiamque praecipuos in familiaritatem adſciveris, quum ejus ordinis, cenſus, moris, ingenii, quamplurimi in Civitate ſint: nonne ei tu reſponderes, vicinitatem, ſaepius cum his colloquendi occaſionem, & ſimilia his, cauſam fuiſſe, ut neglectis aliis, qui aeque tibi congruiſſent, in horum neceſſitudine conquieſceres? SIM. Optime haec quidem. FORT. Eodem pacto, mi ſenex, viri principes, ſeu bonis, ſeu malis faveant, eos tantum ex his amare ſolent, quos cominus noſſe, quibuſcum loqui, ac frequentius eſſe potuerunt. Caeteros autem negligere prope neceſſarium eſt; nam ita humani animi natura fert, ut omnis caritas aut inter duos, aut inter paucos jungatur. SIM. Id fortaſſe verum eſt. Tamen haud raro accidit, ut & alicujus noſcat virtutem,vel improbitatem malus, aut bonus Princeps,& tamen odio habeat. Hos ſine ratione affectus Graecis vocibus ſympathiam,et antipathiam nos inanibus hercle vocabulis appellamus, quum revera fortunam appellare deberemus. FORT. Si inania haec vocabula penitus inſpiceres, profecto ejus rei cauſam facile deprehenderes. SIM. Praefer mihi facem, quaeso, in nimis obſcura re. FORT. Indolem, affectus, animique prope omnem habitum in homi-

num

Digitized by Google

num vultu Natura exculpſit : & ſua praeterea cuique conſuetudo inceſſum, ſermonem, ſupercilium, intuitum ita componere ſolet, ut nullo negocio, exteriore homine probe ac ſcite perpenſo, conjectura de ingenio, moribusque ejus fieri poſſit. Id tu negare non potes. SIM. Immo mihi omnino ita videtur. FORT. Inde eſt, o vir optime, ut primo ſtatim congreſſu alicui ultro faveatis, aut ſitis adverſi. Nam quum in aliquem incurritis, ſtatim, licet id fieri non advertatis, a corporis, atque oris habitu, de moribus ingenioque ejus tacitum animo judicium fertis, & prout illum convenire vobis, & quandam cum ingenio veſtro cognationem habere ſuſpicamini, vel diſcrepare, & inter vos morum repugnantiam eſſe; ita aut ſponte amatis, aut odio habetis. Quae judicia, etſi non nunquam falſa ſunt, & longa deinceps experientia eorum temeritas deprehenditur, magnum tamen momentum in conciliandis amicitiis habent, ut vix, magnoque tandem intervallo a primis his placitis diſcedatur. SIM. Neſcio quo te pacto teneam, ita, quacumque adprehendi, facile elaberis. Sane haud aeque lubrica anguilla eſt, quam demum ficulno folio conſtringas: de te vero deſperati prorſus laboris eſt, id aliquando expectare. At, ſi ſapiam, jam non deſperem. Eo tandem te perducam, unde evadere nulla ope poſſis. FORT. Perduc quo lubet: ſequar lubens. SIM. Hoc poſt paullo videbimus. Interea cauſas ex te audire ſtudeo, queis gratia interire ſolet, & potentum iſtorum delicias non raro proſternere. Id nos fortuna imperante fieri arbitramur; quid tu cenſes? FORT. Alia omnia cenſeo. SIM. Quid inde? Taces? At ego rationes expecto, cur non mecum ſentias. FORT. Senem ego ut doceam tam perſpicuas res? Equidem pudet. SIM. Nunc primum me in ludum literarium ire puta, nihil ſcio. FORT. Hoc nimis ex veritate a te dictum arbitror; nam profecto ſtultus es, ut qui maxime. SIM. Syncere quidem, nil circuitione uſa es. At jam rem ipſam.

FORT.

FORT. Malorum gratia, ſiquidem malis artibus parata, cito deflagrat: bonos conſtantior ſuſtinet. favor, quippe qui eſt a virtute. SIM. Nimis laconice, non placet, fuſius dicere te volo. FORT. Tundendo, atque odio me enicas. Obſecro, quae conjunctio inter malos diuturnior eſſe poteſt? Modo qui favet, faſtidiendo, modo is, cui favetur, peccando eam diſſolvit. Nec ii ipſi qui mali ſunt, malos diu ferre poſſunt. Eadem etenim vitia, quae in ſeipſis homines probant, in aliis perſaepe reprehendunt. Nam ſibi quiſque maxime indulget, & quod peccavit excuſat, aliena autem vitia, vix tantiſper dum juvant, conniventia proſequitur; poſtea vero, ſubeunte animum temporaria quadam pudoris cura, qui nunquam prorſus extinguitur, oppido execratur. Praeterea, recentem novi alicujus hominis nequitiam opportuniorem, ac gratiorem eſſe; & ad populare odium redimendum Principis ſaepe intereſſe eos affligere, quorum opera ad crudelitatem, & avaritiam explendam abuſus fuerit: ac ſexcenta hujuſcemodi, quae ſi quis mediocriter animum intenderit, celeriter mente comprehendet. SIM. At boni apud bonos Principes cur cadunt? FORT. Rarius hoc quidem accidit: verum duplici quoque malo ea gratia concutitur. Aut enim Principes imperitandi licentia, regnique illecebris corrupti (raro enim humana natura aliquem profert, qui valeat ſummam felicitatem perferre) animum veterem, vetereſque una amicos exuunt, quos merito exprobatores novorum vitiorum fore formidant; aut ii, qui gratia pollent, bonas artes favore elati abjiciunt, & quum ſecundo curſu ſe ferri vident, perſonam deponunt, & ſe non probos fuiſſe patefaciunt, ſed compoſito palam pudore, ſimulaſſe probitatem. Numquid me a laconica brevitate ad Aſiaticam redundantiam vis prorſus degenerare? SIM. Neutiquam vero. Nam frigere jam mihi videtur haec res: quare ad dignitates ſermonem te velim transferre, a quibus ne ſuſpicari quidem poſſum quo te pacto expe-

ditura

ditura ſis, ita conſtanter omnes homines arbitramur, tuo numine, quicquid ad eas attinet, fieri. FORT. Quid tandem eſt, cur ita arbitremini? Nil mecaſtor, tam facile a me abjudicari poteſt, quam dignitates. SIM. Quid ais ſceleſta? Ut ego a te dubitem effici, quae caſum, fortunam, temeritatem clamitant? Quum improbis, imperitis, indignis plerumque, & doctis quandoque, probis, merentibus prorſus temere collatas dignitates per omnem temporum memoriam hiſtoria doceat, credam ego, lege neſcio qua id factum eſſe, non turbine, atque inconſtantia tua? FORT. Idipſum paullo poſt confiteberis. Age ergo, Simo, quot ſe modis habere poteſt reſpublica? SIM. Vel corrupta eſt, vel optima, vel utrinque aliquid trahit: non tu hoc interrogabas? FORT. Idipſum. Corruptam vero eam appellas, quae conturbata eſt, & in qua arbitrium plurimum, leges minimum valent? SIM. Prorſus. FORT. In ejusmodi autem republica quid mirum eſt, ſi minus idonei, atque indigni plerumque ad honores evehuntur? Tunc enim vel improbi alicujus arbitrio, vel factione omnia peraguntur, malorumque conſpiratione: vel emptio venditio intercedit, quae non fortuna eſt, ſed juris gentium contractus. SIM. Exequere caetera, habeo hoc. FORT. Res ipſa loquitur, Simo, nil opus eſt reliqua exponere. SIM. Exequere caetera; audiſtine! dixi. FORT. Nimis imperioſus es. In optima ac bene ordinata Republica bonos merenteſque plerumque dignitatibus decorari videas; ubi enim ex legum praeſcripto res agitur, virtus primum obtinet locum. Atque hoc ut plurimum ita procedit: nam bonus, quandoque Princeps dormitat, & mali virtutem ipſam, quam odio habent, aliquando reverentur, & ornant. De media republica, numquid jubes? SIM. Non neceſſe eſt, teneo. FORT. Caeterum, Simo, neſcio cur tam anxie dignitates expetant homines. Nam ſi mali ſunt, atque improbi, prudentius omnino facerent, ſi eos imitarentur, qui aliquo corporis vitio labo-

bo-

Digitized by Google

borant, qui in occulto ſe exuunt, ne quem habeant ſuae deformitatis teſtem; ita, & ipſi quum illiberalem, & flagitioſum habeant animum, ſapientius agerent, ſi tenebris ſe, & vitae obſcuritate tegerent; nam dum in occulto ſunt, latere poſſunt: quum vero in altum evehuntur, tunc inſignem, atque omnibus notam faciunt ſuam pravitatem. Boni vero, dignos ſe potius dignitatibus efficere debent, quam eas ambire; nam claritas iis non ob veſtem, inanemque honoris titulum obvenit, ſed propter virtutem. Quare.... At quid tecum ipſe, Simo? Itane me loquentem deſtituis? SIM. Admiror hercle audaciam tuam, quae quum manifeſto tecum mendaciorum tuorum perpetuum circumferas teſtem, tranquilla nihilominus philoſopharis, & quod caeci vident, diem jam totum pernegas. FORT. Quem tu teſtem ais? Undenam ſubito tam apertum in me teſtimonium dicit? SIM. Oſtendam ego tibi, belliſſima, quod fruſtra me celas. Cornu illud copiae, quod cum clavo, quo cuncta regis, poſt rotam paullo ante clam rejeciſti, coronis, paludamentis, purpureis togis, aureis, argenteiſque nummis redundans, locuplesne tibi videtur teſtis, qui iſtam repentinam paupertatem tuam redarguat? Num me oculi fallunt? Quid hîc, quaeſo, in apertiſſima re proferes? FORT. Vere te oculi fallunt, mi ſenex; & ni lippitudo non iſtos tantummodo, ſed animi etiam oculos caecutire cogeret, rem sane dilucidam modo facile conſpiceres. SIM. Os durum! Etiamne loqui, etiamne conviciari audes? FORT. Tu ipſe Judex eſto. Accedeſis ad me, amplius, adhuc amplius. SIM. Quid amplius? Quo me inſinuem? Jam unum ſumus. FORT. Satis jam eſt. Age excutiamus modo ſimul locupletis hujus cornu divitias. En primum coronas: hanc, quae fulgentiſſima eſt, tibi largior: quid ea tibi videtur, Simo? SIM. Pulcherma sane, cedo eam. Proh summe Jupiter! Ex bractea coronam! At ex puriſſimo & ſolido auro videbatur. Tibi eam.

habe, nil moror. FORT. Excute modo imperatorias chlamydes, ac Principum virorum veſtes. Cape ex his, quae ſplendidior tibi ac nitidior videtur. SIM. Vah! quid crocus ad hanc, quid hyacintus, quid purpura? Ut pellucet, ut ſuaviter nitet! Vereor manum admovere, ne & haec in manibus nullius precii evadat, atque derepente ex auro carbones. FORT. Quid moraris? Fortunam aſpernaris talia largientem? SIM. Capiam enimvero. At o Dii magni! Papyraceam repente veſtem, quis Deus effecit! Nonne ex auro, & ſerico vellere videbatur contexta? Pol merum portentum eſt. FORT. Nempe fallus es. SIM. Quod quidem mihi acerbiſſimum accidit. Sed diademata, regiaſque veſtes cui libuerit largire; per me ſane licet. Aurum modo da mihi, caetera nec curo, nec volo. FORT. Cape ergo quantum libet, quis vetat? SIM. Amolire iſthinc primo inanes iſtas tragaedias, ne quid morentur. FORT. Factum. Cape jam. SIM. Salve aurum, quod noctu etiam videris refulgere, praeſidium, ac ſolatium vitae, humanorum negociorum omnium interpres, mulierum, virorum, Regum, pauperum, barbararum, excultarumque nationum amor, atque deliciae. Quamdiu te, quam enixe fruſtra concupivi! Salve iterum, quum te tam prope tandem aliquando ſaluto. FORT. Cape, quid magnifice declamitas. SIM. En capio: heu me! Iratum Plutonem, Deoſque omnes habeo. FORT. Quid ita? SIM. Quaſi in comaediis olim ſolet, ita mihi modo accidit: lupinos cepi, dum aurum capere mihi videor; heu me miſerum! Et mehercule adverſo Jove natum! FORT. O Simo, Simo, neſcis, vere comoediam vos agere, & variis indutos perſonis, tantiſper dum vivitis, Reges, Duces, divites, pauperes eſſe: acta vero fabula cunctos homines morti, veluti Chorago, perſonas reddere, & ad propriam nuditatem omnes redire. Ideo qui ſeſe in ſcena ludere noverunt, nihili prorſus faciunt, Agamennonem an ſervum agant. Qui vero rem

ſerio

ſerio agi opinantur, potentia, nobilitate, divitiis ita decertant, ut lepidum ſane, & jucundum ſuis contentionibus ſpectaculum praebeant ſapientibus. SIM. Quid mihi iſthaec putida ingeris? Jam plus millies legi. At modo, & haec, & quicquid praeterea ſcio libentiſſime vellem dediſcere, nam ſciam, necne mea quid refert? Satius epol eſſet, Regem modo, aut beatum aliquem in hac comoedia me agere; atque haec omnia, & ſi quae inſuper ſunt, miſſa omnia facere: quam pauperem, & miſerum, tam praeclaras fabellas, ſplendidaſque callere nugas. FORT. O aetatem male actam, atque ineleganter! Quae poſt tot annorum labores, tantis adhuc inſcitiae tenebris involvitur. O ſi paupertas iſta, quanti ſit facienda intelligeres; quae promtum, atque expeditum in difficillimo iſthoc humanae vitae itinere te praeſtat, quam libenter precioſis hiſce periculis, & fulgentibus impedimentis careres, quae, ut vitam operoſiorem & undique implicatiorem efficiunt; ita, quod malorum culmen eſt, anxiam, & omnibus ſollicitudinibus circumventam mortem cogunt oppetere. SIM. Vide, ut philoſophatur venefica! Ut alacriter in vetuſtiſſimis nugis exultat! At nae ego fungus ſum, qui tecum, quaſi cum aliquo Patrefamilias, ſella poſita, tranquille decem jam horas per ocium diſputo; nec mihi in mentem venit ſtulto homuncioni, cum Dea me omnium vaferrima, ac potentiſſima loqui. FORT. Quid hic, obſecro, ego feci, quae nullum verbum elocuta ſum? SIM. Quaſi non tu praeſtigiis, & carminibus, improba, oculos, atque ingenium obſtupefeceris meum, ut quae in manibus, & ſinu eſſent, ea nec videre, nec tangere mihi viderer. At quantumvis operam, ſtudium, diligentiam intenderis, ad divitias crede mihi haerebis: nec Simoni, quantum ad eas attinet, ulla ope poteris imponere. FORT. Adhuc igitur de divitiis diſputabimus? Nec tibi ſatis eſt, quod veritatem ipſam non per ambages, ſed caeſiis iſtis oculis

 aſpe-

Digitized by Google

aſpexeris, manibuſque iſtis curtis, atque rugoſis pertractaveris? SIM. Minime gentium ſatis eſt; integram hanc diſputationem ab ovo ad mala te proſequi jubeo. FORT. Neſcio te ſtultiorem, an pejorem eſſe credam, ita hebes ingenium eſt tuum, & peſſimus, ac corruptiſſimus animus. SIM. Dii averruncatores, quaeſo, auferte hinc in peſſimum cruciatum oblatratricem hanc importuniſſimam. Porro num me adeo vereri cenſes faedifragi, ac perjuri nomen, ut ideo tam contumelioſe tractari patiar? Deſine jam contumeliarum; opum cauſam, quod bonum, fauſtum mihi, felixque eveniat, ingredere. FORT. Unde me vis initium facere, mone, ne errem. SIM. Unde? Ab iis potiſſimum, qui in ipſo matris utero divites ſunt, qui vix lucem aſpexerunt, quum magna talenta poſſident: eos dico, quos tu in ampla & copioſa domo ex divitibus parentibus naſci imperaſti, ultro iis favens antequam naſcerentur. Hos tibi non ſolum caros, ſed ſane filios eſſe perſpicuum eſt. Nam qui major excogitari poteſt fortunae favor, quam nullo prorſus merito in vitam ſimul & opes, ignorantem, & prope vagitibus & lacrymis repugnantem produci? His ego maxime omnium invidere ſoleo; & quum paternis eos opibus ſuperbientes conſpicio, rabie differor, mecum reputans, caſu illos, & tuo beneficio tumeſcere, quaſi propria virtute. FORT. Buccones ſane iſti, & fatui ſunt, qui in ejuſmodi rebus ſe tantopere efferunt. Tu vero haud valde ſapientior es, qui iſtos invidia, atque admiratione proſequeris, quum miſeratione, & contemtu omnino digniores ſint. Verum, ut ad rem: non putas, Simo, ex maris feminaeque congreſſu natos gigni? SIM. Derides? Quid aliud putem? FOR. Porro neceſſarium eſt, ex pyri ſemine, pyrum naſci, ex mali malum, cedri cedrum, ex ſimiae ſimiam, leonis leonem. SIM. Neceſſarium. FORT. Neceſſarium igitur quoque fuit, Simonem ex Calviſio naſci, Demenaetum illum divitem in tua vicinia, ex Dyoniſio: atque eodem

pacto

pacto prorſus neceſſe fuit, quemque hominem eum habuiſſe patrem, quem re ipſa habuit. Nam quid hîc fortuna faceret? Niſi me, perturbatis Naturae legibus, praegnantes mulieres efficere cenſes, non ſuos viros. SIM. Quae mihi opinionum monſtra affingis? nunquam ego ſanus id cogitavi. FORT. Quid ergo me poſſe hac in re dixeras? SIM. Nempe ditari a te parentes, ut ii, quos diligeres, e divitibus naſcerentur. FORT. Enimvero mirabile fuerit, me ei favere, quem neſciam maſculum an foeminam, album, atrumve, gibboſum, an rectum, ſtrabonem, an paetum fore: &, quod magis mirere, ignorem, in lucem venturus ſit, necne. At quando me in iſtorum gratiam parentibus divitias dilargiri credis, inſpiciamus o generoſe, quodnam ejus rei afferas argumentum. SIM. Sexcentis modis eorum Patres ad divitias evehis; visne ſingula narrem? FORT. Orbis itaque, ac caelibem vitam agentibus non faveo, aut alio quopiam pacto faveo. SIM. Nequaquam vero iſtuc, ſed pro libidine omnibus. FORT. Quid igitur praecipuum iis impertio, quibus largior, ut ex magnis, ac divitibus oriantur? SIM. Idipſum, ut ex divitibus oriantur. FORT. Recoctam crambem apponis: dudum eſt, quum hoc exploſimus. Jam intelligis, Simo, ad genus te eſſe delapſum: eoque tandem quaeſtionem recidiſſe, ut videamus, meane liberalitate, an ſua induſtria, aliiſque de cauſis, non patres ſolum, ſed quicumque homines diteſcant. SIM. Et intelligo, & expecto quid dicas. FORT. Dicam, o bone, ab eodem hominis animo, a quo ſuperiora omnia deſcendere cognovimus, divitias quoque proficiſci, & nonnihil a neceſſario naturalium cauſarum ordine adjuvari. Verum quia improbus, & inanis labor eſſet, ſingulorum hominum minutas fortunarum ſpecies percurrere: ſatius mihi videtur ea ad certa quaedam capita redigere; ut, explicatis breviter generalibus cauſis, facillimum tibi ſit, eas ad ſingula, ubi uſus fuerit, accomodare. Tuum autem eſt,

Simo,

Digitized by Google

Simo, qui res urbanas diuturna meditatione complexus es, ea ſumma capita nobis indicare; ne quaedam a me, poſtmodum crimineris, propter difficultatem eſſe praetermiſſa.

SIM. Difficile opus narras, quod ſane non extemporalem operam, ſed longam acremque requirit inquiſitionem. At, ne quâ hodie effugias, aggrediar ad opus, & ſi omnia aſsequi nequivero, pleraque tamen exponam. Sex praecipua divitum genera, ut quidem videtur modo, in Civitate ſunt. Primum hercle genus eorum eſt, qui teſtamentis, atque hereditatibus diteſcunt: ſecundum mercatores complectitur: tertio ii continentur, quibus aliqua publicae privataeque rei procuratio obvenit: in quarto forenſis turba eſt; quintum aleatores abſolvunt; poſtremi veniunt theſaurarii. At at praeterieram imprudens mirabile quoddam genus hominum, qui quum in ſordibus & ocio tota vita jacuerint, divites tamen repente per civium ora volitant, in quibus mehercle maxime ſoleo obſtupeſcere. Haec modo velim mihi enucleate explices: ſi aliud quid poſtmodo ſuccurret, requiram. FORT. Quum indicaveris, illico ſatisfaciam. SIM. Incipe hoc jam. FORT. Ex teſtamento divites bifariam dividemus, Simo; vel enim propinquorum, & conſanguineorum hereditatibus divitias nacti ſunt: vel amicorum, & extraneorum liberalitate. SIM. Probe hoc quidem. FORT. Illos meo favore opes aſſequi tu certe non dicis, abſurdum etenim eſſet. SIM. Cur non dicam? Immo eos quammaxime. FORT. Jam ego tribunal conſcendam, album proponam, interdicta, actiones me daturam pollicear, faſceſque Praetorios mihi jubebo protinus anteire. SIM. Quid iſtuc ſibi vult? FORT. Quia Praetoris munus eſt, eos qui agnatione, aut cognatione juncti ſunt vocare ad propinquorum ſuorum bona poſſidenda. Quod ſi tu me hiſce rebus praeſidere arbitraris, extra ordinem urbanam mihi provinciam demandas, juſque invadis, quod Populi Romani fuit.

SIM.

Digitized by Google

SIM. Non urgebo amplius: ne me a Praetoria aequitate traducas ad juris civilis laqueos, ac subtilitatem. Alterum, quaeſo, ex teſtamento divitum genus exequere, primis in ſanguinis jure quieſcentibus. FORT. Invita, fateor, invitum te ad jus civile traham. SIM. Quid ita? FORT. Lex eſt in duodecim, quae Patrifamilias ſuper pecunia ſua liberam eſſe teſtandi legandique poteſtatem jubet. Cur itaque, ſi quis amicum heredem ſcribat, aut quippiam legaſſit, id non Romano, ſed meo jure faciet? SIM. Faciat quantumlibet civili jure: nunquam vero, ut illum potius, quam me ſcribat, ab aliquo jure deſcendet, niſi tuam improbitatem admiſceas. FORT. Ea vero, Simo, amoris, & grati animi lex eſt; qua neſcio an in Populorum ſcitis, & rerumpublicarum legibus ſint ullae firmiores. Iis etenim plerumque morientes bona ſua relinquunt, quos incolumes dilexerunt. Adde heredipetarum mirificas artes, teſtatorum coecam ultimi illius temporis trepidationem, magna ſimulati amoris ludibria, familiarium dolos, captatoria, & quandoque ſuppoſita teſtamenta. Inſpice, Simo, diligenter genus hoc, ſtatim patebit, minimam in eo difficultatem eſſe; nec tam unquam ignotus heres ſcribetur, quin, ſi rem attente perpendas, facile intelligatur, qua potiſſimum cauſa ſcriptus ſit. Verum permodicus modo hac in re eſt labor. Vix etenim unum, aut alterum invenire eſt, qui hereditatem ex amici teſtamento ceperit: niſi fortaſſe eos in hoc numero recenſere velis, quibus tabula quaedam, aut vaſculum quoddam argenteum relicta ſunt, codiceſve, perpauci. Tenuit olim, Simo, tenuit inter honeſtos graveſque viros in bene moratis civitatibus praeclarus hujuſmodi mos. Nam tunc temporis piaculum fuiſſet, quos quiſque optimos amicos habuerat, iis, ſinminus heredes poſſet inſtituere, unciolam non aſpergere, nec legato ſaltem honorare: ne ſi teſtamento eos neglexiſſent, vivi amicitiam viderentur mentiti eſſe. Nunc alio res vertit,

alii

alii prorſus hcminum mores. Quare nil minus verendum eſt, quam ne nimis multi, quod quidem ad hoc attinet, tibi videantur fortunati. SIM. Mehercule te auſculto lubens, Fortuna, de novis hiſce hominum moribus, & de priſca probitate graphice diſſerentem, & niſi ea modo res ageretur, cui nil decet praeverti, sane poſſem vel integrum menſem libenter de his audire. Attamen de omnibus fortunis meis nunc agitur; nec niſi patratis conſiliis, acceptiſque a te, quas tamdiu jam depereo, divitiis, alio mihi licet ſermone, aliiſque cogitationibus animum meum oblectare. Quare exhauſta jam hereditatum cauſa, te vel ad mercatores, vel ad theſaurarios confer. FORT. Itaque theſauros aggrediamur. SIM. Haec mihi maxime omnium compendiaria ad diteſcendum videtur via. Nec cuique te amicam magis, atque obſequentem fuiſſe exiſtimo, quam iis, quos hoc modo ditaſti. Etenim vix animo poſſum comprehendere iſtorum incredibilem laetitiam, quum in extrema rerum omnium poſiti neceſſitate, atque ad ſumma jam conſilia adducti, derepente vel ollam quampiam, vel dolia quoque integra omnis generis pecuniae repleta ſub foco alius defoſſa, alius ſub neglectis ruderibus, alius alibi ex inſperato conſpexerunt. Mihi ſaepe tentata haec militia fuit, nec aedes fuerunt ullae, ubi habitaverim, quin pene a fundamentis exſciderim, dum occultiſſimos, atque obſcuriſſimos quoſque augulos perſcrutor; parietes omnes, qui altius aliquanto, & raucum quiddam percuſſi reſonarent, perfodio, focum, laquearia, pavimentum diſturbo. Quinetiam aliquando in aliena praedia, quaſi in expeditionem quandam, cum omnis generis ferramentis noctu profectus ſum, inani uſque, atque infelici labore. Nam modo me canes per avia atque incognita praecipitem latrando egerunt, dum opus perficerem: modo fundi dominus alicunde ſubito exortus, quaſi nocturnum furem me comprehendit, probeque tergino, & fuſte dolatum, vix poſt biduum dimiſit jejunum, & vibicibus

bus

bus ampliter variatum. Aliquando, quod quidem, Fortuna, aegerrime tuli, alte defoſſa humo,quum jam in eo eſſem, ut ad quemlibet ligonis ictum fulgorem auri videre mihi viderer, corbeſque jam quamplurimos ad illud avectandum paraſſem, innumerabilia ſubito cornua ex illo ſcrobe mihi apparuerunt, ut omnia ab Urbe condita omnium animalium cornua eo in unum locum, quaſi ad ſpectaculum quoddam, conveniſſe viderentur. Et, ſi tibi aliqua eſt cura veritatis, profecto nullum mortalem unquam fuiſſe confitebere, qui crebrius hac in re tibi riſum excuſſerit, quam ego, qui plane indefeſſus in ejuſmodi expeditionibus fui. FORT. Pol ego nunquam antehac tam volens, libenſque riſi, ac modo me ridere cogit ſtultitia tua. SIM. Quid, malum, adeo ſtulte dixi, mulier ſapientiſſima, ut verbum efformare non poſſis prae riſu? Sane tibi pruriunt ſcapulae. Jam vero non deſinis? Non deſiſtis? FORT. En jam deſtiti; jam non amplius rideo. At pace tua, Simo, prorſus in mea poteſtate non fuit, ut riſu abſtinerem, quum narranti tibi praeclaram illam militiam tuam, rubentes iſtos ac minutulos oculos prope ardere cernerem, frontemque ſuperciliis mirifice ſuſpendi. Et tanto hercle magis, quod a tam ſeria facie, & mere philoſophicis rugis aliud omne debueram expectare, quam aſſiduas foſſiones, & ſervile illud, ac laborioſum opificium. SIM. Mihi ego fodi, mihi laboravi: non haec tua curatio eſt. Illud quamprimum te jubeo dicere, curnam mihi tanta diligentia incaſſum cecidit; nonnullis vero aliud omnino agentibus evenit, ut in auri montes imprudentes inciderent: ſpero te cachinnos iſtos tandem repreſſuram, quum intelligas, de re undequaque difficili tibi diſſerendum eſſe. FORT. Quaero ex te, Simo, ſi quis ad arcam tuam furandi animo acceſſerit, quid in ea cenſes illum reperturum, idne, quod tu inibi ſervas, an quod omnino in arca non eſt? SIM. Inveniet profecto, quam ibi ſervat uxor croceam pallam, amiculum puniceum,

quod ei quondam avia nuptiale donum miſit, attrita quaedam calceamenta, caricas praeterea, panem, & ſalſamenti neſcio quid: plane, Fortuna, parum omnino praedae praedatoribus. FORT. Aurum vero cur non inveniet? SIM. Scilicet, quia non eſt. FORT. Fur iſte igitur, Simo, non quod ego ei fuerim adverſa aurum in arca tua reperturus non eſſet, ſed ideo, quod tu nullum unquam ibi repoſuiſti. SIM. Per Jovem non alia de cauſa. FORT. Cujus ergo me criminis poſtulas, ſi quum tu in iis locis foderis, ubi theſaurus non erat, aurum non inveniſti? Nam ut tu reperire poſſes, oportebat alium quempiam nummos ibi antea defodiſſe. SIM. Oportebat id quidem: verum ut ego ad cornua, ille ad argentum deferremur, fortuito equidem evenit, non prudentia, non conſilio, non neceſſitate. FORT. Illud libentiſſime do, non conſilio, nec prudentia id accidiſſe: at ridiculum eſt, quod humano conſilio non accidit, id continuo affirmare nulla de cauſa eveniſſe, quaſi uni homines rerum omnium effectrices cauſae eſſent: quod quidem totum eſt arrogantiae ac ſuperbiae veſtrae. Atque ut hoc eluceſcat magis, age inſpiciamus, quid tandem ſit caſus iſte, cui tu unice niteris. Mihi quidem videtur, id caſum vos appellare, quod ſic evenit, ut vel non evenire, vel aliter potuit accidere. Veluti quum quis agrum colendi gratia ſodiens theſaurum reperit, vel quum ſagitta alio defertur, ac animo ſagittarius intenderat, & deinceps eodem pacto in omnibus. SIM. Docte rem tenes. FORT. At niſi incognitas opiniones in animum paſſim admittere veſtra eſſet conſuetudo, epol, ut ſexcentis erroribus careretis, ita hanc de caſu ſententiam penitus exploſiſſetis. Etenim omnino verum eſt, certis motibus, & actionibus certos neceſſario effectus reſpondere; & naturali quadam colligatione, ac neceſſitate, quum actum, aut motum eſt aliquid, continuo id ſequi, quod ei motui, atque actioni naturale ac conſonum eſt. Has propter leges,
quae

quae ſemper atque ubique locorum eaedem ſunt, quum campanum aes malleo percutias ſonus editur, quum vitreum calicem eodem ferias malleo, is frangitur; quum aquam vaſe contineas, quaſi ſolida ſtabit, quum effundas, ea ſtatim diffluet. Iisdem legibus, eademque neceſſitate cauſarum, ne ſingula percurram, reguntur univerſa. Quum igitur quis terram fodit, ut cominus tecum agam, Simo, neceſſarium eſt, quod occultum erat, ac ſub terra latebat, ſublata deſuper humo, in lucem proferri, ſive lapides ii ſint, ſive aurum, ſive cornua: Nec quia vobis precioſius lapide eſt aurum, Natura ideo leges mutat ſuas, atque hoc altius, & accuratius ſervat ac continet, illum facilius prodit, atque educit. Sed aequo omnibus jure, aeterniſque legibus immota veſtris opinionibus non immutatur. Itaque, etſi aliud cogitavit homo, aliud reapſe evenit, attamen id eveniſſe certum eſt, quod actio, quod motus requirebat. Nec enim ſagitta eo delata eſſet, quo caſu vos feriiſſe dicitis, niſi eam vel ita ſagittarius (prudensne, an imprudens, nil prorſus ad rem) impuliſſet, vel alia quaepiam objecta res deflexiſſet, ita ut alio ferri non poſſet. Ut vero tu in eum locum incideres, unde quiſquilias meras effoderes, ille alter ollam auri plenam, id ſane non fortunae, neque Naturae peccatum eſt: verum ut cogitatio, ſuſpicio, aut opportunitas quaedam vos impulit, ita in diverſa iviſtis, & quiſque id invenit, quod inveniri neceſſe erat. Quem igitur tu caſum dicis, eum nequaquam caſum eſſe intelligis, Simo, ſed ſtupiditatem, atque ignorantiam tuam. SIM. Quaſi me gelida perfuderis, ita totus horreo, & frigeo; lingua palato haeſit, mens nuſquam eſt mihi. Nunc hercle proram, ut ajunt, & puppim amiſi, nec quid agam, quid dicam ſcio. FORT. Hui! Simo, vix unum, & alterum divitum genus percurrimus, & deſperas jam! Erige te, caetera erunt fortaſſe meliora. SIM. Heu me miſerum! Haec maxima mihi ſpes fuerat; nec quicquam a te

tantopere mihi expetebam, quam theſaurum. Neſcis quid ſit, ſine ullo labore, ſine ulla expectatione, ſine cura, ſine moleſtia momento temporis diteſcere. O rem mihi optatiſſimam! O Simonem miſerrimum! FORT. Obſecro, Simo, quid agis? Nullumne ejulandi finem facies? Ah pudeat ſenem .... SIM. Ego tibi hodie jugulum iſtud dentibus hauriam, peſſima, & linguam iſtam impuriſſimam minutatim concidam; quae mihi querelarum etiam ſolatium adimis. FORT. Plora, luge, afflicta te, ut lubet, quid enim ad me? Ego quod indecorum ſenectuti tuae videbatur, tam fracte ac muliebriter queri, ideo ut deſiſteres hortata ſum; caeterum age quod vis. SIM. Ut compoſito loquitur vultu, venefica! Quis ei non crederet? Occidam ego te hodie, ſi vivo. FORT. Ego foedus te, quae tua fides eſt, ſervaturum confido, nec iſthaec dicta me terrent. Nunc, ſi videtur, cernamus caetera. SIM. Cernamus. FORT. At quid potiſſimum?

SIM. Nunc ignaviſſima es, omnia neſcis. Age, excute mercatores. FORT. At quid tibi fortunae opus videtur in mercatoribus? SIM. Toti ſcilicet tuum opus ſunt a capillo ad pedum unguiculos. Tu ſordidos ac tenues homines, ubi in mentem venit, ab avito luto ad ſummum extollis divitiarum cacumen. A tunica, & vili ſocco evehis ad purpureas togas, & ſublimes cothurnos: divitias, honores, nobilitatem, regiasque iis uxores quandoque dilargiris. Tutum mare, ac placidum praebes, piratas avertis, maximarum rerum opportunitates offers, & quicquid inceperint, continuo reddis effectum. Contra, eadem, quum libitum eſt, Coelum, Mare, Terram miſces, humana omnia turbas, rerum ordinem invertis, ut infeliciſſimi cujuſpiam conatus retundas: naves in brevia, & ſyrtes impingis, merces corrumpis, earum precium ex inſperato minuis, atque, ut uno verbo rem abſolvam, velint nolint, in perpetua eos cogis vivere paupertate. Nec tibi turbandi hic finis eſt. Eosdem illos, quibus

bus tantopere adſpiraveras, nonnunquam derepente affligis, & ſecuros, ac fidentes proſternis; illoſque, quibus maximopere adverſata fueras, immutata nulla de cauſa voluntate, abjectos erigis; atque ita hos illis, illos hiſce, perpetuis vicibus jubes in divitiarum poſſeſſione ſuccedere. Iſthaec, o fortuna, tam aperte tua ſunt, quam hice oculi, hae manus ſunt meae. Quid taces? propera, viden' adveſperaſcere? FORT. Ne verere, Simo; non occidet hodie ſol, quin hinc diſceſſerimus, rebus omnibus inter nos undequaque peractis. Huic vero diſputationi de mercatoribus maxime affinis eſt ea, quam habuimus de bellorum eventu. Mercator etenim Duci ſimilis eſt, qui, pro induſtria ac prudentia ſua, rem ut plurimum bene, aut male gerit. Merces ſunt militum loco, quae ſi perite ſeligantur ac tempeſtive lociſque ſuis emptiones venditiones de his inſtituantur, magnis plerumque bolis, certoque lucro mercatorem auctant. Utrique vero, Duci nimirum, mercatori, communes ii caſus ſunt, quos fortunae tribuitis; venti, tempeſtates, pluviae, rebusque gerendis momenta quaedam adverſa, vel ſecunda. Utque Duci diximus, caſibus his ſapienter moderanti, proſpere eventa cadere, eodem pacto ſi mercator ſe ſe his prudenter commiſerit, ita ut quamminimum ab iſtiusmodi rebus ea, quae geſſerit, pendeant, ſpem ſane perraro negociorum exitus fallet. Qui talem ſe praeſtat non hercle fortuito diteſcet. Qui vero imperite, atque oſcitanter rem adminiſtraverit, nec, quum aliquid gerendum ſuſcepit, bona malaque diligenter circumſpexerit, occaſionibus pariter inſtare ignorans, ac vitare contraria, hic ſine impulſu meo, ipſemet ultro concidet. SIM. Dederim ego lubens, nonnulla a judicio, ac induſtria mercatorum pendere: verum, ut omnia ab his praeſtari poſſint, id vero nunquam affirmem. Quo enim ingenio, qua arte mare ventoſque obſequentes efficient? Opportunitates excitabunt vendendi, emendique? Inſtitorum, ac negociatorum,

torum, quibuscum commercia exercent, fidem retinebunt? Haec talia ſunt, ut longe exſuperent humanae induſtriae captum. FORT. Praetereo, haec ipſa nonnihil propter hominis prudentiam, vel imprudentiam magis, minusve officere; cominus orationi tuae inſtabo. Vide quo te contentionis aeſtus abripiat. Quid fortuna, vel te Judice, peccaverit, ſi non ex fide inſtitor pecuniam tractavit? Quid? Si amicus quispiam male gerendo rem patrimonio dejectus eſt, unde jactura accidat mercatori? Nil per Jovem, Simo; niſi furta etiam, perfidia, fraus, hiſque ſimilia tibi videntur fortuita. Praeterea doceri a te cupio, quomodo alicujus rei caritatem ego alicubi efficiam, ſcilicet, ut alumnorum meorum merces plurimi veneant: utque eadem vilitatem, ubi libuerit, inducam, ne, quos ego odi atque averſor, lucrentur. Haeccine, ut ego faciam, Simo? O puerilia deliramenta! Mare vero non fortuna, non caſu agitatur, ſed ventis, ſed ſuperiorum corporum impulſu; horum autem aeternae, ac naturales ſunt cauſae. Vos vero ideone mare ventoſque Naturam ciere, atque agere arbitramini, ut minuto cuipiam homunculo naviculam lucelli cauſa exercenti faveat, aut negocium faceſſat? O ſuavia ac ridicula capita! Amabo, quid hic diutius tempus diſperdimus? Taedet me profecto, nec ulterius ſine ſtomacho his de rebus loqui poſſum. SIM. Nec ego audire, ſi me obſecres. Scire tantum a te cupio, an etiam a te ſegreges converſionem illam, quae nonnunquam divitibus iſtis accidit; ut, poſtquam ſummas opes conſequuti ſunt, decreſcere paullatim incipiant, poſtremoque ad paupertatem regrediantur. FORT. Jam paucis rem iſtam conficiam. Hunc rerum ordinem hominum indoles in divitiis parandis, ac dimittendis plerumque ſervat. Paupertas primo exiſtit; quae quum ingenioſum, & cupidum hominem nacta eſt, acribus eum ſtimulis agitans, oeconomiam colere, ac induſtriam intendere adigit; unde continuo divitiae progignun-

gnuntur; his nobilitas comparatur; qua parta, faſtus, & inertia ſubingrediuntur; haec patrimonium exhauriunt, & rem ad ſua initia reducunt. Inde ea viciſſitudo eſt, quam tu divitibus inſtare mirabaris: quae longioribus, aut brevioribus perficitur intervallis, prout eorum eſt ingenium, qui divitias parant, & amittunt. Credo nil te ultra quaerere. SIM. Prorſus. FORT. Visne igitur alio ſermonem transferamus? SIM. Quod quidem felicius mihi eveniat, quam praeterita. Sed nimium timeo a fabellis tuis, Poëtria. FORT. An tu fabulas reris, quae diximus? SIM. Non videntur, at ſunt fortaſſe. Aſtum, & malitiam tuam maxime metuo. Nunc vero inſpiciamus eorum vias, qui publicae privataeve rei adminiſtratione ad divitias perveniunt. Hos quomodo dites expone, nam ego juxta cum ignariſſimis ſcio.

FORT. Horum hominum a me ad Mercurium tutela eſt transferenda. SIM. Curnam? FORT. Quia generoſi iſti, Mercurio authore, pecuniam publicam quaſi ſuo jure, ſiquidem publica eſt, in ſuos uſus avertunt: privatam autem, ut amici, quorum ſunt omnia communia, ſurripiunt: vel potius freti naturae legibus, quibus nulla ſunt rerum dominia, niſi occupantium, rebusque occupatis incubantium. SIM. Optimo nimirum jure. FOR. Cui optimo juri ut reſiſterent, Peculatus, de Reſiduis, Tutelæ, Negociorum geſtorum, & tot hujus generis actiones invexerunt Romanae leges. Num me diutius inter tagaces iſtos retines? SIM. Nil moror, I quo lubet, &, ſi videtur, ad forum. FORT. Neſcio cur praecipuum quoddam genus divitum effeceris ex forenſi turba. Namque & Medici, & Architecti, & univerſi, quibus ingenium divitias parit, in eadem ſunt navi; nec cur tu ex tanto numero unos omnium Jurisconſultos ſelegeris, intelligo. SIM. Ut cate diſſimulas! quaſi ſit aliquid, in quo magis imperium eluceſcat tuum, quam forum. Quod mediusfidius vere fortunae Euripus appellari poſſet. Nam quid tibi

ego

ego narrem? Quam mira, quam nova ibi quotidie efficis? Mihi quidem, quamvis longe a forenſi tumultu vitam egerim, quum illarum rerum conditionem mecum ſaepe reputaſſem, viſum eſt, in brevi illo fori ambitu, ea omnia a te cumulate fieri, quae per omnem Orbem ſparſa, ac diviſa ſoles efficere. Ibi ſumma imis, ima ſummis perpetuo miſces; rationem, jura, ordinem confundis; hinc temere auſers, quod illuc eadem temeritate transferas: merentes, & nec merentes fortuito ſublevas, opprimis: modo virtuti, modo, & ſaepius audaciae atq; impudentiae faves; ignavos, induſtrios, ſceleſtos, probos, doctos, indoctos veluti quodam vortice ſurſum deorſum nullo ordine, nulloque certo judicio deprimis, attollis. Atque omnia haec tanta varietate, atque incoſtantia, ut vix harum rerum exiles quaedam umbrae ſint, quae in imperiorum, ac bellorum caſibus a te effici arbitrabar. Ideo, licet, & in Medicina, & in Architectura, caeteriſque artibus nonnihil turbes, unam Juriſprudentiam ſepoſui, nam alia longe quantum recedunt ab hujus exemplo! Tu vero obmutuiſtine? Quid tamdiu jam taces? FORT. Alio ſermonem transfer, nam mihi his de rebus tacere certum eſt. SIM. Tacere! Cur tandem? FORT. Male metuo. SIM. Quid? FORT. Ne mihi impingant dicam: tu autem noſti, quam meticuloſa, ac dubia res ſit ire ad Judicem. SIM. Siquidem vera dices innocentia tua te tuebitur. FORT. Ignoras, mi Senex, quam odioſa res ſit veritas. Tu vero non deſinis me hortari, quod ſi Jupiter imperet, nihilominus non dicam? SIM. At nunc ſoli ſumus, quem metuis? FORT. Ventos mehercule metuo, ne ſermonem noſtrum vulgent. SIM. At at, nunc demum quid his ambagibus quaeras intelligo, verum fruſtra tibi erunt tui doli. Sapienter, per Jovem, ſcopuloſam hanc diſputationem vitabas; nam quid diceres, quid comminiſcereris, quominus a te forum regi exiſtimarem? Sentio, jam pigmenta defecerunt. Quam pene

cau-

Digitized by Google

cautus ille, & aſtutus Simo in tranſennam incidi! Loquere autem, ſapientiſſima; expone forenſis Euripi cauſas, philoſophare etiam nunc, ſane digna res eſt. FORT. Obſecro, Simo, cur non movenda me vis loqui? Fruſtra urges, loqui neſcio. SIM. Hui! mirum equidem: ex tam eloquente, ac dicace, tam infans, atque inſcia repente effecta es! FORT. Profecto tu teipſum fallis; ſyncere tibi dico, Simo, me ob timorem non loqui. SIM. At ego timorem tuum non floccipendo; loquere, aut lege foederis tecum agam. FORT. Excrucier potius, quam committam, ut in tam avaras, crudeleſque deveniam manus. Audi ergo; at ſciſne? SIM. Quid? FORT. Id ego, quicquid eſt, clara voce non dicam. SIM. Dic remiſſà. FORT. Non ſatis eſt; in aurem loqui oportet; inclina te paullulum, pluſculum adhuc; preſſius admove aurem ori. SIM. Factum. FORT. Satisne tibi haec ſunt, Simo? ut credas nil fortuitum in foro evenire. SIM. Dimidio plus, quam fuerat opus, dixiſti. Plane te adjutricem haud amplius deſidero: quippe, Fortuna, foecundos fertileſque campos colit Juriſprudentia. Progredere itaque ad reliqua. FORT. Reduc mihi in memoriam, non enim memini, quid ſuperſit.

SIM. Aleatores te jamdudum expectant; hi autem in te omnia ſua ſita habent. Nam unice ab arbitrio tuo pendet, ut jactura, vel victoria ludum ſequatur. Non ibi ingenium, non aetas, non experientia vel minimum adjuvant; ſed omnia eum ſortiuntur eventum, qui nulla prorſus contineatur praecedente cauſa, nec inſtanti, nec remota. Huic tu, bardo fortaſſe & agreſti, conſtantem victoriarum ſeriem largiris: hunc periculoſa varietate oblectas, ut inducas, & demum omnino peſſumdes; illum aedium, fundorum, & fortunarum omnium auctionem facere adigis, pertinaciſſime obſiſtendo, ut ne vel ſemel ei alea proſpere procedat. Nec modo tibi aliorum calamitates narraverim; ſat erit acerbiſſimum ca-

ſum meum in medium afferre. Nam mihi, quum aliquando quicquid domi erat conraſiſſem, ut ab alea diteſcerem, fruſtra reclamante, & fuſte pugniſque contra obnitente uxore, per Jovem, inauditum quippiam accidit. Etenim quum prope trecenties talos jeciſſem, damnoſum uſque canem jeci; nec niſi conclamata pecunia, quum ira percitus talos aliud agens in medium projeciſſem, iterum atq;iterum aſpexi venerium. Quantos tunc tibi,improba,calamitas mea excuſſit cachinnos? Videbas me exenterato penitus peculio implacabilem uxoris iram, cui domum plane compilaveram, ſerio metuentem, interdiu per angiportus ſqualentem, & jejunum errare, hybernasque noctes, prae metu, ſub Jove frigido trahere. FORT. Non tantum mihi otii ab re mea fuit, ut quae nihil ad me pertinerent, curarem. At quid te, parcum alioqui, & prudentem hominem, ad aleam adduxit? Dubium ſane, & periculoſum negocium. SIM. Eudemus ille in vicinia, quem Dii Deaeque evertant, infelicitent: cui mira proſperitate ea res evenerat. Nam quum paucos ante dies eo praecipue nomine mihi eſſet conjunctiſſimus, quod graviore etiam, atque ego, paupertatis morbo laboraret, ſummas repente ab alea opes nactus eſt, ampliſſimaque domo comparata, ſerviſque coemtis unus ex bea[illegible]rum cohorte effectus, diffluebat omnium rerum, ac commodorum copia. Et, quod maxime animum meum urebat, me quaſi ignotum aliquem non modo colloquio, & familiaritate amplius non dignabatur, ſed nec ſalutem dicenti, reddebat, nec me amplius eo modo, quo antea ſolitus, intuebatur, verum, quaſi coecutiret, connivens, & adductis ſuperciliis. Hic me homo perdidit: ſeu potius tu me perdidiſti; nam cur, quaeſo, tam diſſimilia in pari cauſa eveniſſent, niſi tu, pro crudelitate, & imperio tuo, haec ita juſſiſſes evenire? FORT. Longe plures ab alea decoctores effectos exiſtimo, quam divites; mala enim res... SIM. Non id ego ex te quaero: abunde

ſcio,

ſcio, &, ſi cupis, decem millia in utramque partem exemplorum memoriter tibi narrare poſſum, nil opus eſt ſermone tuo. Illud cupio quamprimum audire, ecquid aſferas, cur tui juris alea non ſit. Eccere expecto quanta mendacia proferas.

FOR. Antequam in hanc diſputationem ingrediamur, convenire inter nos velim, nempe ſi aliquid accidat, quod ab hominum arbitrio non pendet, omnino non ſequi, forte, caſu, temere effici. Quoniam, ut paullo ante innuimus, nonnulla ab hominibus efficiuntur, nec eorum ipſorum magna pars, quorum eſt eorum poteſtas, quomodo fiat, propter humani ingenii imbecillitatem, ipſi aſſequi valent. Id mihi certum videtur. SIM. Poteſt admitti hoc. FORT. Rem ipſam modo inſpiciamus. Tria ſunt in iſto aleae genere, quo tu rem familiarem tuam confeciſti: nimirum tali, luſor, & motus. Tali quidem ſi eos nemo jaciat, loco non moventur. SIM. Macte! dubia equidem res. FORT. Luſorem in meane an in ſua ais eſſe poteſtate? SIM. Mehercle in ſua, ſi ſanus eſt. FORT. Motum apertiſſime luſor ipſe ciet, non ego. SIM. Sane. FORT. Mihi vero, Simo, quas tribuis partes in alea, quum tali, & motus in luſoris arbitrio ſint, ipſe a ſemet pendeat? SIM. Hui vix tribus verbis, hanc te rem confeciſſe credis! Nimium me deſpicis, o bona, quae opinionem meam ne longiore quidem confutatione dignata es. At ad rem. Homo quidem talos jacit; apertumque eſt, & motum ab eo oriri, & ab eo talos moveri: verum, ut hoc vel illo modo conſiſtant, id ſane mere fortuitum eſt, quippe id omnino non regitur ab hominis voluntate. FORT. Rurſus mihi hominis voluntatem obtrudis? Non convenit, & alia complura rerum cauſas eſſe? Hic equidem unica cauſa eſt, motus, cujus leges nulla humana ope inverti poſſunt; ſed eae, velint nolint homines, a quibuscumque motis corporibus adamuſſim ſervari debent. Quapropter jactis hoc, vel illo modo talis, fortuitum ſane non eſt, ſed omnino in

Digitized by Google

Natura certum ac neceſſarium, ut hoc vel illo modo conſiſtant. SIM. Haud incallide tergiverſaris; at non perſuades. FORT. Sponte haeres in luto. Nam dic age mihi, vir optime, ſi extra ludum calculos illos animi gratia quispiam e pyxide emittat, nonne ſive hoc latus, ſive illud, prout illi impulſi fuerint, neceſſario ſuperius, vel inferius erit? Tunc quoque me illos vertere, quà libuerit, putas, an ita, ut rei fert natura, cadere? SIM. Fortuna tunc quoque. FORT. Quaſi dicas ſine cauſa: namque hominem negas id efficere: de motu, quod omni dubitatione caret, affirmare non vis: me res ipſa excludit: ubi enim de nihilo agitur, ubi nec juvare, nec perdere quemquam poſſum, equidem non eſt, quamobrem ego interſim. Sine cauſa igitur tunc conſiſtent tali. SIM. Nunquam ego, aliquid ſine cauſa evenire dixerim. Verum neſcio, quo me vertam, tam late tenebras menti meae modo offudiſti. At de talis jam viceris: quid mihi de cæteris aleæ ſpeciebus, quid præcipue de ſortibus reſpondebis? FORT. Eadem rurſus, Simo? Quaeſo, ſi centum aleae formas homines excogitaverint, num cauſae, num rationes quoque erunt diverſae? Sive ex papyro, ſive ex ebore, ſive ex aere conficiatur alea, ludendique uſque varientur modi, id hercle nihil ad rem pertinuerit; iisdem ſemper legibus, eademque neceſſitate res continebitur: niſi fortaſſe ex ea varietate plus minusve loci humanae induſtriae permittatur.

SIM. Jam & hoc tibi largiar. Sortes vero mordicus tenebo tuas eſſe. Hae nedum vires, ſed nomen etiam praeſeferunt tuum. Hae quondam tuam potentiam in clariſſimis Orbis terrarum regionibus non vaticinio ſolum patefecerunt, ſed ampliſſimis maximisque divitiis, queis undequaque tua fana refarciebantur. Miſſa libenter faciam conſulentium turbas, reſponſa, divinationes, nimis nota; & nimis pariter antiqua. Ad recentia venio. Ejus modo rei imaginem quandam retinemus: nec tu poten-

tior

tior tunc temporis reſponſis reddendis fuiſti, quam nunc es, e fatali illo ſcrinio (quo tot hominum vota, & ſpes continentur) hos, illoſve educendo globulos; unde divitiae aliis, aliis pernicies obvenit. Profecto tam haec temeraria res eſt, tam ab omni lege, atque ordine aliena, ut mihi, ubi a te tuaque inconſtantia recedo, id prorſus videatur enodari non poſſe. FORT. Quandoquidem vetera illa breviter a te perſtricta ſunt, breviter iis & ego reſpondebo. Credulitas, atque ignorantia & tunc ad meas ſortes homines perducebat, & deinceps ad errorem ac ſuperſtitionem ſaepe inducet. Apud omnes gentes, omnique aevo ejuſmodi ſuperſtitionis, pro temporum & locorum conditione paullulum immutatae, haud levia veſtigia videri poſſunt: iccirco de meis ſortibus prolixius loquendi laborem compendii facio. Caetera quae propoſuiſti eadem brevitate percurram, nihil enim eſt, quare ſi longior ſim, operae precium me facturam rear. SIM. Brevior fuiſſes, ſi te brevem fore non dixiſſes. FORT. Audi modo. Hanc tu de ſortibus quaeſtionem inenodabilem eſſe nequaquam diceres, ſi paullo attentius rem inſpexiſſes. Quid enim, Simo, praecipuum ab reliqua alea habent ſortes iſtae? Quid iſti globuli? Niſi quod aptiores ſunt ad motum recipiendum? Quos, ubi extrinſecùs quaedam vis moverit, ita moveri neceſſe eſt, ut eorum figura, ſitus, magnitudo, motuſque inditus requiſierit. SIM. Quis neget eos ita moveri? verum quo pacto ſine te ii potiſſimum inde extraherentur globuli, quos felix, tibique carus quiſpiam eductum iri, magna conſtituta mercede, contraxerit? FORT. Quis e ſcrinio globulos educit? SIM. Puer plerunque. FORT. Quomodo igitur, quum tu ipſe a puero manu capi, atque educi pilas illas confitearis, id agere Fortunam ſomnias? Porro eadem puero illi in eas poteſtas eſt, ac tibi in hos lapides, qui circa te jacent: & ſicuti quum tu aliquem ex iis ceperis, non a caſu ac fortuna id factum dices, ſed a

te:

te: ita quum pueri manus pilam educet, non ego mediusfidius, ſed puer id faciet. Atque ideo paria haec eſſe ambigis, quia omnia aperta, atque expedita ſunt in altero, in altero autem cuncta videntur obſcura, atque implicita. SIM. Et jure quidem: nam quis poſſet tam multiplicis, & variae motionis rationem aſſequi; & noſſe, quae pilae ſurſum, quae deorſum ire, poſtquam verſaveris, debeant? FORT. Dii immortales! Quantulamcumque rerum partem noviſtis homines! quae ipſa tanto apparatu, tantiſque verborum phaleris jactare conſueviſtis. Quis Muſicus harmoniam a me effici affirmavit, non a regulari, certoque chordarum, atque aëris pulſu? Quis caſui aſſignavit ea omnia, quorum cauſam eſſe motum docent Mathematici? Quum rerum cauſas videtis, me veluti prophanam longe repellitis, ubi paullo occultior res eſt, ſtatim itur ad me. Profecto ſi concipere animo, ſcientiaque comprehendere poſſes naturam, leges, atque univerſos in tanta corporum varietate motus effectus, non joculare hoc, & puerile tantum continuo ſcires, ſed, quod longe conducibilius humano generi foret, quid, & quomodo tam varia, tamque mutabilis pelagi motio, quid ſyderum ortus, interitus, progreſſus, regreſſus, quid denique Coelorum, immenſique hujus aeris vel converſio, vel motus in Terra, plantis, atque animalibus efficerent. Nunc coecis ſimiles eſtis, quorum oculos quum vix incertus, ac tenuis praeter labatur radius, de luce tamen umbraque, & coloribus inter vos ſummo ſtudio contenditis. Nam quum tantum non omnia ignoretis, audacter definire nihilominus omnia, legesque Naturae ipſi imponere, ſuperbi ridendique ſimul non dubitatis. SIM. Ohe! Non tu finem loquendi facies? Porro non ferebam antehac uxorem domi, quod loquaciſſimam omnium, maximeque importunam arbitrabar; nunc vero poſtquam infinitam iſtam loquacitatem tuam expertus ſum, jam mihi illa piſcis merus eſt,

&

Digitized by Google

& plane in Pythagorae quinquennio . Mala ego avi , invitiſque Diis Deabuſque omnibus in te hodie incidi, quae me prorſus e fundamentis eradicaſti, triveneſica ; ita mihi ſpem omnino omnem , quod mihi reliquum erat patrimonium , abſtuliſti . At loquere jam , ſi quid ſupereſt , loquere fabularum fictrix . FORT. Ocioſi supersunt , ni fallor . SIM. Immo niſi iſti aliquid mihi praeſidii afferunt , ego ſane falſus fuero . FORT. Quid tibi videntur iſti fortunati ! Ego enim ignoro . SIM. Ludos me fac , ut lubet ; tuum jus obtines . Ego nullos majori dignos admiratione cenſeo , quam iſtos . FORT. Quamobrem , cedo ? SIM. Quia in his miracula fieri ſaepius cognovi . Vidi ego complures ex iſto ordine, qui , quum inepti, ignavique eſſent , atque omnium artium expertes , nitidi ſubito , atque elegantiore cultu conſpiciendi , e ſuis tenebris emerſerunt . Hi quo pacto ad opes arrepant ſuſpicari non poſſum . FORT. Egregios vero homines narras . Hos puta , amicum quempiam , aut affinem vindemiare ; aut ſecretiori etiam arte , quam nil opus eſt memorare , divitias adipiſci ; niſi forte veriſimilius videtur tibi , me ad eos noctu clam commeare , & pecuniam afferre . Sane ſi majorem ſagacitatem adhibuiſſes in iſtorum viis inveſtigandis , nulla modo tibi ea de re admiratio ſuborta eſſet . Quod vero tibi , Simo , mihique Dii bonum , & proſperum efficiant , foedus bona fide ſervemus . Comas jam has innocuas dimitte , rotam me denuo conſcendere ſine , meumque iter proſequi . SIM. Quid ? Omnia te jam executam exiſtimas ? Mane paullulum hoc etiam diei , quod ſupereſt , o generoſa , mane . Non enim, etſi multa locuta es , adverſus caſum , atque fortunam gravius quicquam adhuc protuliſti . Certum autem eſt , in rerum natura , atque in civili hominum vita , quamplurima quotidie evenire , quae fors , caſus , fortuna, non judicium , non lex progignit , quum aperte nullis ea cauſis comprehendi cognoſcatur . Ideo ſapientum vocem

aſſi-

Digitized by Google

aſſidue audias; Vitam non ſapientiam regere, ſed fortunam: nec hominum induſtriam, & prudentiam pleraque efficere, ſed caſum, & tempus. Et profecto miram quotidie in iiſdem rebus cernimus fortunae varietatem: nec enim ideo mihi proſpere eventurum quidpiam ſperare poſſum, quod illi idipſum iisdem artibus feliciter ceſſerit. Nam ubi tu adfueris, bene ſe res habent, utcumque fuerint geſtae: te vero adverſa, omnia in irritum, immo in contrarium cadunt. FORT. O vim magnam erroris! Vos, obſecro te, nonne ea evenire poſſe creditis, quae nullam naturalem involuunt repugnantiam, vel quae aliquando evenere? SIM. Omnino. FORT. Quamobrem ergo quum res, aut ita, ut vos exiſtimabatis, vel aliter accidit, fortunam affuiſſe, aut defuiſſe affirmatis, quae huic improſperum, illi vero felicem eventum conciliavit? Quin potius dicitis (ſi contra evevit) tunc aliquam, aut plures e neceſſariis cauſis ad eam rem conficiendam defuiſſe, adeo ut nullo pacto fuerit poſſibile eam ita, ut ſperabatis, evenire. Atque ea, quae, ſimilia quum eſſent, feliciter ceciderunt, omnium neceſſariarum cauſarum concurſu adjuta fuiſſe, quarum una ſi defuiſſet, nunquam ea id eventum, quod habuerunt, habere potuiſſe. Veſter autem error inde oritur, quod ignoratis omnes cauſas, quae neceſſario, ad pariendum quemlibet effectum requiruntur: Nam his cognitis, nunquam ecaſtor fortunam advocaretis; ſed nullo negocio, in quantumvis magna eventuum varietate, eorum teneretis rationem. SIM. Quas mihi cauſarum greges narras; quae longe meum ingenium difficultate, & numero exſuperant. Has ego nec novi, nec noſcere ſatago. Tu Regina rerum omnium es, tu mihi una ſatis es pro iſtis omnibus. FORT. Nil profecto ſapis, ſi tantum, ac tam clarum lumen non perſpicis. At idem alia via tentemus, ſi qui forte veritati pateat aditus. Omnia in Mundo, vel Natura, vel homo efficit. Illa aeterna eſt, ac immutabilis,

bilis, & in pleriſque humani ingenii captum exſuperat: hic, cui volendi, nolendique arbitrium eadem attribuit Natura, varius eſt, dubius, inconſtans. In illa quicquid jam mille ante annis evenit, propter ordinem seriemque causarum, neceſſario futurum fuerat, & quicquid eventurum eſt, cauſis idipſum effecturis jam nunc continetur, ac naturali temporum ſucceſſione, dum causa causae nexa rem gignit, per neceſſaria intervalla explicabitur. Quod tanta conſtantia, tamque immutabili haeret ordine, ut ſine rerum omnium pernicie, atque interitu mutari, convellique non poſſit. SIM. Tu autem mihi Fatum obtrudis, dum ego fortunam inquiro. FORT. Idem haec ſunt, o Simo, & uni Naturae obtemperant ambo. Nec vobis aliud certum, atque ineluctabile, aliud fortuitum videretur, ſi Naturae vim, & conſtantiam cognoſceretis. SIM. Audiamus reliqua. FORT. Hominum contra voluntas in ſuo arbitrio eſt, nec niſi ab ipſo homine regitur. A quo, quum aeternae illae naturales regulae, causarumque colligatio, & ipſamet ſua agendi libertas vix, & quandoque ne vix quidem intelligantur; monſtra iſthaec opinionum de caſu, & fortuna prognata ſunt. Quae quum ita ſint, quid fortuitum, nulliſque cauſis comprehenſum a te dicatur plane non video. Quinetiam, ne me verbo premas, ipſa humani arbitrii opera, quae varia ac mutabilia eſſe dixi, ſi rem preſſius inſpicias, certis plerumque legibus conſtringuntur. SIM. Quid ais, improba? Arbitrium hominibus adimis? Sceleſta, hoc supererat, quod mihi eriperes. FORT. Dii prohibeant, Simo, ut quicquam de veſtro arbitrio detraham; verum vos ipſi illud nonnumquam imminuitis, & pene deletis. Nam primum, quantum vulgo homines conſuetudini, quantum moribus tribuunt? Quid? Perturbationes nonne animis veſtris imperitant? Porro vix aliquid eſſe puto, quod ab his liberi faciatis. Namque irae, ſpei, timori, libidini, invidiae, odio, amori, veluti dominis obtemperantes,

tam indigna ac degeneri ſervitute donum illud, quod omnium maximum Natura vobis tanta liberalitate dilargita eſt, male corrumpitis. Ita ut, Simo, nullo magis tempore ſervi ſitis, quam quum, affectibus ſervientes, ex animi veſtri ſententia vobis agere videmini. Ideo qui non rerum fixas, atque immutabiles tantummodo cauſas animo comprehenderit, ſed humani etiam animi naturam probe calluerit, quidve homo certis perturbationibus, & affectionibus actus velle ſoleat, aut nolle, quid odiſſe, quid amare, is prope nullo negocio, & omnium eventuum rationem poterit invenire, & antequam eveniant multo ante proſpicere.

SIM. Vatem tu me pene effeciſti, quod ego minime volo: dives ego a te fieri cupio, fortuna; quare omiſſis caeteris, hoc ſis age; non tecum amplius diſputo, logos, tricas, argumenta mitto; divitias a te diſertis verbis peto. FORT. Credo equidem, te cavillari, ut reliquum hoc diei ſilentio non tranſigas. SIM. Dieſpiter me perdat, ſi cavillor, ſerio dixi, quicquid dixi. FORT. At fieri non poteſt, Simo, ut poſt tam longam, atque accuratam diſputationem, ita ex animo loquaris. SIM. Audivi equidem te, o fortuna, audivi, rationes auribus meis, atque argumenta neſcio quae ingerentem: quae mihi ſane vix interea dum locuta es, viſa ſunt vera, paullo poſt tantum probabilia, nunc autem omnino falſa. Itaque in veterem meam ſententiam ſenſim relabor, a te omnia nimirum inter nos miſceri, nec aliam vim valentius, ac ſaepius in res humanas agere, quam caſum, atque fortunam. FORT. Heu perditam me! Quid ex te audio? Poſtquam te non ſingularum modo rerum rationes, & cauſas edocui, verum fontes ipſos veritatis tibi recluſi, medio in curſu trepidas, atque ad veteres errores rurſum cogitas deficere? SIM. Immo, ni cito aliquid affers quominus id fiat, jam plane defeci.

FORT. Ergo te, nitidiſſima veritate repudiata, ad vul-

vulgarium delirationum tenebras denuo conferes! SIM. Deliraverit ſane vulgus, nil contendo. At philoſophi cur fortunam retinuerunt, cur magnam ei adtribuerunt potentiam, nec potius erroribus vulgi, uti decuit, reſtiterunt? FORT. Videbant ſapientiſſimi viri, difficile admodum eſſe, ſtultis atque ignavis ſuadere, lege, ac providentia regi cuncta: eo quod aeternus rerum ordo doctiſſimo cuique ſatis obſcurus eſſet, ignavioribus vero, profecto mera caligo. Ideo, ut Naturae ſapientiam, & prudentiſſimam Univerſi oeconomiam a vulgi calumniis tutam conſervarent, facile paſſi ſunt, hominum querelas, & contumelias in hoc fortunae inane nomen conferri: quae, ſalvâ atque incolumi Naturae majeſtate, omnia in ſe exciperet maledictorum tela. SIM. Gerras enimvero germanas. Niſi quid amplius habes, fruſtra me contendis retinere. FORT. Audi, audi, obſecro; nec tam citato gradu ruas ab hac luce ad priſtinam caliginem. Solem hunc, quem ad occaſum properare ambo conſpicimus: ſtellas, quae mox ſoli ſuccedent, certis temporum ſpatiis, ac motuum momentis progredi, ac regredi cenſes ad aeternam fixamque legem? SIM. Cenſeo. FORT. Quid maria? Nonne certis limitibus coercentur, nec ultra ſtata litora, niſi pauxillulum quiddam, diſcurrunt? Id tu fortunâ, an lege quadam fieri exiſtimas? SIM. Lege. FORT. Flumina vero ab eo, quo ſunt, profecto reris ad mare decurrere naturâ, non caſu. SIM. Ita prorſus. FORT. Terram, fruges tot ſaporibus, colore, figura diverſas conſtanter pro variis ſpeciebus temere putas ferre? SIM. Nequaquam. FORT. Idem, pro tua ſapientia, arbitraberis, anni tempora alia aliis cedere, rurſuſque, emenſis aliorum ſpaciis, recurrere, porro me non cogente, ſed naturali neceſſitate. SIM. Non adeo ſtultus ſum, ut haec fortunâ fieri credam. FORT. Omnia haec igitur tibi certis legibus videntur regi, atque a mea temeritate longiſſime abeſſe. SIM. Ut videtur, haec

omnia. FORT. Humanae itaque res tantummodo ſolutae tibi erunt, atque exleges; nec ordine aliquo, aut regulà contineri eas exiſtimabis? Ut in hujus Univerſi perampla, ac ſpecioſiſſima domo, caetera quidem aſſeras optime ſe ſe habere, homines vero, nobiliſſimam domus partem, ſeu potius dominos, ſurſum deorſum jactos, non loco, non dignitate, non denique ulla ex parte recte diſpoſitos, caſui atque temeritati eſſe permiſſos? Nonne haec affirmas, Simo? SIM. Ego vero minime iſthaec: neſcio enim quò improba detorſeris ſententiam meam. Nam pecudis hercle non hominis eſſet talia affirmare. FORT. Tandem cum philoſopho me loqui ſentio, a vulgari hominum opinione longe abhorrente. Quandoquidem ergo fateris, Simo, certis omnia humana legibus regi, jube me res meas agere, & . . . . SIM. Quò progrederis, quaeſo? Neſcis, mendaciſſima, veritatem proloqui, & me modo huc, modo illuc, quaſi turben quoddam, per ambages, atque fallacias agis, & verſas. Dedi ego tibi, leges quasdam eſſe, queis, ut caetera omnia, homines quoque continentur: at illae, o verſipellis, majorem quemdam rerum ordinem, & generalem amplectuntur, minuta vero, & ſingularia non item. Namque nonnulla unis Naturae legibus conſtricti homines facimus, plurima eisdem vinculis praepediti nequimus efficere: multa omnibus accidere neceſſe eſt; quaedam humanae induſtriae permiſſa; quaedam negata. Nihilominus, ut alter abjectus, pauper, naufragus, infelix, Diis hominibuſque inviſus ſit, alter vero dives, Senator, gratioſus, felix, haec, o fallaciſſimum caput, non a Naturae legibus, quam minima quaeque negligere mihi certum eſt, ſed a tuo maximo ſcelere ſunt. FORT. Eodem uſque revolvimur, atque easdem mihi nugas tantum non iisdem verbis apponis. Non tibi divitiarum cauſas aperui, non magiſtratus, gratiae, potentiae fontes reſeravi? Nonne tu aſſentiri viſus es? SIM. Tunc quidem

dem

Digitized by Google

dem maxime : quod ſane invitus feci . FORT. At quaenam vis , quis metus , ut invitus aliquid faceres , a me tibi illatus eſt ? Nunquam vero hodie efficies , ut ego ea poſſim , quae revera non poſſum .

Age, Simo , quum lapis in tranquillum mare jacitur , vidiſtine aliquando gyros aquam agere , pauxillulos primum , poſt majores , indeque maximos ? SIM. Nemo me ea in re doctior eſt , o fortuna ; Nam quum dies totos ad maris litus jejuno ſedere saepius contigerit ; hoc uno me ſemper oblectatus ſum , ut modo laeviora ſaxa ita jacularer , ut maris ſuperficie ſaepe leviter perſtricta longo tractu evolarent : modo majores lapides ab alto quopiam ſcopulo in profundum demitterem . Atque ibi jam plus millies effici gyros iſtos vidi . Itaque quidvis ejus generis interroga , nam extemplo tibi ſatisfaciam. FORT. Gaudeo tam te harum rerum ſcientem eſſe . Quid ergo ? Si tibi quispiam , Simo , audacter diceret , gyros illos , non quidem omnes a lapidis jactu effici , ſed maximos tantummodo,minimos,minoresq;autem fortuito oboriri;quid tu,per vitam,huic homini reſponderes?SIM.Immo ne reſpondere quidem tam inſulso , ac ſtulto homuncioni dignarer . FORT. Optime , quae tua ſapientia eſt , hoc faceres. Eadem , etenim cauſa minimos , ac maximos efficit . SIM. Quid ni ? FORT. Quid rurſus ? Si ab aliquo, apprehenſo circa centrum conſtituto manubrio, rota circumvolvatur , cui plures circulorum ordines adſint , nonne eadem manus ſimul omnes illos circulos moveret ? SIM. Apertiſſimum eſt . FORT. Hic ſi ſtultus ille ac inſulſus homunculus denuo tibi exhiberet negocium , atque extimos tantum ab illo moveri diceret , intimos vero ac minores fortuito circumvolui , huic tu homini aſſentireris, Simo ? SIM. Num me adeo non nauci aeſtimas , o praeclara , quin ei ſaxo caput comminuerem talia praedicanti ? FORT. Quid ſi tu inſulſo illo , ac ſtulto homuncione longe ſtultior , atque insulſior es ? SIM. Mene ais?

Qui

Quî dum ? FORT. Nonne tu modo, maximarum tantummodo rerum ordinem in humanis, regi legibus affirmabas, minora vero omni providentiâ deſtituta a me turbari,atque confundi ? SIM. Quando iterum cogis,iterum ajo . FORT. Natura, o ſtultiſſime Senex, lapis ille eſt, aut manus, quae rebus omnibus motum ordinemque communicat , eadem magnarum (ut vobis loqui mos eſt: omnia enim aeque magna in Natura ſunt) rerum rectrix, eadem minimarum ; nec ſi majora efficit, ideo negligit minima. Nec te pudet ſenecta aetate, tam turpiter mente caecutire,neque ea conſpicere, quae plane ante oculos ſunt ?

Tu vero quid ſolus mutis ? Proh Deum, atque hominum fidem ! Tune ploras ? An ſatis haec tibi virilis videtur ejulatio ? Mehercule ſuſpicor ego, te ideo tam effuſe lugere, quod te, amiſſa divitiarum ſpe, infelicem exiſtimes. SIM. An haec ſuſpicio eſt, quaeſo ? FORT. Si vero ſaperes, pauperem te quidem, ſed non modo non infortunatum, ſed felicem etiam eſſe crederes. SIM. Pol felix; & quidem in tabula, ut ajunt. FORT. Attende obſecro. Non tibi uxor incolumis, non liberi ſunt frugi, ac pudentes ? SIM. Sunt. FORT. Non ipſe vales, & viridi, crudaque frueris ſenectute ? SIM. Profecto. FORT. Non ſalva eſt exiſtimatio, non propinqui complures probi, atque honeſti ? SIM. Fateor. FORT. Igitur Simo, quum tot tibi adſint bona, & fortaſſè, quae pluris ſunt, quid quereris, ſi unum quippiam deeſt ? Nonne tecum longe pejus agi putares, ſi filios protervos, atque improbos ſenectutis tortores, non baculos experireris ? Tu podagra, aut ſtranguria acerbiſſime cruciareris ? Turpi fama laboraret domus, propinqui, aut nulli, aut infames, inhoneſtique eſſent ? SIM. Pejus certe: iſte enim theſaurus quidam eſſet malorum. FORT. Vides quantum a tuae calamitatis opinione detractum ſit ? SIM. Nempe eſt ita. Verum innumeri, o

For-

Fortuna, & his omnibus, quae mihi adſunt, & pecunia inſuper abundant, & potentia verendi ſunt. Hos igitur merito fortunatos appelles, non me miſerum, qui vix umbram fortaſſe quandam conſolationis habeo, ne deſperem, re autem ipſa cunctis omnino careo. FORT. Erras, Simo: omnia enim a Natura tam aequis partibus inter homines diviſa ſunt, ut unuſquiſque bonorum, malorumque partem habeat, nec qui ditiores, aut potentiores ſunt, iidem feliciores quoque caeteris ſunt habendi. Neſcitis enim quanta ſecum mala pecunia, & potentia afferant. Nam ea, quae contentos homines videntur efficere debere, cupiditates mirifice adaugent, ſuperbiam, ambitionem, libidinem, avaritiam accendunt. Ita ut, Simo, divitem ac potentem, difficile admodum ſit, temperantem, modeſtum, abſtinentem eſſe. Quum pauperi e contra haud leve adminiculum ſit ad virtutem ipſa paupertas, & a pravis voluptatibus neceſſitas abſtinendi. SIM. Nos vero non hic virtutem quaerimus, ſed beatitatem. FORT. An quemquam ad beatam vitam pervenire poſſe reris, ſine virtute? Immo una virtus, Simo, hominem beatum poteſt efficere, non vero potentia, aut divitiae. SIM. Iſta a philoſophis ſumis. FORT. Verebar, ne a laniis diceres. SIM. Melius hercle feciſſes. FORT. Fac demum, Simo, literarum in te tuarum veſtigium aliquod agnoſcam! SIM. Quid mihi importune literas iſtas, quae me perdiderunt, objectas. Ego enim dum eas imprudens ſequor, boni aliquid in iis eſſe ratus, in haſce malorum voragines cum uxore & liberis demerſus ſum. Iſtae mihi unica fuerunt cauſa, ut in miſero hoc paupertatis morbo contabeſcerem. Heu me omnium infeliciſſimum! Quis enim me eſt perditior, aut miſerior? Qui paupere natus patre, pauper ipſe plus paullo ſeptuaginta jam annos vixerim, pauperes liberos relinquam, mox edituros pauperiorem progeniem. Nec mihi (qui sane graviſſimus infortuniorum meorum cumulus eſt) fortu-

tunam ipſam prodeſt hodie in manibus habuiſſe. Quid ergo supereſt, niſi ut cito curram domum, ibique ſuſpendam me? FORT. Caetera, Simo, ignoſco dolori tuo; verum unum hoc poſtremum verbum nimis incommode locutus es. SIM. Quare? FORT. Nimis enim alta e trabe faciundum hoc eſſet tibi, ſiquidem ita longus es. SIM. Vere te ex ſurdo & rabido Oceano natam ferunt, vel etiam e ſanguine prognatam, duriſſima, quae nunquam alicujus miſerta es. Tu vero jam hinc miſere cupis diſcedere; nec in me mora eſt ulla, ſi unum praeterea addideris. FORT. Quid?

SIM. Nequeo ſatis dolere incommodam, atque perversam conditionem, qua homines vivunt; quae sane (quantum quidem hoc reſpicit) longe deterior eſt ea, quâ ſunt bruta ipſa animantia. Nam, Dii Boni! optimus equus diligentius, atque accuratius colitur, quam alius, qui tanti non eſt; canis itidem generoſior, ac fidelior in majore eſt precio, quam ignavus, & timidus; eodemque pacto ſimia, paſſer, gallina, ut quaeque praeſtantior eſt, ita peculiaribus alimentis, majoreque cura alitur. Unus homo hanc optimam legem invertit. Nam quanvis ingenio quis, probitate, literis, virtute alii praeſtet homini, prae ignavo tamen maloque vilis eſt, & floccipenditur. Hinc loco meliore adulatores, ſycophantas, fraudolentos, audaces ſaepe eſſe cernas, quam synceros, modeſtos, ac pudentes. Praecipua vero calamitas in eos perpetuo incumbit, qui literis se se tradunt excolendos: de his etenim quaſi immutabili lege ſancitum eſt, ut pauperes inopeſque vivant, egenique moriantur. Porro acerbiſſimum eſt, & omnino praeter rationem, meliores jacere, nequiores plerumque felices, ac potentes eſſe. FORT. Vulgatum eſt illud, Simo; Quam quiſque novit artem in hac se exerceat. Sane divitiarum, potentiae, favoris, ut & aliarum rerum praecipuae ſunt artes: has qui callent, quod appetiverunt aſſequuntur, qui neſciunt, nunquam

quam quò tendunt, perveniunt. Nam ſicuti in ſutoria, aut tonſoria arte, nemo miratur, quod probi, ac ſapientes, quum nec tondere, nec ſuere ſciant, nil ab iis artibus lucri faciant: quum tot ignaviſſimi, at qui in iis artibus excellant, inde ſe ſuosque ſuſtentent: ita prorsus in divitiis, potentia, favore comparandis, nil mirum accidit, ſi primas deteriores, ſed ejus rei periti, habeant, poſtremas vero meliores, ſed ejusmodi artium ignari. Nec enim haec, Simo, (etſi virtutem aliquando comitantur) ſunt praemia virtutis, ſed nonnunquam merces audaciae, adulationis, fraudis. Doctos vero, literiſque eruditos viros, prope neceſſe eſt, pauperes eſſe, duabus praecipue de cauſis. SIM. Neceſſe eſt? Cur, cedo? FORT. Nam iſtiuſmodi homines dum mercaturam negligunt, rerum omnium adminiſtratione abſtinent, forum legeſque enixe odio habent, a fraude turpique omni lucro, merito quidem ac ſapienter, abhorrent, nullo pacto fieri poteſt, ut opes aſſequantur: quippe in omnibus rebus ad finem certis viis progredi neceſſum eſt; quique rectis utuntur itineribus finem ut plurimum conſequuntur: iſti vero, quum procul a cunctis divitiarum ſemitis recedant, nil hercle mirum eſt, ſi a divitiis etiam, qui finis eſſet, tam longe diſtent. SIM. Quamnam dicebas alteram eſſe cauſam? FORT. Ea autem ab aliis extrinſecùs oritur. Quotuſquiſque enim eſt, qui ſe meliorem, ac doctiorem diligit? Nolunt homines eum ſuo favore complecti, cujus comparatione vileſcerent. Ideoque niſi optimus quispiam vir, aut Princeps exiſtat, qui ſuam ſortem ultra omne comparationis periculum eſſe cenſeat, numquam ſane, aut hercule perraro eveniet, doctum ac ſapientem hominem ab alio (præcipue ſi æmulatio intercedat) ad honores, & divitias evehi. SIM. Abi jam, abi, quando ſpem etiam liberalioris fortunae mihi ademiſti. Quo enim ego iſtum quaeram, aut ubi expectem, qui me tandem ſublevet? Abi jam, inquam, en capillum remitto, fruſtra mihi hodie tam anxie adprehenſum.

FORT. Abeo jam Simo, numquam te poſthac reviſura; bene vale. SIM. Hei mihi! Quid modo faciam? Illhaec abiit, jamque altum tenet. At neſcio quid, reſpectans., loquitur. Quid? Quid ais? Intende paullum vocem quaeso, ut queam audire. FORT. Deſine Simo fortunam in poſterum culpare, non enim ea tibi defuit, quae ſponte ad te hodie advolavit: sed tandem intellige, tibi te defuiſſe. SIM. Egone mihi? At, quid commiſi? Quid facerem? Num falſa ea sunt, quae proloquuta es? FORT. Nequaquam, immo veris veriora: ſed tu occaſionem pulcherrimam ignaviſſime perdidiſti. Namque dum moroſe, ac ſophiſtice disputas, ea transvolavit. Etenim, Simo, nil hominibus datur, quod a fortuna eſſe dici poſſit, niſi occaſiones; quarum articulum, qui negligenter tranſire ſinunt, inepti, atque infortunati, qui vero diligenter amplexantur, prudentes habentur, & fortunae amici. SIM. Ergo ego penitus interii? FORT. Prorſus: nec enim ego ad te amplius redibo, qui hodie fortuna uti ignoraſti.

Digitized by Google

JANUARII PARRINI
J. C. NEAPOLITANI
PALINODIA
AD FORTUNAM.

Digitized by Google

Vitam regit Fortuna, non Sapientia.
Apud Cic. Tuſcul. quaeſt. lib. v.

Digitized by Google

JANUARII PARRINI J.C.

PALINODIA

AD CLARISSIMUM AMPLISSIMUMQUE VIRUM BERNARDUM TANUCIUM POTENTISSIMI REGIS NOSTRI A Juſtitiae Clementiaeque Secretis.

M*agno equidem & divino ingenio, Clariſſime* Bernarde Tanucj, *ſummaque atque incredibili eloquentia fuiſſe conſtat Cyrenenſem illum Carneadem authorem tertiae Academiae : qui non modo nunc leni & ſedato, nunc concitato & vehementi orationis curſu quodcunque defendendum ſuſcepiſſet, egregie ſemper probaſſe, & quicquid impugnare eſſet aggreſſus, disjeciſſe prorſus ac profligaſſe perhibetur; ſed etiam mirabili quadam copia in utranque partem ita diſſerere conſuevit, ut quid verum, quid falſum eſſet, eo utrinque cauſam agente, intelligi plane non poſſet. Quod Romae quondam ingenti experimento comprobavit. Audientibus nanque Catone majore & Galba, maximis ea tempeſtate Oratoribus, quum pridie Juſtitiam ſapientiſſime atque eloquentiſſime laudaſſet; ita in eam poſtridie vehementer inſurrexit, ut nulla prorſus eſſe Juſtitia videretur. Cujus viri ad miraculum usque docti & facundi, quum Romana juventus, caeteris rebus voluptatibusque poſthabitis, mirifico quodam imitandi ſtudio incenderetur: horrida ſane & barbara ſeveritate idem ille Cato unus magno univerſae Civitatis conſenſui reſtitit; remittendumque eum in Graeciam pri-*

Digitized by Google

primo quoque tempore cenſuit, cum Diogene Stoico, ac Peripatetico Critolao, quibuscum Romam Athenienſium Legatus venerat: ne tantis philoſophiae atque eloquentiae delinimentis capta juventus ab armis gloriaque militari ad ocium Graecorumque disciplinas, ſtudia converteret. Hoc certe maximum humanae facundiae cum ſapientia conjunctae in universa hiſtoria exemplum habemus: graviterque dolendum eſt, tanti viri nulla omnino exiſtere ingenii monumenta. Ego vero, optime ac diſertiſſime Tanucj*, diu jam erat, quum talem tantumque Philoſophum summa admiratione proſequebar, ingentique ejus imitandi ſtudio flagrabam. Sed me audaciae notam merito timentem, rei magnitudo semper deterruerat; praecipue quum neminem ante me per ejus veſtigia, quod ad ejusmodi exercitationes attinet, iter adhuc ingreſſum viderem. Et quanvis animo longe ab inconſtanti illo pugnantium sententiarum patrocinio adhorrerem: nihilque ab ingenii mei viribus longius abeſſe cognoſcerem, quam ut Carneadis efficaciſſimam & invictam, summisque Oratoribus & Philoſophis formidatam eloquentiam ullo unquam pacto aut aequare ipse dicendo poſſem, aut aliqua ex parte referre saltem & adumbrare: ipſius Carneadis nihilominus, & Academiae universae, Peripateticorumque perpetua in utranque partem dicendi consuetudine commovebar, magnamque in eo more utilitatem subeſſe suspicabar. Itaque quum tribus ante annis Lytii, expleto judicandi munere, dicti in ea Provincia per triennium juris, antequam hunc Salernitanam Jurisdictionem capeſſerem, censuram de more sub rem, ociumque ideo dierum aliquot nactus eſſem: ne prorsus ceſſarem, utque ſimul valetudinis incommoda, quibus tunc conflictabar, jucunda aliqua minimeque operosa scriptione levarem, quod nunquam antea ausus fueram, inverso repente conſilio aggreſſus sum. Etenim Fortunae Dialogum, quem decem ab hinc annis admodum adolescens edideram, de-*

le-

Digitized by Google

legi, in quem Carneadeis armis impetum facerem. At longe difficilius id mihi visum eſt rem ipsam aggredienti, quam antea, disputationis genus solummodo eminus reputanti, videbatur. Magna eſt enim vis veritatis, & adversus conscientiae teſtimonium scribere sane eſt difficillimum. Nam quum in Dialogo totis viribus contra Fortunam disputaſſem, nihilque niſi certis, & a Natura definitis cauſis fieri tenuiſſem, exploso casu penitus omni atque temeritate; quae ſine dubio vera & recepta sententia eſt: nunc Penelopes ritu eam telam retexere conatus sum, & Fortunam in veteri solio rursus collocare: etſi eandem veritatem, aliis tantum verbis, in scenam adduxiſſe alicui fortaſſe videri poſſum.

Quicquid autem hoc eſt, quod effecimus, id tibi; TANUCJ *sapientiſſime, omni jure debebatur: quum non modo te propter immortalia tua erga nos beneficia, quibuſcunque poſſemus honoris gratiq; animi ſignificationibus deberemus perpetuo prosequi: sed te admiraremur etiam vehementiſſime, quod tanto tamque acri ſis ingenio praeditus, tanta doctrina & ſapientia vigeas, tamque incomparabili eloquentia, ut profecto unus nobis ex Italis omnibus Carneadi maxime comparandus videare. Atque hoc tu illi, Vir ampliſſime, praeſtas, quod ille ita de rebus dubitabat, ita disputationem in utranque partem inſtituebat, ut aliorum Philosophorum ac Stoicorum praecipue sententias indiscriminatim subverteret, veritatemque omnem ab oculis eriperet, vel eam omnino potius deleret; Tu vero, qui honeſtatis probitatisque eximio quodam amore incenderis, perpenſis acerrima mentis acie, utrinque rationum momentis, tandiu de rebus dubitas, quandiu ad veritatis inquiſitionem opus eſt: qua reperta ſubſiſtis, eaque sapientiſſime vel ad ingenii, vel ad negociorum regulam uteris. Nec enim te umbratilis illa atque ociosa vita delectavit, quae non Carneadem modo, sed Philosophorum plerosque sua dulcedine pellexit,*

xit, & a regendis Civitatibus ad quietem, inertemque rerum cognitionem abduxit: verum quae magno & conſtanti labore, omnigenaque lectione collegeras, acrique ac diuturna inveneras meditatione, omnia, ut primum licuit, ad Reipublicae utilitatem contuliſti: atque Academiae spatiis, aut Hortulorum secreto poſthabito, in aciem ipsam & pulverem deſcendiſti, aliorum hominum magis, quam tua causa sollicitus. Unde te modo, Vir maxime, miramur in tanta iſthac dignitate vigilem semper & intentum, cunctarumque humanarum voluptatum expertem, omnium rerum, quae quidem ad te pertinent, ita ſatagere: ut quum maxima quaeque optime ac prudentiſſime regas atque dısponas, in mediocribus etiam & minimis mira diligentia & sedulitate, quaſi id tibi solum agendum eſſet, verſeris.

Quod ſi plures tranſactis temporibus Philosophi feciſſent, atque aliquam ſuscepiſſent Reipublicae partem, Periclemque potius, Tulliumque, & Catonem, quam Platonem, Carneadem, Atticumque hac in re imitati eſſent, longe feliciores Civitates fuiſſent: nec vulgares illae ac falsae de Casu & Fortuna opiniones tam late invaluiſſent; cui vires & regnum, ut mea quidem fert opinio, nil aeque tribuit ac eorum, qui Respublicas adminiſtrarunt, imperitia atque perverſitas. Nam quum viderent homines, nec praemia nec poenas, quibus Respublica conſtat, pro meritis tribui, motuque inconſtanti at temerario urbanas res ferri: quod nempe erat rectorum inprobitatis aut ignaviae, id ad Fortunam rejecerunt, inscitia veritatis & causarum.

Et ſi unquam antea id verum eſſe conſtitit, nunc certe evidenter probatur: maximoque nos hujus Regni bono veriſſimum experimur, qui modo quid Casus quid Fortuna ſit, poſtquam ita sapienter ordinata Reſpublica eſt, prorsus ignoramus. Profecto sub optimo & clementiſſimo Princıpe, tot illuſtrium virorum, & tuae

prae-

praeſertim, Tanucj *doctiſſime*, *ſapientiae atque integritati ſubnixo*, *Juſtitium* (*Spartam tuam*) *qua labante concidunt omnia*, *aequitate & clementia ſcitiſſime temperatam cuncta regere conſpicimus*: *atque in omnes Regni artus veluti ſanguinem quendam*, *vitalemque auram permeare atque diffundi*. *Hoc enimvero vel maxime horum temporum memoriam poſteritati commendabit*: *quae profecto mirabitur*, *quod vix in aliarum Gentium annalibus invenire poterit*, *apud nos tot jam per annos doctrinam virtutemque praemiis & honoribus affectas liberaliter fuiſſe*, *ignorantiam dedecore*, *malitiam poenis*, *idque aequabili ſemper tenore*, *invictaque uſque conſtantia*.

Nos interea, *quibus praeſentibus tot tantisque bonis frui datum eſt*, *bono hilarique animo*, *de rebus noſtris ſecuri*, *literis operam demus*, *& ſi quid a ſubſelliis jurisque dicundi labore ocii contigerit*, *aſſueſcamus ad philoſophiam*, *veluti ad vitae portum*, *confugere*, *novasque inde vires*, *majoresque animos ad res gerendas aſſumere*. *Modo ergo liceat*, *vulgarem tantiſper de Fortuna opinionem fovere*: *rerumque noſtrarum familiarium feſtiva narratione*, *ad exhilarandam lectionem*, *praetenta*, *quorundam veterum Philoſophorum de Caſu & Fortuna opiniones*, *laudantium ſpecie exagitare*; *ſimulque oſtendere*, *quam foede vel eorum acutiſſimi aliquando in clariſſimis rebus lapſi ſint*. *Nam non indocti tantummodo caecum hoc Numen ſtultiſſimo pariter atque obſtinato cultu ſunt proſecuti*: *ſed Philoſophi etiam ea in re turpiter labaverunt*, *atque hallucinati ſunt*, *ignotamque hanc cauſam pluribus in rebus certae*, *& aeternae ſuppoſuerunt*. *Nam quum ipſi magnis ingeniis acerrimaque contemplatione ad Coelorum ſyderumque ac temporum curſus ratosque motus reſpicientes*: *quibus in rebus mirabili quadam ratione rectiſſime progredientia omnia cernebant*, *ſingularique ordine inter ſe apta eſſe &*

connexa : ſempiternam immutabilemque eorum cauſam non admirati ſint ſolum , ſed nullo ſe ſe acumine , nulla arte , nulloque ingenio , quanto ea conſilio fierent aſſequi poſſe profeſſi fuerint ; non ideo tamen ad hominis humanamque vitam deſcendentes , variosque noſtros atque inopinos caſus , idem , ut par erat , Numen , quod ad maximarum rerum adminiſtrationem , univerſitatemque Naturae regendam advocaverant , in his quoque agnoverunt , illudque & coeleſtium rerum ſimul moli , rebusque noſtris Rectorem pariter praeeſſe , unumque immota aequabilique lege gubernare omnia . Sed abſurdo puerilique conſilio : quaſi homines extra omnia Naturae confinia poſiti eſſemus : ſummam Poteſtatem , quod nefas immo contra rationem erat , in fruſta foede comminutam Fato , Caſui , Fortunae , Neceſſitati , Occaſioni , *aliisque pluribus inanibus vocabulis diſtribuerunt : ut repugnanter etiam , non impie modo tanta de re loquerentur . Unde patet , ubi a ſacrarum literarum lumine diſceſſerimus , quam caeca ſit & ridenda mens hominum ,quaeque opinionum monſtra , ingenti ſaepe conatu concipiat , atque edat .*

Nobis vero , Tanucj *pientiſſime , longe melior ac tutior ſtudiorum ratio quam priſcis illis Philoſophis propoſita eſt : nihil nanque de veritate ſolliciti , quem nos ipſe Deus O. M. docere dignatus eſt , opinari de rebus ad philoſophiam pertinentibus poſſumus , perque omnia libere ſpatiari exercendi ingenii atque eloquentiae cauſa : & ad Divinorum Oraculorum authoritatem in dubiis , ad tutiſſimum nempe Aſylum confugere . Nam , quicquid contra vel indocti , vel Philoſophi effutiant , quis , obſecro , Vir incomparabilis , nos inter ſerio de Fortuna interrogatus , riſum tenere poſſit ? quibus pro certo atque inconcuſſo ſit ,* Divinam *omnia* Providentiam *maxima aeque ac minima ſummo & ſapientiſſimo imperio regere .*

At

At nimis diu jam patientia atque humanitate abutor tua, Praeſtantiſſime Tanucj: *cui, quum tot ac tanta negocia solus ſuſtineas, vix ad neceſſaria ejusmodi vitae munera tempus suppetit, nedum ad supervacua & inania superſit.*

Fortunam itaque, quae jam nos auditura in medium progreſſa eſt, tandem aliquando alloquamur,

 QUOD

Digitized by Google

QUOD maximis etiam Oratoribus , o Dea, evenire ſæpenumero conſuevit, ut exalbeſcerent in principiis dicendi , totiſque adeo artubus contremiſcerent ; id mirum profecto non eſt; ſi mihi hoc tempore maxime accidat; qui & nulla dicendi facultate polleo, nec pro aliis , aut in aliquo mortalium Senatu , Populive coetu dicere aggredior , sed pro me ipso , in magno meo diſcrimine , atque apud Deam mihi merito iratam , Deorumque omnium potentiſſimam . Si ergo pavidum me tantopere & impeditum , ac pene elinguem vides , in bonam id partem accipias rogo , o Fortuna : nam hinc me admiſſi ſceleris conſcientia reſpirare non ſinit , hinc opinio potentiae tuae , quaeque de me , ſi velis , ſupplicia ſumere , atque exempla facere poſſis , plane exanimant metu . Mihi enim Steſichori casum reputanti quid timendum non eſt , qui non , ut ille , notiſſimae levitatis mulierculae , ſed tibi tali tantaeque Deae ita infenſus fuerim , ut te numenque tuum cominus impetere , e rerumque univerſitate exturbare per summam inſaniam pertenderim ? Atque ego quidem nunquam te alloqui auſus eſſem , niſi certus de excelſitate ac magnitudine animi tui fuiſſem : & niſi eò oratio mea ſpectaret , ut , quaecumque de te antea ineptiſſime , atque audaciſſime ſcripſi , inverſo ſtylo prorſum delerentur . Adſis ergo benigna ; teque , rotamque volucrem illam tuam tantisper modo , dum loquor , ſiſtas ; nec velis Dea a mortalibus lenitate clementiaque vinci , quos ego in pari cauſa mites admodum & placabiles expertus ſum . Nam quum , antequam in te inſurgerem , sane parum Medicis & Medicinae honorificum libellum edidiſſem , ac paullo poſt in gravem incidiſſem morbum ; Medici vix pauculis verbis deliniti non modo acceptae injuriae memores non extiterunt : ſed humaniſſi-

ſi-

Digitized by Google

ſime etiam mecum & amiciſſime egerunt; ſummoque ſtudio adniſi ſunt, ut quam celerrime convaleſcerem. Hi ſunt quidem hominum mores. Et quamvis a mortalibus exemplum Immortales sumere absurdum ſit atque praepoſterum; non fuerit tamen a Deorum bonitate alienum,ut,ſi quae in hominum animos uti bona & recta indiderunt, ea & ipſi ſervent, ne mala pro bonis obtruſiſſe nobis, noſtraeque ignorantiae & credulitati illuſiſſe videantur. Ex quo bonae ſpei plenus ſum, haut repugnanter aures te mihi praebituram; illius etiam mihi cum primis conſcius, quod non malitia & improbitate te laeſerim; ſed aetatis imprudentia lapſus, & senis cujusdam vaſerrimi cavillis circumventus falſam illam, & hercule ridendam de te opinionem adoptaverim. Neque modo ſatis nobis eſt, secreto poenitere, atque intra domeſticos parietes clementiam implorare tuam; verum inconſtantiae notam nihili facientes in publicum prodimus, civibuſque palam & externis gravem mentis errorem confitemur: ut ſi tunc temporis inſaniae noſtrae (nam quo alio vocabulo tam grave facinus excuſem?) teſtes fuerunt, noſtrum modo ad bonam frugem reditum pariter noſcant; diſcantque de malis noſtris, Divos & divina non temnere.

Igitur, ne quid te celatam voluiſſe videar, harum rerum narrationem paullo altius repetam: & quo pacto primum a recta in erroris viam declinaverim, ediſſeram: quas deinde poenas tantae dementiae meritus fuerim: quibuſque demum adjumentis in lucem emerſus, veritatem cognorim; & recantatis ſolemni ritu contumeliis, veluti piaculo quodam, mentis meae vitium expiare, pacemque, ac veniam a te impetrare inſtituerim.

Ego quidem, ut noſti o Fortuna, jam uſque a prima illa aetate liberalibus diſciplinis boniſque artibus, pro ingenii mei modo,imbutus,optimi Parentis mei cura & diligentia,

nil

nil tam avide animo arripui,vitàque complexus ſum,quam philoſophiam; qua nihil auguſtius, utiliusque hominibus datum eſſe exiſtimabam. Et quanquam Foro me, prout noſtrae Civitatis conſuetudo fert, addixerat Pater: non ita tamen ego me Juriſprudentiae mancipaveram, ut caeteras diſciplinas desererem. Ita fiebat, ut pro inſtituti mei neceſſitate ſaepiſſime inter Jurisconsultos & Legulejos verſarer; non raro etiam, ut genio indulgerem, cum philoſophis ac ſapientibus viris eſſem. Sic vita erat; quum, mala quidem avi, teque praeſertim adverſa, cum Simone quodam ſene callidiſſimo & plane praeſtigiatore, ſtudiorum obtentu familiaritas mihi conciliari coepta eſt. Is etenim tum ferebatur ſummo in philoſophia ingenio eſſe, &, quaſi rerum Naturam penitus introſpexiſſet,quacumque de re veriſſime,& ſine hæſitatione quaerentibus respondere. Hic igitur unus mihi maxime omnium colebatur, atque in admiratione erat; qui & pleno pectore ſapere videbatur, & vitam concordiſſime cum iis, quas praeseſerebat, ſententiis, inſtituiſſe; plane ut mihi pro altero Socrate haberetur. Nam quum divitias, quas ipſe praeſentiſſimum humani animi venenum appellare ſolitus erat, aſpernandas eſſe diceret, & ad magnas opes, modo vellet, potuiſſet emergere, conſtantiſſime renuit; fortunarum ſuarum anguſta mediocritate contentus. Quum animi perturbationes, ſpemque in primis ac metum, unde caeteras oriri ajebat, tanquam saeviſſimos tortores velis remiſque fugiendos affirmaret; nunquam in aliquam ſpem induci, aut in timorem delabi, ne ad mortis quidem adſpectum, viſus eſt. Quum nec bonum aliquod extra virtutem, nec malum extra vitium eſſe doceret; quum honeſte vitam agere, amicitias conſtanter ac fideliter colere, injuriarum cito obliviſci, beneficiorum nunquam; atque horum ſimilia inter tutiſſimas vitae regulas, & neceſſaria hominis officia poneret: nemo unquam vel minimam inter ejus verba & mores diſcre-

Digitized by Google

ſcrepantiam deprehendit, aut ejus officium deſideravit. Hic tamen, qui tam probus vir videbatur, tam veri atque honeſti amans, homines quippe decipiebat vana virtutis ſpecie, imponebatque gravitate oris, verborumque praeſtantia: meque amiciſſimum hominem nulla mercede, nulla utilitate propoſita, ultro faſcinavit, perdidit, evertit. Is enim tibi maxime, o Fortuna, neſcio qua de cauſa magnus inimicus erat: & ne nomen quidem tuum (quod bona cum venia dictum volo) ſine riſu audire poterat: nihil te omnino eſſe palam affirmans, atque adeo viribus deſtitutam ut ne folium quidem ab arido arboris ramo poſſes decutere: teque unum vere e monogrammis Epicuri Diis eſſe ſaepe per jocum ingerebat; & non ſolum caecam, ut vulgus fingeret, ſed mancam etiam, & pedibus manibuſque, atque omnibus adeo membris captam; ut profecto quid, aut qualis eſſes, intelligi prorſus nequiret. Addebat diſertiſſimus (ut tunc mihi quidem videbatur) ſenex multa memoriter ex intima philoſophorum ſapientia, quibus te confodi & eradicari jactabat; ſubdens identidem plurimarum rerum, quae maxime fortuitae viderentur, cauſas, quae plane nullum tibi aut Caſui, ſatellitum tuorum principi, locum, ut ipse quidem diſſerebat, relinquerent. Haec ego, qui tunc vix ex ephebis exceſſiſſem, quotidie fere audiens, atque haec & prima illa quae ad mores pertinebant, tantidem aeſtimans, videnſque magno plauſu quae ille diceret a pleriſque qui audiebant excipi; veritatem meram eſſe ratus ſum; & te parvipendere primum coepi; deinde prout ea de re colloquia incaleſcebant, penitus aſpernari: poſtremo te non ſolum caelo depellere, ubi locatam ab humana ſtultitia mihi demens perſuaſeram, ſed auſus ſum etiam (vide quo me illius ſenis authoritas, & arrogantia praecipitem egerint!) te nomenque tuum a rerum albo penitus expungere atque abolere. Haec tibi modo, Regina, haud ſecus expono, ac ii ſolent, qui in ma-

Digitized by Google

magno aliquo maleficio deprehenſi, nec factum negare audent, nec confiteri tamen ea ſuſtinent, quae perniciem ſibi intelligunt eſſe allatura. Multa hercle reticerem, nonnulla extenuarem, excuſarem libens quamplurima: ſed probe ſcio, & inepte me facturum, ſi te, quae omnia ut acta & cogitata ſunt noſti, fallere in animum inducerem; & magnum in diſcrimen ſilentium iſtud & tergiverſationem meipſum adducere poſſe. Conſtanter igitur proſequar inſtitutam narrationem.

Itaque ego in abſurdam illam de te ſententiam jurare paratus, fractis demum cancellis amens furenſque, egregiam ſcilicet laudem laturum me, magnumque operae precium facturum credidi, ſi quae domi didiceram, quaeque mecum ipſe (jam, ſi Diis placet, philoſophus effectus) ea de re commentatus fueram, vulgarem, publicique juris facerem. O diem mihi vere nefaſtum! O rem ab omni rerum mearum memoria delendam! Tentabundus itaque primum, compoſito quammaxime poteram vultu, adductiſque ſuperciliis, magnum in omnibus circulis tui contemtum praeméferebam: virtutem omnia ſecum afferre, nihil pavescere, undique tutam & munitam eſſe inculcans: nihil caſu, nihil fortuito evenire, reſque omnes certis contineri cauſis; ideoque nil inopinum ſapienti poſſe accidere, cui Natura pateret, quique ingenii acie, quaſi face aliqua, quaecunque fiant aut fieri poſſint ſagaciſſime perveſtigaret atque cognoſceret. His ſermonibus quum imberbes aliquot (non multo ſane majoris precii ac ego eſſem) in meam ſententiam traductos vidiſſem, aleam tandem jacere, atque, ut inſtitueram, ſapientiae meae inſigne hoc rudimentum ponere decrevi. Igitur rem temere aggredior, procaciter proſequor, ſtultiſſime perficio. Et profecto, ſi nobis mens, ut ait ille, non fuiſſet laeva, jam inde ab ipſis nefarii conatus initiis ſatis intelligere poteramus, quae poſtea magno cum malo noſtro didicimus. Nam quum

opus ederetur febrem in me repente immiſiſti, quae ſatis me, menſem prope integrum, occupatum habuit, ut nec rei praeeſſe poſſem, nec quid omnino ageretur cognoſcere: & quum vicaria cura doctiſſimo viro demandata eſſet, & is diligentiſſimam mihi operam ea in re navaſſet; efficere tamen non potuit, quin vel labantibus literarum formis, vel turbato & inverſo earum ordine, non recta modo lectio impediretur, ſed etiam ſenſa aliquando perverterentur.

Porro ſi abjecti homunculi aerumnae aeque libenter ac Ulyſſis errores aut Achillis irae audiri poſſent, Iliadem modo quandam malorum meorum, vel certe Odyſſeam proferrem: quorum narratione nemo tam immitis fortaſſe & immiſericors eſſet, quin condoleſceret, noſtraeque conditioni illacrymaretur. Sed mihi miſerias meas omnes exponere cupienti, quammaxime eſt temperandum, ne cum tanta Dea loquens decorum ſervaſſe minime videar: neve minutis & obſcuris narratiunculis hominum faſtidia provocem, ac, pro miſeratione, maledicta excitem; ut iis videmus quotidie evenire, qui aegrotantes, interrogantibus amicis, non febres tantum, & dolores quibus cruciantur narrant, verum adhuc ſi paullulum quippiam lippiant, aut pruriant; & quid omnibus nocturnae vigiliae momentis egerint, audierint, cogitarint. Summatim itaque rem pertractabo, libatiſque ex magna mole quibusdam, jus tibi tuum protinus reddam, faſceſque & ſecures, quae tibi inepte extorquere conatus ſum, quantum quidem in me eſt, reſtituam.

Enimvero tu exultantem me perfecto jam ſcelere, ac mihimet plaudentem, compeſcere inſimul & caſtigare volens, mitiſſime id (ſane ut pene puerum decebat) efficere decreviſti. Quum etenim aut cubiculi tecto me in ipſo lectulo opprimere, aut per ſcalarum gradus praecipitem dare poſſes, caſuve alio maxime tragico me per-

dere

dere atque conficere; ad humanius converſa conſilium placuit lenius in me animadvertere. Nam principio rem affabre exorsa, paternum mihi patrimonium, ſatis pro familiae noſtrae modulo amplum, attenuare curaſti; ut anguſta domi res me angeret, animumque ad Fori labores (a quo manente domeſtica copia equidem abſtinere potuiſſem) ingratiis compelleret. Nempe educere me de meis munitionibus in apertum volebas: ſcilicet ut imperio poteſtateque tua circumfuſus, quò me ultra reciperem, quibuſcunque tandem modis mihi moleſta eſſe in animum induxiſſes, non haberem.

Concuſſà itaque poſt cariſſimi Patris obitum re familiari, monentibus atque hortantibus Amicis, navem tuam (liceat ita Forum forenſeque curriculum appellare) tandem conſcendi; quum antea vix illam ſatiſque oſcitanter e litore, turbamque quae in ea, saevis ibi ventis omnia jactantibus, periclitabatur, ſecurus ipſe animi, ſpectaviſſem. Nimius eſſem, ſi quae me in Foro, te comparante, tempeſtates exceperint, quibusque fluctibus vorticibusque actus ſim, narrare aggrederer. Satis fuerit dicere, me quum aſſiduo labore, accurataque majorum minorumque gentium Juriſconſultorum lectione, cuicunque ex aequalibus meis in juris ſcientia ſane par effectus eſſem; laudarentque ſedulo me ac probarent caeteriſque anteferrent ii, quorum in manibus ſitum erat ut aliquid eſſem, parum hercule profeciſſe, ac prope iisdem veſtigiis ſatis diu haeſiſſe. Id autem ita eveniebat, ut ſingulis menſibus res meas tandem in melius propediem verſum iri merito ſperarem: prolixe confirmantibus potentibus amicis, mei se se curam ſuſcepturos, atque in lucem producturos me, ſcilicet cui in familiaribus colloquiis enixe plaudebant, ingenium & doctrinam, mirum quantum, vel ultra veritatem, tribuentes. At res nunquam verba praetergreſſa eſt: quumque ego inanis ſemper a laudatoribus iſtis diſcederem, interea illi, quos ii prae

me contemnere, ac nihili facere videbantur, negociis omnibus adhibiti, forenſi fama inclareſcebant, pecuniiſque ac muneribus affatim onerabantur. Suſpicabar ego ſaepe & sane subſentiebam, quod erat revera, o Fortuna; irasque tuas volvebam animo: ſed veteri errore implicitus, ad receptam illam & deſponſatam opinionem rursus facile dilabebar.

Interea, ut noſter magis obfirmaretur animus, ex improviſo haut parva lucri faciendi, parandaeque forenſis gloriae occaſio mihi se se obtulit: una quippe e majoribus cauſis ad me delata eſt, quae Romae in ampliſſimo Orbis terrarum Conſilio agi deberet. Paucis rem expediam. Negocium lubens ſuſcepi: Romam profectus ſum: cauſam ſumma fide & diligentia pluries voce ſcriptoque egi:resque demum ita proſpere ceſſit, ut Purpurati ad unum omnes (& ſane duodeviginti eorum cognitioni interſuerunt) miro conſenſu reum, quem defenderam, alio judicio in patria damnatum, non abſolverint modo, ſed honoribus quoque cumularint; ejusque accuſatores, primosque pariter Judices dedecore notatos poenis affecerint. Re bene geſta gratulabantur nobis amici, & plaudebant, quod gloriam una opera, grandemque ſimul pecuniam (uti par erat) adeptus eſſem. Et ſane ego mihimet ipſe ita prorſus futurum jam perſuaſeram: atque ut illâ causâ in famam, hominumque notitiam me tandem deventurum ſperabam; meritam ita pecuniam mente jam & cogitatione in varios uſus erogaveram. Haec me cogitante, tu, o Domina, ſtultitiam ridebas meam; parabasque ea, quae mox rationes meas funditus eſſent conturbatura. Nam reus judicii periculo liberatus, mihi vix vale dicto,& legis quidem Cinciae obſervantiſſimus,rectà in Brutios rediit: mihique inſuper ferebatur ſubiratus; eam ſcilicet patrocinii, ac fideliter ſtrenueque navatae proprio aere per ſex menſes operae referens gratiam. Neque his contenta alteram etiam nobis victoriae partem corru-

pi-

piſti. Etenim quum ampliſſimorum quorundam Purpuratorum gratia florerem, in eoque tunc res mihi Romae eſſent, ut ibi ſat omnia feliciter proceſſura viderentur, non ſine aliqua etiam liberalioris fortunae ſpe; tu me, his omnibus repudiatis, Neapolim (affulſerat etenim rebus noſtris Superum benignitate poſt diuturnas tenebras clariſſima ac fulgentiſſima lux) retraxiſti, quò nil equidem certi ſequebar; nec quae deſerebam, ibi ſperare aliquando poteram: ſed magno ferebar deſiderio, ingentem novi Principis gloriam, ac Patriae feliciora tempora praeſens intueri, tantamque delectationem oculis animoque ſimul haurire. Et ſane nobis tunc nimis opportune in Patriam rediiſſe videbamur; in ipſo nimirum rerum tranſitu & converſione;ut vehementer ſperandum eſſet, tot ſummis Juriſconſultis ad jus dicendi munus ab optimo ſapientiſſimoque Rege provectis, ac rareſcente ideo Oratorum numero, rimulam aliquam nobis patefactum iri, qua in digniorem Fori locum tandem aliquando proreperemus; honeſtoque labore tueri poſſemus mediocrem familiae noſtrae dignitatem. Hæ quoque ſpes, & conſilia caſſa nobis & irrita cecidere: ac neſcio an quicquam unquam a te callidius, o Fortuna, inceptum ſit. Nam quum intelligeres ſi ego ea conſecutus eſſem quae polliceri tunc videbare, quaeque aud difficilia admodum futura eſſent, non omnino in poteſtate tua fore, ad dolos converſa, sane aſtu plusquam Punico, me inſperantem porro atque immerentem ad Tresviri rerum capitalium ſtlitibusque per Regni Conſilia judicandis dignitatem repente evexiſti; nempe ut totus quantus quantus eſſem in manum tuam devenirem. Gaudebam ego interea, harum rerum ignarus, me primum eum honorem in familiam novam intuliſse: & mihi ipſe oppido gratulabar, quod vera de te vulgaviſsem: quippe admodum abſurdum videbatur, me tam graves tecum inimicitias gerentem talia conſequi. Itaque hoc pacto ad veteres ero-

rores meos obſtinatio, veluti cumulus quidam, accedebat.

At tu conſilii certa, me quid ageres ne ſomniantem quidem, honoris illecebra pellectum Patria interea pellebas: & ſenſim quaſi e portu in vaſtum mare, ac plane immenſum Oceanum deferebas: Aquilonibusque & Auſtris mandabas ut in me perquam vehementiſſime flarent: omnemque inſuper mihi, veluti aliud agens, Cynoſurae eripiebas adſpectum. Scio haec aliter at nonnullis haberi; & rem eminus reputantibus longe aliam rerum ſpeciem offerri. Tu vero, probe noſti, in eo me nec fallere, nec falli. Nam quid, amabo, in hominum vita ſollicitudine atque anxietate plenius, quam honorum & ambitionis curſus? Quid ad humanum animum funditus conturbandum aptius, quam inter maximos improboſque labores vitam degere, omnique pene liberaliorum ſtudiorum amoenitate carere: ac interea ſpe metuque ſemper angi & excruciari? Hos maxime hoſtes ſummopere vitandos catus ille admonuerat ſenex;ſed tu, o praeclara, ejuſdem ſenis odio, utque me quae ab illo didiceram omnino dedoceres, ita me paullatim in eorum poteſtatem deduxiſti, ut nec inde evadere ſine rei familiaris pernicie poſſem; nec manere, quin iis jactarer ac frangerer permotionibus, quibus perpetuum atque internecinum cum animi tranquillitate ſit bellum. Verum de his ſatis: ne importune & inauſpicato, quum minime opus eſt, ad philoſophicam garrulitatem delabamur.

Ad illa veniamus quibus tu majores haſce calamitates veluti condiiſti, cocorum more, qui pulmentum pipere, ſinapi, oluſculis, aliisque embammatis dominorum palato commendant. Quem ego diem tranſactum dicam, quin aliquid in me incommoditatis malaeq; rei impegeris? Sane ea in re ita te geſſiſti, ut decretum tibi appareret, innumeris ac minutis malis ſingulos prope vitae meae dies, horasque deſtinguere. Nam principio

ſi

ſi iter muneris cauſa mihi forte ſuſcipiendum eſſet, illico me pluviis, nive, nimbisque furentibus excipiebas; vias profundo luto, vel, praecipue quum ad praerupta ventum eſset, lubrica argilla ſternebas; flumina ab alveis educebas, torrentes repente, quà nunquam antea fluxerant, conflabas, equosque tunc maxime mihi ultro jubebas offendere, & tantum non praecipitem me infelicem per caput in aquam dejicere: hoſpitia denique tetra & incondita, hoſpitesque plane inhoſpitales parabas: nec tandem mitigata, o Fortuna, tam cate res ordinabas, ut tot exantlatis laboribus, ac re, cujus cauſa ſuſceptum mihi publice iter fuerat, diligentiſſime perfecta, lucellum mihi quoque pro malorum cumulo ſaepiſſime interciperes: meque domum non modo ſine ſperata ac jure debita pecunia, ſed etiam exenterato marſupio, viae & comitum ſumtu tolerato, reduceres. Domi vero nimium, ac fortaſſe ridiculum fuerit memorare quos me ludos feceris; & quot modis meam curtam ſupellectilem quotidie tenuaris ac circumcideris. Servulos mihi quavis turbidiſſima procella rapaciores ſemper obtuliſti, qui caperent, raperent, perderent omnia: meque domeſticae rei adminiſtrandae imperitiſſimum nullo negocio circumducerent atque deciperent. Mures, tineas, canes, feles in me excitaſti, quae mea roderent, frangerent, ſurriperent. Furibus denique, hospitibus, notis ignotiſque omnibus, ut me compilarent, vindemiarent, emungerent negocium dediſti. Hujus generis innumera turmatim in me, quemadmodum graculi aut ſturni volitare ſolent, quotidie irruebant, parva quidem mala, & nonnullis forte contemnenda, verum quae me culicum & muſcarum ritu ſollicitum ſemper haberent, perpetuaque afficerent moleſtia: & interea rem familiarem paullatim & carptim exederent, febriculae illi aud abſimilia, quae gracile & affectum corpus leviter urendo, ſenſim ad ſepulcrum adducit.

His

Digitized by Google

His ergo, o Hera, a te blanditiis probe perfrictus, & cicur jam ſatis e fero & ſilveſtri effectus, animadvertere mihi videbar quid revera ageretur; totieſque a te correptus, vereri graviter coepi, ne quae male feriatus ille ſenex malo meo ſato me docuerat, tandem radicitus ſubverterent. Pluſculis itaque noctibus male vigilans saepe mecum ipſe ſumma animi contentione deliberavi, num errorem meum palam confeſsus, ad tuam clementiam, antequam gravius aliquid ingrueret, opportune confugerem. Verum animi mei imbecillitas exploratum jam certumque conſilium me capere vetabat, ut tua nempe expleretur ultio, juſtioresque a me obſtinationis & contumaciae meae darentur poenae. Falſo itaque, ſive potius fatali pudore impeditus rem in aliud tempus diſtuli: nonnihil etiam aliquando de te, o Fortuna, ultro addubitans, veteresque illas ratiunculas, ſane ut ipse me deciperem, ſtultiſſime in animum revocans. Satis mihi interea adversus tua arma munimenti fore ratus (quod certe unum nobis non e caetera imprudentia fiebat) ſi virtutem conſtantiſſime colerem, talemque me praeſtarem,ut quoad ejus rei facere poſsem,nullam vel ſeveriſſimis cenſoribus merito mei reprehendendi ansam praeberem. Tum vero, ut noſtri Grammatici cum pueris ſolent: qui ubi parum ſcuticâ proficere se intelligunt, ad lora deſcendunt; ita ego te aſperius atque inclementius jam me demum corripere coegi. Nam ab illo memini, quodcumque incoeptarem, quodcunque aggrederer aut ſperarem, fruſtra mihi omnia fuiſse ſuſcepta, atque ita ſemper aliò evaſiſse, ſane ut rerum Natura, cauſarumque omnium efficacitas pro uno me inverſa aut prorsus extincta eſse videretur. Ulteriusque progreſsa, omni me vitae jucunditate & praeſidio uno ictu ſpoliaſti: cariſſimorum namque certorumque antea amicorum amorem, qui ſatis jam noſtra intepuerat abſentia, novorumque amicorum praeſenti illecebra aliò se converterat, crude-
liſ-

Digitized by Google

liſſime nobis omnino eripuiſti : ſanitatemque etiam , quod prope unicum mihi bonum ſupererat , ſub idem fere tempus labefactandam aggreſſa es : atque haec ita contente , ac vehementer gerebas , ut plane me reſpirare non ſineres.

Haerebam ego tamen ſtultiſſime eodem in luto , nec pro me ipſo tantum audebam , quantum ad miſerationem tuam excitandam ſatis eſſet . Immo in mediis hiſce calamitatibus eò me contumacia mea aliquando provehebat , ut cui ne ſilentium quidem jam extra culpam eſſe poſſet, nec ſilerem tamen , nec maledictis in te abſtinerem , ſi quando id poſcere inanis conſtantiae oſtentatio videretur. Itaque tu serio jam excandeſcens , aliamque viam ingreſſa , & jam mecum viriliter actura , plane ut prope me everteres , ac de ſtatu dejiceres , calumniam in me immiſiſti aſtu , livore , mendacio , caeteriſque pediſſequis comitatam , qualem quondam Apelles periculo adhuc anxius ſuo pinxit (1) : cujus nequitia , quum nihil in me reprehendendum (abſit huic verbo invidia , o Fortuna , liceatque nobis hac etiam in re verum effari) inveniret , ad puerilia ſane , at maxime temporum noſtrorum diſciplinae & ſanctitati adverſa commenta deſcendit, ſilentibus amicis , nec apertiſſima mendacia refutanda ſuſcipientibus ; clamarem licet ego , eorumque fidem plorarem porro atque implorarem . Ridebant interea magnifica verba noſtra , nobiſque procaciter , & acerbe inſultabant illi , quibus ingenti aſſeveratione perſuadere conatus pluries fueram ineptias meas , nihilque tibi in honeſtum virum licere , etiam ſi aliquid eſſes , ſaepe praedicaveram .

Hic enimvero , o Fortuna , caecitatis , ſtultiſſimaeque

V

---

(1) *Lucian. De non temere credendo calumniae .*

que inſimul verecundiae illius noſtrae finis fuit: nam tot gravibus denique ictibus diuturno veluti excuſſi ſomno, ac de impendentibus vehementer ſolliciti, circumſpicere ſtatim & perluſtrare coepimus non modo noſtra, quaeque circa nos fiebant, ſed late humana omnia: & mirum profecto dictu; nil alicubi conſpeximus quod tui juris, pleniſſimaeque poteſtatis non eſſet. Magnas primum parvasque res, quae ante oculos erant contemplati ſumus; atque in omnibus te pariter, Dea, moventem, turbantem, miſcentem cuncta pro arbitrio deprehendimus. Anne, obſecro te, aliquò mentis aciem convertere poſſumus; aliquod ex quotidianis hominum factis rimari, ubi non Domina, non Regina videare? Quid? Quae nobis inſpectantibus, ut hinc incipiam, proximis hiſce annis geſſiſti, num parva potentiae tuae ſpecimina videntur eſſe? Profecto ita res miſcuiſti, ut modo juſtae causae favere viſa ſis, modo arbitrium pro lege praeteſerre: nunc debita reddere, nunc auferre placuerit: atque ita ſubito nonnunquam benignos iratosque alternare vultus, ut raro id evenerit, quod mox fore hominum ferebat conjectura, tuque maxime tunc polliceri videbare. Ne vero temere de quibusdam quae mihi ignota erant, meumque captum ſuperabant, judicium ferrem, ad peritiores acceſſi; teque ſemper caput terminumque rerum inveni. Quinetiam, ut cominus agerem, felicium quorundam eventuum ab iis ipſis qui praefuerant, resque adminiſtraverant, cauſas ſeriemque ſciſcitatus sum, & nihil hercle non mediocre in notis cauſis, nihil non vulgare in prudentia hominum offendi, nihilque prorsus quod illud efficere ſine te, quod evenit, potuiſſet. Unde mihi tandem aeque ſtultum viſum eſt, arbitrari humanam ea ſapientiam efficere, quae una efficis, Fortuna: ac rerum cauſas & effectus velle complecti animo, resque noſtras e voluntate noſtra regere. Tu enim in Natura rerum univerſa, tanquam ſummus quidam ſine provocatio-
ne

ne Magiſtratus, omnia late temperas, tuisque una legibus atque imperio coerces ac moderaris

Terraſque, tractuſque maris, caelumque profundum.

Salve ergo rerum Arbitra & cauſarum Regina; quae humanarum ſortium urnam temperans, eventorum vices alternas: voluntatisque etiam noſtrae incepta per varios exitus inobſervata convolvis. Nec ego modo adulatoria quadam arte alicui fortaſſe videri velim, poſtquam te atrociter proſciderim, nimiis nunc laudibus efferre. Nam & valde mihi periculoſum eſſet te adeo contemnere, ut palpare etiam auderem: & talia dicturus ſum, quae nec recondita sunt, nec ab arcana aliqua nimisque ſubtili sapientia depromta; ſed obvia omnia & vulgaria, quaeque a quovis patreſamilias noscantur, & praedicentur. Quis etenim aleam vel ſemel attigit, quis bello aliquando interfuit, aut ejus ſaltem aliquam hiſtoriam perlegit, quis unquam mercaturae operam dedit, Forum aut Aulam tantum ingreſſus eſt, quin earum rerum omnium te ſummum agnoverit imperium obtinere? Cui tam, obſecro, perfrictum & durum os, cui tam hebes ingenium, qui fortunatos quosdam homines eſſe negare audebit, quosdam infortunatos? Urbem quisque ſuam excutiat, viciniam ingrediatur, domos adeat: civium, aequalium, amicorum ſecundos adverſosque caſus ſedulo expendat: ſemet denique ipsum, ſuorumque res inſpiciat: ſane protinus videbit, primo non qui boni prudentesque ſunt, felices quoque eſſe; nec qui mali ignavique, etiam infelices: deinde ſapientiam ſtultitiamque, induſtriam ac negligentiam, quamminimam in quibuſcunque rerum eventibus partem habuiſſe prae te, o Fortuna, *concurſuque illo fortuito, & repentino cauſarum*; qui ut ad proſperum omnium negociorum exitum omnino requiritur, ita humana ratione accerſiri, ac mente praevideri non poteſt. Propius & preſſius, amabo, rem inspiciamus, ne forte vel timore perculſi, vel

adulandi ſtudio longius provecti, in hanc de te ſententiam non evidentiâ adducti, ſed repente, nullaque ratione prolapſi videamur.

Atque ut ordine procedamus, rerum omnium conſideremus generales cauſas. Princeps *Natura rerum* se se offert; quae vi quadam ciente *motus* in ipſis *neceſſarios efficit*, ut naturâ arbores fundant germina, ignis urat, aqua, ni contineas, fluat, gravia deorſum ferantur; quorum quidem ea indoles eſt, ut eandem conſtanter eant viam, nullaque vi aut arte flecti, invertique poſſint. Atqui ita haec se se habent, ut quisquis facile animadvertat, hanc nihil extra ipsum naturalis cujusque facultatis actum valere causam. Nam urat sane naturâ suâ ignis: at mea ut potius quam tua comburatur domus, ejus porro natura non efficit. Lapis cadens deorsum naturâ feratur; ſed nequaquam naturâ in Cornelii caput, non in Sempronii decidet; verum aliis omnino de cauſis.

Ipſi deinde *homines* ſunt, quos nonnullarum rerum cauſas eſſe certum eſt, dum *Naturalium cauſarum efficientium* ratione & ingenio *eliciunt*, verſant, ordinant: nam quod ad seipsos, caeterasque res attinet, anguſtis sane conſtricti finibus, vix *velle* & *nolle*, in sua habent poteſtate. Quid ergo? Quonam pacto has tantummodo omnium late rerum cauſas, totque ingentium ac repentinorum casuum eſſe affirmemus? Quis hoc sanus audeat dicere? Minimam quamcunque rem inspiciamus, ſi *Naturam* & *Hominem* plane omnia in ea re perficere invenerimus, aud recuso quin vilis nulliusque precii adulator habear & vocer. Res quidem palam eſt: ſed age levi aliquo quotidianoque utamur exemplo. Velit quispiam rus ire; id ſine dubio suum eſt; ut autem iter ingrediatur, ut eò perveniat, ut inde domum salvus incolumiſque redeat, id cujusnam juris erit? *Naturam* quippe huc fruſtra advocaremus, quae quam ſibi partem ea in re ſumat, non inveniet. *Homo* quidem ire & redire *voluit*; verum id,

id, ut voluerit, perficere, equidem ejus in poteſtate non erit. Annon poterit in latrones incidere; inimico obviam fieri; rabioſam canem ruri offendere; bovem indomitam & furentem; innumeriſque aliis occurrere, quae perveniendi ac redeundi voluntatem ejus irritam faciant? Pluribus ea evenerunt, & eveniunt quotidie: pluribus non item. Quid ergo? Dicemus in hominis poteſtate eſſe, rus ſalvum pervenire, domumque inde incolumem regredi? Certe, quod unum potuit, egit; *voluit*: reliqua cuinam delegabimus?

At quantula haec res eſt, rus ire? Quid in majoribus negociis, obſecro, quid in maximis fiet? Inſpiciat, cui ocium fuerit, quot quantave in bello adminiſtrando, tum in adipiſcendo Regno requirantur, excutiatque cauſas, Naturamque, & Hominem quaquaverſum vertat, conſtanter *illam* cernet in ſingulis rebus certo caecoque impetu motus expromere ſuos: *huic* nil ultra datum eſſe, quam ut res ſcite, ut prudenter, ut ex arte inſtituat & diſponat: ſed prorsus nihil profecto ab iis poſſe perfici; ita ut neceſſario extrinſecùs *alia* advocanda ſit *cauſa*, o Fortuna, quae ultra omnem Naturae legem, ultraque humanum arbitrium poſita, rebus cunctis dominetur: earumque non cursum tantummodo regat, ſed ſingulis quoque earum articulis interſit, & praeſit, easque ita cadere faciat, ut ceciderunt. Quaenam autem *alia* haec fuerit *cauſa*, niſi Tu, Domina? Qua enim in re sedulo quaerentes te non inveniemus? Quo in vitae angulo, qua in obſcuritate non deliteſcis, movens cuncta clam & ordinans? Agant nunc mecum arguteli iſti qui te non vident; accedant propius, humanorumque eventuum cauſas perſcrutentur: obſtupeſcent porro, quum te, ubi ne adeſſe quidem ſuſpicabantur, regere omnia, clavoque aſſidere comperient.

In utero quis geſtatur: quot casus, per Jovem, antequam ad maturitatem foetus perveniat: quot in ipſo na-

naſcendi tempore ſupervenire poſſunt, ut ne naſcatur? Quot, ut vix natus exanimetur? Subiti pavores, caeca feſtinatio, imprudens mora, ſervorum imperitia, obſtetricum medicorumve errores, & sexcenta hujuſcemodi; quae ut magnum & inevitabile rebus momentum afferunt, ita nulla prudentia averti aut regi queunt. Quid in infante, quid in puero educando? Quaevis hora, quodvis punctum fortuito in adversum declinans, illum debilitare, deformare, interimere poteſt. Quae quidem omnibus aeque imminent, ac communia ſunt; at illa propria: ab ipſo utero per parentum luem ultro foedatus sanguis, nutricum perverſitas, vel occultae valetudines, naturalis ejus aetatulae imbecillitas, ſtatique & certi omnium puerorum morbi: quæ omnia *feliciter* tranſcendi debent, ut tandem ad adoleſcentiam perveniatur. In ea vero quid primum, quid proſtremum eloquar? Ne nimius ſim, omnia omnium aetatum generatim una oratione complectar: satis enim fuerit rem quaſi per tranſennam leviter indicare. Et primo optime hic ſibi locum vindicant ea pro quibus tibi Thales, unus ex ſeptem, gratias agebat (1), videlicet quod *Homo non brutum*, quod *vir non mulier*, quod *Graecus non Barbarus* natus eſſet, quae certe in sua poteſtate non fuerant: deinde caetera enumerabimus. Sane in qua quis fortuna naſcatur incertum; quibus parentibus, quo ingenio, quo corpore, quibus familiae amicis, qua rerum ſuarum conditione. Quae, per Deos immortales, quanta sunt? Tantum hercle non omnia: niſi quis fortaſſe parum intereſſe aeſtimet, carnificis ne filius naſcatur an Regis: deformi foedoque corpore ut Therſites, an pulcherrimo ut Achilles: magno acrique ingenio, an craſſa, ut ajunt, Minerva: ſine

(1) *Hermippus apud Laert. in vita Thaletis*.

ſine re, ſine ſpe, an in magnis copiis. Quid caetera quae vitam hominum felicem vel infelicem efficiunt? Num ex his aliquid noſtrae eſt poteſtatis? Num Natura quae bruta & neceſſaria eſt cauſa, tantam varietatem ac differentiam poſſit efficere? Plane ut nil tibi non debet, qui bona mente praeditus in lucem prodiit; ita nunquam de te queretur ſatis, qui hebes ſtupiduſque natus eſt. Ut Mater illi amantiſſima fuiſti, qui ſedatum pacatumque ſortitus eſt animum, ita ſaevam novercam te geſſiſti cum eo, cui perverſus obtigit & concitatus. Nec enim ita multi poterunt Socratem imitari: qui fertur ita ſeipsum perdomuiſſe, ut non modo quò eum indoles ferret non obſecutus ſit, ſed omnium etiam illa aetate hominum optimus evaſerit.

Haec plurimaque alia naſcentem comitantur, quae nec ab humani arbitrii libertate pendent; nec aliud Naturae opus in eo cogitari, aut effingi poteſt, quam ipſum naſci. Si negocia vero variaſque vivendi conditiones ingrediamur, non quid in iis fortuitum ſit, ſed quid non omnino fortuitum, interrogandum. Quocumque velimus ire, te praegredientem, comitantem, ſequentem pariter conſpiciemus. Tu nobis rerum aditus reſeras, claudis: tu cursum dirigis, impedis: tu exitum explicas, tollis: tu memoriam, ingeniumque nobis modo ex inſperato tribuis, modo importune adimis: efficiſque aliquando, ut quae ſcimus, quum meminiſſe oporteret maxime, neſciamus. At quid fruſtra verba fundimus, quidve ſingulis immoramur, quum tam late dominatus pateat tuus, ut una eademque, quae domi coenantem, vigilem, dormientem, aegrotum, ſanum unumquemque hominem regis: eadem foris bellanti, Foro, mercaturaeve operam danti, gratiam Principum aucupanti, aliaque vitae munia obeunti omnino modereris. Num vana, num falsa loquor? Inſpiciat unusquisque quodcunque actorum ſuorum volet, ri-

rimeturque diligenter, ecquid in unoquoque vere ſuae poteſtatis ſit, quid autem fortuitum: exhorreſcet profecto, ſentietque extemplo, quantulum ſit quod ipſe poſſit; quam vero multum, quod a caſu Fortunaque pendeat.

Haec ita fieri intelligens ſapientiſſimus Pythagoras, diserte tradebat (1); ut navem conſcendamus, noſtri id plane arbitrii eſſe: ut autem ex voto navigemus, ut nos procellosum aut tranquillum excipiat mare, id enimvero Fortunam efficere. Nam quum ad quidvis perficiendum quamplurimae conveniant causae neceſſe ſit, vix ex iis aliquae, eaeque leviores a nobis Naturaque pendent: plures vero, & efficaciſſimae a casu. Tempora mediusfidius, occaſiones, opportunitates, hominumque cum primis, quibuſcum haec vitae ſpatia peragimus, varia ingenia, variique mores, unde in humana societate pendent omnia, nempe inter ea ſunt connumeranda, quae omnino in tua poteſtate ſunt. Qualiſcunque ergo unusquisque noſtrûm ſit, quicquid, & quocumque pacto agat, validiorum externarumque semper cauſarum fortuitus concursus, & nexus quidam felix ac amica societas requiritur, ut quaecunque cupimus, aut meriti sumus aſſequamur. Inde fit ſaepiſſime, ut non convenientibus neceſſariis cauſis boni merentesque medio in luto jaceant; quum earum proſpero concursu mali indoctique diteſcant, atque ad dignitates evehantur. Ipsa quinimmo virtus, ut ille (2) ſapienter dixit, in quae tempora incidat, plurimum refert. Porro ſi Scipio Romae modo naſceretur, & Annibal Carthagine, inglorii ambo viverent, obſcurique diem ſuum oppeterent; non ſua quidem culpa, ſed temporis. Quin-etiam

(1) *Anonymus apud Photium Cod. 259.*
(2) *Plin. hiſtor. lib. . . .*

Digitized by Google

etiam in eadem Republica paullo serius, aut citius naſci, hos vel illos homines, haec vel alia inſtituta moresque in civitate offendere: quod omnino fortuitum eſt: sane plurimum valet. Propterea videre eſt, eos, quibus tu, rerum Domina, maxime faviſti, in omnes rerum omnium, temporumque opportunitates incidiſſe: teque iis saepe unam, virtutis, doctrinaeque, atque omnium ornamentorum loco fuiſſe.

Nec vero ego, homunculus quidam ſcilicet, haec modo cudo, meique excuſandi cauſa prolixe admodum effutio. Nam & res ipsa per se loquitur: & omnium actorum temporum memoria graviſſimum pro te teſtimonium dicit. Quem enim librum, quaeso, quos commentarios, quas hiſtorias in manus ſumemus, quin in nomen tuum prope tertio quoque verbo incurramus? Immo cujuſcumque generis res examini leviter ſubjiciemus, te semper inveniemus cuncta gubernantem, adminiſtrantemque. Infinitum & alioqui ſupervacaneum fuerit, omnis aevi hiſtorias perſcrutari, tuaque innumerabilia fortia facta inde proferre, graviſſimaque de te ſummorum hiſtoricorum judicia producere. Eccui etenim poſſint vires ſuppetere, quis tantum ocio abundare, ut valeat vel loca ſolum indicare, quibus in numen tuum attoniti ſtupenteſque, in ipſa rerum narratione reſtiterint magni viri: teque viresque tuas non agnoſcentes modo, ſed etiam horrentes, tantam Deam venerabundi adoraverint, teque cauſarum omnium maximam, planeque Reginam poſteris luculenter teſtati ſint? Notiſſima res ac vulgaris: nullique non lectori obvia.

Praetervehamur itaque, atque adversariis tuis ultro largiamur, Fortuna, quicquid Hiſtorici, ſcriptoreſque ejus generis, Poëtaeque atque Oratores de te dixerunt: ſit horum hiſce de rebus extraneum judicium. Utamur teſtibus oculatis, quibus & in humanis judi-

 ciis

ciis maxima haberi fides ſolet : immo , quod ſatius fuerit , de rebus ſuis magnos aliquot viros interrogemus . Agedum ergo aliquos e filiis tuis , fortunatos ipsos , qui clariores quidem in hiſtoria ſunt , excitemus : atque ex eis quid de te ſentiri oporteat , sciscitemur .

Primus omnium Timoleon ille Corinthius prodeat Tyrannorum clades , ac Siciliae liberator . Quid hic Timoleon fert ? Interrogemus , quaeso . Cuinam tu , bone Timoleon , res tuas geſtas tribuis ? Quonam adjutore , quo duce , cujusque auxilio fretus , tot tantasque res , adversum casum prope nunquam expertus , tot per annos geſſiſti ? Virtuti scilicet , ingenio , militariumque rerum peritiae debes omnia ? Nequaquam , ſine circuitione hic inquit ; sed omnia Fortunae accepta refero (1) . Ea mihi cuncta incredibili facilitate expedivit : ea conſilium , ea praeſidium , ea mihi opes viresque una ſuppeditavit . Itaque ego , caeteris omnibus Diis vale dicto , resque suas ſibi habere juſſis , *ſolam fortunam* sum veneratus , eamque extructo domi , peculiari sane nec alias uſitato sub nomine (2) , sacello , unice ac sanctiſſime , in grati animi teſtimonium , conſtanter dum vita manſit , colui .

Bene habet : nil te moramur amplius , optime Timoleon , macte virtute eſto . Jam alium producamus .

Opportune Syllam video . En age , Publi Corneli , dic ut Romanum , ut Patricium , ut tantum denique decet Imperatorem : dic , obſecro te ; Virtutine tuae innixus , bellicaeque rei experientiae tot praelia iniiſti , tot Urbes aggreſſus es , tot immensa itinera suscepiſti ? Dic , cujus ope confisus , tantam contentionum acerrima-

(1) *Plutarch. in ejus vita circa finem.*

(2) (Αὐτοματίας) *Corn. Nep. in ejus vita , itidemque Plutarch. ibid.*

marum aleam ſubire, Romanamque libertatem primus omnium labefactare in animum induxiſti?

Nil hercle novi, reſpondet hic (1), excogitandum excudendumque mihi modo eſt, ut veſtrum iſtaec cognoſcendi deſiderium expleam. Nec vero ego qui devicto Mithridate, Marioque, inimiciſque omnibus profligatis, *non Fortem*, *aut Invictum*, ſed *Felicem*, expoſitis Pop. Rom. meis rebus geſtis, me vocari juſſerim, interrogari modo debui, quid de me, quid de proſpere ſemper aditis periculis, quid de victoriis ſentirem meis. Nonne illo optato agnomine ſatis abundeque teſtatus ſum, me *Fortunae* geſtorum meorum gloriam tribuere, *non virtuti*, aut prudentiae? Verum ſi hoc vobis tam aperta conjectura aſſequi difficile fuit, non fuerat porro neceſſe hac me interrogatiuncula fatigare, qui non modo in familiaribus colloquiis, dum viverem, victorias meas omnes uti Fortunae munera ſemper agnoverim; ſed etiam, ne hujus veritatis memoria apud poſteritatem unquam obſoleſceret, in commentariis ipſe meis diſerte retulerim, ex omnibus meis rebus geſtis illa mihi *felicius* proveniſſe, quae *temere*, repudiatiſque omnino conſiliis aggreſſus eſſem: ſcriptoque nulla ambiguitate aut aequivoco affirmaverim, me *Fortunae* potius, quam *bello* natum (2).

Numquid celavit iſte? Num planius rem potuit eloqui? Omnia profecto tranſacta fuerint, ſi poſt hunc, qui neſcivit literas, temporarium Dictatorem, maxime omnium doctum vaferrimumque Dictatorem perpetuum audierimus. Magnus hic certe vir fuit, & neſcio an ei parem Italia unquam tulerit. Tentandum nihilominus eſt, & inquirendum, num inter tot bellica decora, in-

 gen-

(1) *Apud Plutarch. in ejus vita.*
(2) *Plutarch. ubi ſup.*

Digitized by Google

gentiaque facinora aliquid extet , quo ei cum Timoleonte & Sylla conveniat . Adesdum ergo , summe Imperator ; qui ut literarum scientiam praeteferres , confodi in imperio maluiſti , quam pediculari morbo privatus absumi . Dic , ecquid Tu aliquando Fortunam Tibi tuisque coeptis adeſſe propitiam intellexiſti ? An credi vis , omnia te , ea reluctante , per solam virtutem egiſſe ? Loquere age ; nec verere , ne ob hujusmodi confeſſionem aliquid Tibi gloriae detrahatur : quae satis firmis sempiternisque nititur in omnem poſteritatem fundamentis . Quid me , hic infit , modo in praeteritarum rerum memoriam revocatis : taedet me illorum temporum recordari , pudetque etiam nunc , me tot laboribus nil niſi mihi praematuram comparaſſe mortem , Patriaeque perpetuam servitutem . At quando urgetis , nec vobis satis eſt quod praesenti mihi maximus Orator , dum me exquiſitis laudibus in Caelum ferret , dicere non dubitavit , me , quum victorias triumphosque meos recordarer , etſi *perſaepe virtuti* , tamen *plerunque felicitati* meae eſſe gratulaturum (1) ; brevi dicam , seu potius quod olim dixi vobis in memoriam revocabo . Quum naviculae me satis temere per hybernum mare commiſiſſem , jamque prope obrueremur fluctibus , tum quid animum jam despondenti Nauclero , & quem veheret ignoranti dixerim , recordamini ? Tunc demum me adegit Fortuna confiteri , quod perpetuo tacuiſſem : mihique tandem invito , medio in mari , *ubi nullus virtuti locus* , expreſſam confeſſionem memini , cui potiſſimum numini fiderem , quantique facerem Fortunae favorem .

Neque tantorum virorum de semetipſis teſtimonia aliquo

(1) *Cic. Orat. pro M. Marcello .*

Digitized by Google

aliquo pacto in dubium revocari poſſunt : nam & patet, eos pro veritate locutos , nec causam ullam mentiendi habuiſſe . Nam cuinam probari poſſit contra se id eos ultro prolaturos fuiſſe ? Intelligebant sane clariſſimi Duces , prudentiam ipsos suam , militaremque virtutem , omnia ad te referendo , non extenuare solum , sed prorſus tollere : & quo magis tibi tribuiſſent : eo minus ſibi ipsos laudis reliquum facere . Quod equidem majorem inde habet authoritatem , quod id non in ipso alicujus pugnae discrimine , scilicet ut militibus eo imponerent commento , dixerunt ; sed confectis rebus , pacatoque animo , planeque nimirum , ut quod sentirent profiterentur.

Quid fore arbitramur , ſi de Cyro , ſi de Magno Alexandro quaeramus ? Ut illum modo omittamus , qui totus ab ipſis incunabulis tuus eſt : num aliud in hoc reperiemus , quam ad tantas res suscipiendas audaciam ei pro ſignifero fuiſſe , te autem ad easdem feliciter perficiendas comitem ducemque ? Et ſi modo mihi ocium eſſet , gratumque id tibi suspicarer fore , Graecorum Romanorumque tempora totiusque immo Barbariae peragrarem , ut potentiae , imperiique tui ingentia veſtigia legerem : quaeque domi bellique ab omnibus omnium gentium viris geſta sunt , ea tibi jure optimo adjudicarem . Sed hoc & tibi moleſtum eſſe intelligo ; & quodnam tandem fuerit hujus precium operae ?

In re ſi quidem aperta verſamur ; nec longe modo debemus argumenta repetere . Non enim poſſumus quin fateamur , pleraque non magnos modo Duces Regesque, ſed vulgo etiam homines plerunque ſuſcipere tibi magnopere fidentes : quum nullum tam facile inceptetur negocium , cujus exitus ab initio ita pateat , ut aliò , ac nos cupimus , declinare non poſſit . In caſus ergo incertos quotidie se se dant homines: alacresque aleam ſubeunt, te ſibi affuturam ſperantes , ſicut & ipſis antea , aliisque

que

Digitized by Google

que saepe affuiſſe recordantur . Nec vero negari poſſet, longe pluris a mortalibus hominum fortunam fieri quam virtutem; magisque fortunatum adverſarium timeri, quam doctum aut fortem. Ideoque Reges *felicem* Imperatorem gnaro militiae; *felicem* Legatum rerum civilium perito praeponunt; nosque quotidie prae Medico *fortunato* ſapientem, prae Oratore *fortunato* diſertiſſimum ac Juriſconſultiſſimum poſthabemus. Quod certe ſi quis qua de cauſa fiat eos qui faciunt interroget, nullum, aut plane vagum ac incertum feret reſponſum. Sed, ut mihi quidem videtur, id ea fortaſſe de cauſa fit, quod quum *Virtus inter humanas cauſas reponatur*, ejus vires, potentiaeque momenta noſci, retundi, ac vitari videntur poſſe, ideoque ei minus confiditur, minusque etiam formidatur; *tua* vero, Fortuna, quum *divina vis & incognita cenſeatur*, nullisque definita limitibus, certa ideo & inevitabilis habetur, quam nullo pacto humana ope & ingenio eludas aut declines.

Quod ſi hominibus, ut multa alia longe minoris precii, ita cordi veritas eſſet, nec Sylla nec Caeſare teſte indigeremus, ſed omne ſimul genus humanum ad dicendum pro veritate teſtimonium produceremus. At quando aliter comparatum eſt, ſilere nos quidem, inſitâ ingeniis ſuperbiâ, poſſumus, alios que quid ſentiamus celare; conſcientiam vero noſtram utique fallere nequimus. Quotusquisque etenim eſt, qui ſecum ſuas res recolens, actaeque vitae caſus, non ſentiat extemplo quantum tibi debeat, quam ſuae parum sapientiae? Sed dum docti, dum prudentes videri volumus, dum nos nimium amamus, volumusque virtutes noſtras aliis venditare, veritatem prodimus, atque per ſuperbiam ingratumque animum quicquid bene feliciterque evenit, abs te ad noſtras vires noſtramque prudentiam traducimus. Nec ideo tamen veritatem pectoribus penitus inſitam, tacitaque experientia pluries per ſingulos dies teſtatam penitus obruere

ruere poſſumus, quin aliâ se se proferat viâ: & quantumvis preſſâ & obtrita, aud raro nec cogitantibus nobis per familiaria colloquia, animique improviſos motus emergat. Profecto adverſâ unuſquisque ſua, Fortunae, non imperitiae, aut incogitantiae tribuit: & quum felices aliorum caſus recolimus, raro prudentiam, ſaepius fortunam appellamus: nimisque in noſtris conniventes, aliena facta ſatis acute pervidemus. At ſi tu injurias tuas ultum ires, ingratosque praeſenti afficeres ſupplicio, nae pauci poſthac imperium numenque abnuerent, ac detrectarent tuum. Plurimos ego te obſcuros homines iſtud ob crimen afflixiſſe credam, ſed hi jacent penitus ignorabiles; nec late ob eorum ignobilitatem manavit iſtorum ſuppliciorum utilitas. Aliquot etiam magnos viros perculiſti: at male generi humano conſultum tam raris exemplis.

Porro ſenſit maximo cum malo ſuo quid eſſet beneficia tua aſpernari, & ſuperbe ingrateque in munificentiam tuam incurrere Athenienſis Timotheus. Hic namque, quum pluribus egregiis bello factis inclaruiſſet, indignatus eſt vehementiſſime, obtrectatores gloriae ſuae audiens, non ejus virtuti ſed tibi geſtorum ſuorum decus tribuere. Itaque hac veluti contumelia Graeculus delicatus ſauciatus & accenſus, geſtiens quaecunque geſſiſſet tibi ſcilicet ſubducere, ſibique aſſerere; quum e quadam proſpera expeditione Athenas rediiſſet, populoque res geſtas narraſſet ſuas, ſuperbe admodum & proterve narrationi addidit, nullam in his, quae expoſuiſſet, Fortunam habere partem. Hujus tu ingratiſſimi verbi indignitate merito commota, graves adeo ab illo poenas ſumſiſti, ut non modo nihil ei ulterius bene procedere usquam atque evenire ſiveris; ſed ſummam erga ipſum civium ſuorum benevolentiam in acerbiſſimum odium converteris, eumque poſtremo Civitate expuleris atque in

exi-

Digitized by Google

exilium egeris. (1) At ſuavis equidem ideoque non omittendus inter hos Polycrates Samiorum Tyrannus extitit; cui quum tu effuſe per omnem aetatem faviſſes, mediis in deliciis muliebriter nauſeans, tuique admodum faſtidiens, ut adverſam te aliquando experiretur (quaſi id tui juris non eſſet) ingentis precii annulum in mare projecit, hac jactura ſtultiſſime ratus, infortuniorum omnium periculum ſe ſe redemturum. Tu vero, poſtquam illum te amicam ultro laceſſere, atque inſultare etiam intellexiſti, tamque jam delicatum effectum eſſe, ut ſecundam & obſequentem te amplius ferre nequiret, annulo ei protinus per piſcem reddito, belloque eidem hoc facto quaſi per Feciales indicto, quid eſset infortunatum, vere atque infelicem eſse, paullo poſt nimis eum ſevere docuiſti . . . .

Aliquot alios inſuper ſummos potenteſque viros aeque magna a te plaga perculſos & afflictos ob ingrati animi crimen annales referunt: ſed parum eorum caſus momenti attulerunt ad ſapientes quosdam, ſi dis placet, imperii tui admonendos; qui non ideo rejectis aliis cauſis, ad te unam ut caeteri mortales, confugerunt. Nec vero ii de tuo numine dubitare jure potuiſsent, qui & aſpirare ſecunde te hominibus viderent: & laeſam ab ingratis juſtas repetere ſaepe poenas ſolere: quamque ipſi levitatem inconſtantiamque vocitare imprudenter conſueſſent, vere ultionem eſſe. Neque porro mirari ultra aequum fuiſſet, tam raro favoris tui auram conſtanter eoſdem verſus ferri, poſtquam illud fuerat animadverſum, *Fortunatos plerunque Fortuna abuti*: ſeque ita gerere ſecundis in rebus, ut non modo ſeipſos irent perditum, ſed te, nomenque tuum ingratiſſime per foediſſimas vitiorum ſordes

(1) *Plutarch. in vita Syllae.*

des infamarent. Haec tamen non viderunt noſtri ſapientes: quae foeda quippe caecitas, ac vere ſtupor eſt appellandus; praecipue quum nec his ipſis adminiculis eguiſſent ii, quibus veritas in medio poſita atque in propatulo eſſet. Nec etenim alia probabilis quamplurimorum eventuum ratio afferri, nec alius innumerarum inenodabiliumque rerum exitus inveniri poſſet.

Hîc mihi cauſas neſcio quas ingerat quiſpiam, & inania vocabula pro rationibus ſubdat: non ideo tamen controverſiam tollet, quae quidem re non verbo conſtat. Quid enim ei homini reſpondeant qui ab eis e multis hoc unum quaerat, curnam tandem, quum ille aliquid aggreditur, omnes illico neceſſariae cauſae ad id promte efficiendum quod aggreſſus eſt, concurrant, &, ut ita dicam, ad ejus nutum praeſto ſint, idque in omnibus & conſtanter; quum vero ego aliquid agendum ſuſcipio, nunquam hercule neceſſariarum cauſarum concurſus fiat, ut bene res cedat; ſed omnia obſtinate in contrarium ſemper vertantur? Id enimvero, quum a Natura, vel ab Homine eſſe non poſſit, nec cauſarum ipſarum voluntate fieri fingi queat, a te eſſe prorſus, o Regina, nemo non videt.

Atque ab eodem quoque fonte manat quod ſaepe miramur. Felix aliquis eſt, & cum quibuſvis congrediatur invictus: ut autem ei cum certo homine res fuerit, continuo felix eſſe deſinit, ſtatimque debilitatur, vincitur, proſternitur? Quis, obſecro, Pompejo Magno non dicam vigilantior, prudentior, fortior, ſed vero fortunatior? (1) Is quidem terra marique ab aetate vix militari ad ſenectutem uſque per omnem prope terrarum Orbem conſtantiſſime quorumcunque hoſtium victor,

(1) *Vid. Cic. pro Leg. Manil.*

Digitized by Google

ctor, ut in Caeſarem incidit, ita ejus repente ingenium obſcuratum eſt, atque hebetatum, ut quod gregarii milites, quod togati ipſi viderent, ipſe non viderit. Quae tanta vis potuit talem virum momento prope temporis ita immutare, ut eundem eſſe cognoſci amplius nequiverit? Ut nihil in toto illo bello ex arte, nihil ex vetere fama, nihil fortiter aut perite fecerit? Pompejum tu quidem prae caeteris diligebas, Caeſarem vero prae Pompejo.

Atque ejuſmodi favoris tui praerogativam paullo poſt M. Antonius Triumvir ſenſit. Omnibus hic Naturae Fortunaeque muneribus inſtructus, quaecunque incepit, te favente, prope omnia feliciter ad certum usque tempus peregit. Eandemque prorſus felicitatem ad extremum diem prolaturus videtur fuiſſe; niſi in Auguſtum incidiſſet, quem tu mortalium omnium unum praecipuumque ſelegeras, quem a tenui & prope obſcuro loco, admirando ſane rerum ſucceſſu, ad ſummum humanarum rerum faſtigium eveheres; *dato* ad idipſum *Genio*, qui M. Antonii *Genio* longe ſuperior eſſet, eumque perterrefaceret (1). Itaque ut ad Actium ventum eſt, Octavianus *ſtertens* ſomnoque ita impeditus, ut aegre a ſuis ad ſignum pugnae dandum excitaretur (2), Antonium viribus ingenioque praeſtantem, & tunc temporis *vigilantiſſimum* profligavit; injecta ſcilicet a te, ut Auguſto faveres, ſubita in Ægyptios formidine, Antoniique mente amoris importuno impetu labefacta & coſternata.

Talibus equidem perculſi homines, quum eorum quae fierent exitum quidem viderent, rationem vero explicandi nullam reperirent, ad te ab omni temporum memoria paventes ac venerabundi confugerunt: Numenque tuum

(1) *Plutarch. in M. Antonio.*
(2) *Plutarch. in Auguſto.*

tuum maxime omnium verentes, innumera tibi per omnem Orbem templa poſuerunt: atque a te bonum negociorum omnium eventum coeperunt precibus & ſacrificiis expoſcere. Omnium haec populorum, omniſque aevi perſuaſio fuit: cultarumque pariter ac barbararum nationum commendavit & juſſit religio.

Circumeamus tantiſper memoria terrarum Orbem, annaleſque humanorum factorum percurramus: tu profecto ſemper occurres magno ubique in honore habita, cunctiſque hominum linguis ad omnes proſperos adverſoſque caſus uti Regina ac Domina late culta atque appellata. At quid opus eſſet, Indorum, Aſsyriorum, Perſarum, Ægyptiorum, Carthaginenſium, Romanorum, Graecorum cultum in te benevolam aeque & obſequentem, ac malam adverſamque memorare? Unus tantummodo mihi ex tot Orbis terrarum populis, una porro ex tot nationibus cujuſcunque aevi, vel una ſaltem Civitas, una domus afferatur, ubi tu nullo in honore fueris, ubi deſpecta: & ego tunc ne hiſcere quidem ulterius audebo, meque omnium ignaviſſimum illico eſſe palam confitebor.

Haec ipſe ego nempe videns olim, quum negare nequirem, ſane ridebam; hominumque hinc ignorantiam (cordatus ipse ſcilicet & ſapiens) hinc aſtum causabam; totamque rem ita mecum interpretabar, ut crederem, eorum calliditate, qui Reſpublicas adminiſtraſſent, caecum hoc & maxime incognitum atque ambiguum Numen in ſcenam productum ad decipiendos homines; tantamque tributam potentiam, ut facilius, hac injecta opinione, ferocem indomitamque multitudinem regerent, planeque obſtupefacerent; rebarque, obvium hunc errorem a Philoſophis obteri, & profligari; eosque veluti quosdam ingenii humani medicos huic inſaniae mederi, rerumque veras cauſas tradere, detecto mendacio, confutatiſque commentis.

Digitized by Google

Ideo poſtquam mihi lux poſt diutinam noctem oborta eſt,in eo nimirum haerebam adhuc,Philosophosque nimis verebar. Et quanquam ratione, rerumque experientia poſterior haec mea de te firmiſſime ſtaret ſententia; angebat nihilominus me, & ſollicitum habebat, quod Sapientes iisdem de rebus alia omnia ſentire arbitrabar. Sciebam enim, nomen quidem eos tuum aliquando uſurpare: ſed ideo hoc ii mihi facere videbantur, ut quae fortuito ac temere fieri homines arbitrarentur, in vanum hoc Fortunae nomen detorquerent, ne ſcilicet temeritatis, & inconſtantiae ſummum Numen ab imperitioribus arceſſeretur.

Atque iccirco,quum neceſſarium omnino eſſe conſpicarer, ad illorum caſtra propius accedere, ut hoſtium vires, copiasque ſpecularer, cunctanter nimis & anxie circa ea me gerebam, magnopere veritus, ne me eorum authoritas, ſplendideque dicta ad priſtinum rurſus errorem a veritate retraherent. Verum tandem pulsa formidine proceſſi, meque in ipsa eorum Praeſidia animorum plenus intuli; ut quibus tandem viribus freti talia adversus te blaterarent, perspicerem. Fidebam etenim veritati: nec mihi veriſimile erat, contra eam illos cavillis tantopere,aſtuque pollere,ut nullo pacto pelli ſundique poſſent. At vix prima ingreſſus ſpatia reſtiti, obſtupuique, mecumque ipse vehementer admiratus ſum, tantum Philosophis cum populo ea in re convenire. Nam, quum multa apud illos offendiſſem praeclare, ſapienter, ac divine dicta de adverſa Fortuna fortiter toleranda, de tuis,bonis contemnendis, deque moderando in ſecundis rebus animo: quoad te tamen, potentiamque tuam nihil eos a vulgo diſſentire deprehendi; immo in hoc longe etiam tranſcendere, quod ratione & authoritate vulgarem de te hominum opinionem munirent; quamvis aliquando id veluti aliud agentes facerent, & ſaepe mutato nomine,aliove tanti Imperii ſocio adjecto.Nec mirum hoc profecto:

fecto: nec omnino damnandi Philoſophi, quod de te perplexe ac per ambages plerunque ſint locuti. Nam & ſua magnopere intererat, qui tua tam acriter bona in morum inſtitutione inſectarentur, in caeteris Philoſophiae partibus te nec laudare nec magni facere, ne ſecum pugnare viderentur; & prudenter ſe ſe facturos arbitrati ſunt ſi in explicanda rerum Natura veritatem quidem retinuiſſent, tuum vero nomen, Fortuna, quod levius eſſet, ſolerti magis quam neceſſario conſilio perſaepe tollerent, aliudque ſupponerent.

Cui rei efficiendae veterrimorum Philoſophorum de te opinio mirifice velificabatur. Nam, quum hinc apud omnium Scriptorum vetuſtiſſimos Homerum (1), qui te Oceano parente natam diceret, & Orpheum (2) qui ſanguine prognatam affirmaret, *Numenque* eſſe prorsus *inexpugnabile*, *humanamque vitam regere*; tui mentionem valde honorificam invenirent; hinc autem ſcirent te non modo unam ex Parcis habitam eſſe (3), ſed longe quoque ſororibus praecellentem potentia; *Parcaſque* & *Fatum*, unum idemque prorsus eſſe noſſent (4), & *Neceſſitatem* vobis etiam matrem (5) attribui; alius Philoſophorum hoc, alius illud ex tuis nominibus arripuere, ut majorem ſcilicet authoritatem ex nominum involucro cauſis rerum, quas ipſi proferrent, adſtruerent: uno tantum e tuis nominibus, quo te vulgo notam eſſe videbant, quaſi poſt ſiparium abſcondito, raroque & caute in medium producto. Reliqui vero homines, qui veteratoriam hanc calliditatem ignorarent, libere his nominibus, atque

que

(1) *Homer. in Hymno in Cererem.*
(2) *Orpheus in Hymno in Fortunam.*
(3) *Pauſanias in Achaicis.*
(4) *Vid. Natal. Comit. Mythol. lib. 4. cap. 4.*
(5) *Plat. de Republ. lib. 12.*

Digitized by Google

que ea paſſim alternantes, uſi ſunt: quum idem prorsus haec omnia eſſe exiſtimarent: videasque iccirco in scriptis, familiaribusque hominum sermonibus *fortunam* vulgo *infortuniumque* dici; *fortunatum infortunatumque* in unaquaque re, quae prospere, aut secus accidat: quarum equidem alias Fato, alias Parcarum decretis, alias Neceſſitate, quasdam Fortuna, casuque eveniſſe, ſi cum Philosophis loqui vellent, dicere deberent. Veritas etenim hominum inventis & fictionibus longe potior & antiquior eſt.

Vixi & quem dederat curſum Fortuna peregi

dixit doctiſſimus Poeta; nec *Fatum*, aut *Neceſſitatem* in vitae cursu dirigendo advocavit, aut *Parcam*, sed te unam: nulla utique circuitione usus, nec philosophica cavillatione.

Visne vero, o Fortuna, quandoquidem ocioſa es, paulisper mecum in praecipuas clariorum Philosophorum scholas divertere, eorumque de te sententias comminus introspicere? Lentum sane negocium: at patere, quaeſo, me tuam causam agentem nil prorsus omittere, quo firmari veritas, longeque utiliſſimum dogma doceri homines poſſint. Nec diu hac in parte operis morari in animo eſt; nam & properare te, ut tuus eſt mos, intelligo; egoque ipse defungi quamprimum hoc neceſſario mihi officio cupio: raptim itaque percurremus, nil quidquam ultra neceſſariam moram ceſsaturi.

Profecto ſi vetuſtiſſimorum philosophorum de rerum natura, civilibusque ac moralibus rebus monumenta aliqua extarent, nonnulla hercle a docta illa ſimplicique antiquitate, veritatisque amantiſſima haberemus, quibus potentia tua firmaretur. Modo vero, quum reliquiae ac rudera quaedam inde superſint, satis fuerit ſi aliquâ conjecturâ aſsequi poſſimus, tuum felicia illa tempora Numen, tuamque poteſtatem agnoviſse & coluiſse.

Quod satis efficere vel una poſset Mileſii Thaletis

Ne-

Neceſſitas, quam ille rerum omnium fortiſſimam nuncupavit (1). Hic namque etſi Genitricis appellationem Philoſophorum primus pro tua mortalibus obtruſerit: ſatis tamen vel hoc uno nomine teſtatus eſt, quid eſses, & quam late viribus & imperio pollere.

Eandem vero rem planius explicatam a clariſſimo Athenienſium Legumlatore Solone, ex eodem Thaletis collegio, invenimus. Is etenim, quantum vix unquam alius, ingenti varioque rerum humanarum ſpectaculo intentus, omnia miſceri undique & confundi dicebat; adeoque *nihil noſtræ poteſtatis eſſe*, ut ne privatorum quidem noſtrorum operum exitum regere, aut noſſe poſſemus, nec eò incoepta tuto perducere, quo animo deſtinaſſemus (2). Addebatque vir magnus, ne quid ambigui in ſuperioribus lateret, alios verſiculos, qui te nominatim deſignarent:

Et temere aggreſſis DIVINO MUNERE FELIX
EXITUS *abſolvit*, NON BONA CONSILIA. (3)

Ut certe nil apertius dici potuerit, quo te regere omnia, non mentem conſiliumque hominum definiretur. Tanti hercle Philoſophi, tamque rerum civilium ſcientis authoritati quis quaeſo non acquieſcat? Quum hic non meditatione tantum, & rationis vi, ſed idem longe unus omnium experientia caeteros Philoſophos anteceſſerit.

At non modici laboris, nimii immo faſtidii fuerit, ſingulorum ejus aetatis Philoſophorum opiniones veſtigare, & proferre: praeſertim quum hac opera non indigeamus, quod & Thaletis, & Solonis, & quinque reliquorum, quos Sapientes Graecia praecipuos habuit, & admirata eſt, veluti una in tabula de te ſententiam poſſimus

(1) *Diog. Laert. in ejus vita.*
(2) *Stobeus tit. 112. pag. m. 464.*
(3) *Stob. 16.*

mus non perplexe ac per ambages aſſequi, ſed aperte prorſus & evidenter inſpicere. Nam quum ex eorum effatis veluti Summa quaedam interioris ſapientiae conflata ſit, patet inde, de Deo illos, magniſque aliis de rebus ſemel praecipere ſatis ſuperque habuiſſe; de te vero quid ſentirent uſque inculcaſſe, iterumque & tertium praecepiſſe (1): ſane ut *nihil* in universa Natura cultu & amore votiſque hominum *Fortuna dignius* viſum iis fuiſſe manifeſtum ſit.

Nec ab iis poſteriorum Philoſophorum ſententiae diſcreparunt. Pythagoras quidem, divinus plane vir, arcanaeque omnis doctrinae princeps, poſt infinitam diuturnamque veritatis inquiſitionem, noſtri hujus Orbis, humanarumque rerum quatuor praecipuas cauſas conſtituit: *Jovem* videlicet, *Fatum*, *humanum conſilium*, & *Fortunam* (2) Plura equidem quam neceſſe fuiſſet vocabula; ſed talia, ut facile quivis intelligat, duo priora ab eo pro *Natura* fuiſſe uſurpata; ut eo pacto ad te omnis recidat rerum poteſtas; perpenſis jam paullo ante, ac definitis hominum & Naturae viribus. Nec alia ejus sententiae probabilis interpretatio poſſet afferri: nam ſi *Jovi* & *Fato* imperium ille ſerio addixiſſet, ecquis ſupereſſet *Fortunae* locus, ecquid relictum fuiſſet *in humano conſilio* momenti?

Secutus eſt hunc, tempore quidem non diſciplina, magnus ille Socrates, omnium poſt se Philoſophorum parens & praeceptor: qui inter perpetuum illum ſuum de omnibus dubitandi morem, nihilque unquam definiendi, haud veritus eſt, quum de te ageretur, a conſtanti consuetudine paulisper recedere, & unius brevis quidem

(1) *Fortunam cole -- Bonam Fortunam opta -- Fortunam ama -- Inter* VII. *ſapientum praecepta recenſet Stobeus ſect.* 3.

(2) *Jamblic. in vit. Pythag.*

quidem, sed sapientiſſimae sententiae ambitu rem totam complecti. Ea etenim tantum ex omnibus noſtris operibus *extra poteſtatem tuam*, o Fortuna, eſſe auditores suos incomparabilis vir docebat, *quae honeſte faceremus*, caetera autem omnia (quod ſequitur) tuo imperio permittebat (1).

Quam Praeceptoris ſui sententiam planius expoſuit divinus Plato: & Pythagorae insuper, cui plus pene quam Socrati ſtuduit, ſapientiam aſperſit. Hic nanque, humanarum rerum viciſſitudines casusque varios conſiderans, omni porro ſepoſita haeſitatione, ex animo exclamavit, *Omnia humana Fortunis ferri*: atque hoc & in ferendis legibus (quod nemo quidem ſuſpicaretur) & in navigatione, medicina, militarique imperio, civilibusque demum rebus omnibus aperte conſpici affirmavit. (2) Quae deinde veluti obumbrans, *Deum* quidem, *& Fortunam*, *Opportunitatemque* ſimul cum *Deo* aſſeruit, *cuncta* humana gubernare (3). Altiuſque intimae philosophiae arcana reserans, *Fortunam*, & *Occaſionem Divinae Providentiae* connexas *Fatum* eſſe: quod ex humano dilectu *Fortunam* aſſumserit, ex Divino vero judicio afferat *Occaſionem* (4). Quibus recte perpenſis, facillimum ſit animadvertere, ingentium nominum majeſtatem veritati praetendiſſe illum: ne cuncta ſimplici (quod primo fecerat), nimiumque aperta oratione tibi tribueret: ſed nihilominus per perplexam illam repugnantium verborum (nam quid quaeſo repugnantius quam Deus & Fortuna? rurſusque Fortuna & Fatum?

(1) *Xenophon de dict. & fact. Socrat. lib.* 3.
(2) *Plat. de legib. lib.* 4.
(3) *Plat. ibid.*
(4) *Plat. ibid. Vid. Hieroclem de Providentia, Fato &c.*

Digitized by Google

tum?) ſocietatem, omnia in una Fortuna repoſita eſſe ſatis indicaret. Atque ut ejus ſententiam aliunde etiam planius aſſequeremur, haec eadem diverso prorsus ornatu idem Plato alibi produxit, Deumque, Providentiamque & Fatum omnino de medio ſuſtulit; te vero unam dextere admodum & callide retinuit. Vel etenim inferius majeſtate tua ratus, teipsam minutae peculiarique rerum humanarum adminiſtrationi immisceri: vel ut, quum alia ſuſtuliſſet, ne tibi pepercifſe ſoli videretur, humana omnia quaeque ſub Luna eſſent *Genios*, medioxumas quasdam Poteſtates (quod etiam e Pythagoreorum erat doctrina: quibus adeo omnia tuorum horunce ſatellitum plena videbantur, ut mirarentur, ſi quis Daemonem nunquam se vidiſſe affirmaret) regere, & adminiſtrare arbitratus eſt (1): tuos ſcilicet ſamulos & pediſſequos: quorum quidem opera & miniſterio tu in nos resque noſtras ſummum exerceres imperium. Nec callidius mehercule potuiſſet, ſervos & ſamulitium tuum oſtentans, Te Dominam indicare.

Academici itaque effata tanti Magiſtri venerabundi complexi sunt: eaque ſingulari quodam ordine, & mirifica ſane sagacitate digeſſerunt. Nam Rationem perfectam & ſempiternam, quam *animam Mundi* dixerunt, unam quippe eandemque vim, quum coeleſtia regeret, humanaque ſapienter procuraret, appellarunt *Deum*: quum vero eam uti impermutabilem aeternamque continuationem ſempiterni ordinis conſiderarent, *Neceſſitatem* vocarunt, eodem ac Thales uſi vocabulo: ac demum eam *Fortunam* dixerunt, quando improviſa ac prorsus inopina nobis efficeret (2). Cui (nempe tibi) nullus unquam

---

(1) *Vide Alcinoum in Platonis doctrina cap.* 25.

(2) *Cic. Academ. quaeſt. lib.* 1. *ſecundae edition.*

quam locus inter primi ſapientiam, secundaeque ineluctabilem vim eſſe potuiſſet, niſi tria haec pro uno eodemque illi habuiſſent: veluti ſi quis, eundem Regem, quum exercitui praeeſt, *Ducem*: quum leges promulgat *Legislatorem* dicat: quum montes & ſaltus retibus, & jaculo peragrat, *Venatorem*. Et ne cuiquam clariſſimae hujus ſectae ſententia ambigua adhuc forte videatur, addam, omnes poſteriorum temporum Platonicos, eam ita conſtanter interpretatos fuiſſe, ut te humana prorsus omnia dixerint gubernare (1).

Fortuna omnipotens & ineluctabile Fatum, (2) dixit Platonicus Poeta, pene eodem usus ſermone, quo proſa oratione Philoſophi.

At Socraticae sapientiae arcana (licet id malevolenti & invito ſimilis fecerit) nemo, meo quidem judicio, apertius poſteritati reſeravit, quam Cebes ille Socrati cariſſimus, qui Praeceptori ſuo cum paucis morienti adfuit, poſtremaque etiam ejus verba (3) audivit. Nec nobis opus eſt conjectura rem aggredi; quum omnium manibus teratur praeclara ac ſane divina ejus *Tabula*; qua profecto non quid tantum tibi in vita hominum ſit tribuendum, ſed officiorum pene omnium, interiorumque diſciplinarum ſemina continentur.

Ab hoc deinde veluti fonte, praeter Academiam, duo ingentia flumina profluxerunt, Stoici nimirum & Peripatetici: quibus quorundam ob vocabulorum inſolentiam nimiamq; ſubtilitatem verbo tenus secum pugnantibus, revera

(1) *Plotin. lib. 1. oper. in IX. part. diſtribut. Max. Tyr. in diſſertat. an data divinatione, aliquid ſit in noſtra poteſtate. Apulejus de Dgmat. Plat. &c.*

(2) *Virg. Aeneid. 8. v. 334.*

(3) *Plato in Phaedon.*

ra optime inter se, & cum Platone, & cum communi magiſtro Socrate conveniebat. Quod quum in reliquis philoſophiae partibus, praecipueque quod ad bonorum malorumque fines attinet, maximus idem Romanorum Philoſophus, & Orator egregie probaverit: tentabimus & nos idem & in iis, quae te reſpiciunt, oſtendere.

Nam quum Zeno, quae a Socratis ſchola hauserat, retinere quidem vellet, ſed novis magnificisque verbis adumbrare; *Neceſſitatem* Platonis *Fatum* vocavit: *Deo* autem vetulam illam *πρόνειαν*, quaſi dixeris *Providentiam*, ſubſtituit: te denique, quod tertium vocabulum erat, nominatim retinuit, *Fortunamque* proprio nomine appellavit. Itaque etſi Stoici vim quandam eſſe ineluctabilem inexplicabilemque, ſive compactam certamque cauſarum ſeriem, qua cuncta regerentur, affirmarent; eadem tamen tractando explicandoque, quantumvis perplexe alioquin loquerentur, aperte tamen profitebantur, ex iis quae evenirent, alia *Neceſſitate* fieri: alia *Fato*: alia *Fortuna*: nonnulla *Caſu* (1). Ut pateat, eos verborum ambagibus, ſubtilitatumque flexibus a Platonis & Academiae ſententia diſcedere conantes, aſſequi nequiviſſe; atque in eandem opinionem vel invitos recidiſſe. Ariſtoteles vero easdem partes mutata tantum perſona egit: licet in omnibus impenſius se se magiſtrum oſtendere, quam diſcipulum ſtuderet. Itaque univerſitatem quidem rerum, coeleſtiaque maxime Deo & Providentiae adminiſtranda delegavit: ſublunaria autem omnia extra Providentiae poteſtatem sepoſuit (cujus ſententiae cauſa immerito ſane unus omnium a recentioribus Philoſophis vexatus eſt: quum eam non ipſius, ſed Pythagorae, Platonisque eſſe, ac totius Academiae noſſe debuiſ-
ſent

(1) *Plutarch. de Placit. Philoſoph. lib. 1. num. 27. 29. &c.*

Digitized by Google

ſent) tibique proprium, ac perpetuum in hoc noſtro Terrarum Orbe imperium conſtituit (1). Quo facto nil se se a Stoicis discrepare oſtendit; duasque ex *aeternae* illius Academicorum *Rationis* appellationes retinuit, *Deum* nempe & *Fortunam*: tertium vero *Neceſſitatis* vocabulum ideo reticuit, quod, ejus verbi vi retenta, ſupervacua uſurpatio viſa eſt: duobus nimirum Regibus, non tanquam in Laconum Republica, ſed cum summa atque invicta poteſtate conſtitutis; quorum imperium omnia subirent, nec ullo modo declinare poſſent. Quam sententiam deinde in moralibus ita amplexatus eſt, ut ne *Virtutem quidem ſine tuis bonis bene ſe habere*, diſerte docuerit; vitaque ipſe ſua, copioſa illa equidem & opulenta, conſtantiſſime comprobarit.

Unde poſtmodum inter ejus discipulos non levis dubitatio exorta eſt, poſſet nempe, nec ne, beatam vitam praeſtare sapientia: anne eam tu vel conſtituere, vel certe confirmare bonorum affluentia poſſes, atque eandem adverſis eripere ac labefactare. Porro etſi quae haec affirmaret sententia, debilitare, ipsosque adeo virtutis nervos incidere videbatur; eam plurimi nihilominus secuti ſunt Peripatetici: cum primisque Theophraſtus, qui in libro *de Beata vita* ita multum tibi tribuit, ut nullo pacto in ſapientis poteſtate poneret, eſſe beatum. Quinetiam in suo *Calliſthene* impenſe laudavit probavitque (2) sententiam, quae hoc verſiculo continetur.

Vitam regit Fortuna, non ſapientia.

Quamobrem pene omnes in se Philosophos concitavit, qui eum acerrime prosciderunt; quod nihil unquam

---

(1) *Plutarch. de Placit. Philoſ. lib. 2. cap. 3. Diog. Laert. in ejus vita.*

(2) *Cic. Tuſculan. quaeſt. 5.*

quam ab ullo Philoſopho dictum fuiſſet fractius atque languidius . Scilicet quaſi non quid vere dicatur quaerere debeant Philoſophi , ſed quid magnifice & fortiter . Atque hoc in Peripatetico minus omnino mirandum fuerat , cui quum tot in corpore , atque extra corpus bona eſſent, poſita in poteſtate Fortunae ; ſane aequum erat , plus eum tantorum bonorum Dominae , unde ei beatitudo poſſet contingere , tribuere ; quam ſapientiae , a qua nil ultra inflata & phalerata ſperaret verba .

Atque hac quidem verborum magnificentia inanique sono capti , nonnulli etiam nunc Stoicos se se , ſi Diis placet , ferentes , magnosque quosdam & divinos viros , caeteros irrident, *Fatumque, cauſarumq; ſeriem ſempiternam* truculento maxime vultu modo quoque obtrudunt : quid inde absurdi sequatur , & quam ea pugnantia ſint minime perspicientes . Nam , praeterquamquod nexu illo insolubili ac neceſſario odioſam quandam , & infeſtam generi humano , rebusque adeo omnibus legem ferunt , quae nec vitium ullum nec virtutem , nullumque juſtum supplicium aut meritum praemium , amplius in vita eſſe ſineret ; quem tandem tantae moli Rectorem conſtituunt ? Quem tot tamque incognitas variasque rerum causas ac momenta dispensare , expedire , ciere , ordinare arbitrantur ? *Fatum* nempe : aeque omnino ac ſi *ſaxum aut truncum* dixeris ; cui videlicet nulla nec vita, nec ingenium , nec ratio , nullaque utique aut lux , aut cognitio poſſit unquam obtingere . Quae ut devitent iſti, ſatis quidem dicaces & venuſti , hoc se se effugio , ſententiamque suam suffulciunt . Nullum nobis videlicet Fatum eſſe conſtitutum ajunt , antequam aliquid aggrediamur : sed poſtquam conſilium ceperimus , semitamque delegerimus , tunc *Fatum* illico se se proferre , noſque ad illa neceſſario adigere , quae electionem illam conſequuntur . Quo poſito illud ſequitur , ut , quum quaecunque accidunt & fiunt alios exitus habere poſſint ,

non

Digitized by Google

non illum neceſſario quem habuerunt ; quandoquidem & mergi navis (ut hoc potiſſimum Pythagorico utamur exemplo) & proſpere enavigare aeque poſſit , prout in hanc , vel in illam causarum seriem inciderit ; nam unde , obsecro doctiſſimos viros , eſt, ut Lucius navigaturus in adversam inſciens causarum seriem obſtinate ruat, ac naufragium neceſſario faciat ? Publio autem pariter ignoranti, conſcenſa navi, secundus ultro causarum nexus conſtanter offeratur , ita ut , usque adspirante vento, feliciter portum teneat ? Itaque eſto , ut id tantisper iſtis largiar , certus ſit , imperioſus ac invictus ejusmodi rerum ordo , nec vitari humana vi poſſit causarum insuperabilis impetus ac violentia : quid ei respondeant interrogationi , curve & quo pacto fieri dicant , ut ego quicquid agendum ſuscipio , quum in centum aut mille iſtarum serierum atque ordinum lineas impingi poſſim : indeque in quolibet temporis puncto undequaque declinare (ſiquidem *velle* saltem noſtrum eſt , nec id nobis quoque , quod nemo unquam fecerit , eripiant) primo in hanc potius lineam , quam in illam ferar , maloque aut bono inſcius imprudensque occurram nexui : deinde uſque ad exitum in illo obſtinate perseverem ? Quid , niſi absurdius aliquid, respondeant ? Hàc enim iſtorum sententiâ receptâ *arbitrium* omne *funditus eripiendum* hominibus eſt , quod quidem ſine rerum omnium perniciosa ac nefaria perturbatione tolli non poteſt ; Rectorque nobis atque Imperator Orbis univerſi dejiciendus eſt ac pellendus : in ejusque vicem , proque vero Domino nescio quae tenebrae, noxque inobservabilis inextricabilisque in cervices noſtras imponenda .

Illud vero non solum risu dignum eſt , sed reprehenſione etiam , quod iidem iſti Fati propugnatores , tibi rerum nescio sane quarum temerarium quoddam imperium demandant , *Caſumque* , & *Fortunam* , ubi ipſis

ipſis lubet, agnoſcunt (1). Quaſi, retentâ iſtorum ſententiâ, aliquid temere & fortuito poſſit unquam accidere, quum tot tamque validis catenis res omnes, hominumque voluntates teneantur ac circumdentur. Aut enim nexa omnia ſunt, ut iſti volunt, & nil prorſus fortuitum & temerarium eſſe debet; aut ſi quid extra nexum desultare poteſt, & quid causae erit, cur non & pleraque aut omnia libero,vagoque cursu ire poſſe dicere queamus? Haec eorum inconſtantia, vel repugnantia potius magis equidem coarguenda fuerat, quam Theophraſti quantumvis effoeminata, & mollis ſententia: quae ſibi certe conſtabat, & a caeteris Peripateticorum sententiis defluebat.

Adſunt hîc alii, qui tanquam Arbitri honorarii quaeſtionem ſcindunt. Hi sane, quamplurima rerum cauſarum ferri neceſſitate conſtituunt, eaque tantummodo forte fortuna vere dici evenire ajunt, quae cauſas conſequantur alterius rei effectrices: tunc quippe quum aliquid accidit praeter ſpem & mentem illius qui egit (2); ut in theſauro a fodiente agrum invento, ut in ſagitta alio, ac jaculator vellet, delata. Atque hi quidem nec quaeſtionem tollunt, nec aliquid novi producunt. Nam & prope omnia humana opera inter fortuita hæc ratio conſtituit;quum paſſim a scopo declinent actiones noſtrae: &,eorum opinione recepta,nuſquam apparet causa,cur ea quae in utranque partem evenire poterant, in alterutram ceciderint; & cur e duobus pomis, vel e duobus denariis propoſitis perque omnia paribus, alterum sumamus, alterum prorsus fortuita voluntatis inclinatione repudiemus:

(1) *Plutarch. de Placit. Phil. lib. 1. n. 27. 29. &c.*
(2) *Alexand. Aphrodiſ. in lib. ad Impp.*

Digitized by Google

mus: ut Chryſippus ipse Stoicorum acutiſſimus ajebat, (1) hujus interrogationis pondus ſatis agnoſcens.

Porro ne cum iſtis, qui cum ratione quammaxime insaniunt, & nos, ſi immoremur diutius, ad inſaniendum adigamur, tribus verbis, ut ajunt, rem expediemus. Singularis cujusq;rei causa,certa quidem ipſa(quantum ipſis lubitum eſt) & indeclinabilis fuerit: quod ad nos vero attinet, profectu incerta eadem omnino eſt, & temeraria; omnium autem ad unamquamque rem efficiendam *neceſſariarum cauſarum concurſus*, eſt plane *fortuitus*.

Sed ab iſtis tandem effugiamus, qui taedio libertatis nos in taeterrimam ignoti heri ſervitutem redegerunt. Ad sapientiores, libertatisque amantiores Philosophos aliquando accedamus. Primus omnium prodeat Epicurus; nomen tibi, Fortuna, acceptiſſimum; ſaneque veterum, novorumque omnium Philosophorum praecellentiſſimus. Is enimvero te, libero plane auſu, rerum omnium Reginam renuntiare non dubitavit: neque aut nihil agentem, ut caeteros Deos, aut temere: ſed egregie ac ſapienter cuncta ordinantem induxit: nec partem tibi dedit aliquam cui praeeſſes, aut ſocios in Imperio adjunxit, ſed omnia late attribuit, ſolamque agnovit omnia efficientem. Attamen non licuit homini, qui cum omnibus Diis bellum suscepiſſet, iisque non omnem modo ademiſſet poteſtatem, ſed mentem quoque evelliſſet & ſensum, ut nec bene capi eos pro meritis dixerit, nec ira tangi, te palam in ſcenam producere, tuoque te nomine appellare: ne parum conſtans, ſibique ipſi tanta in re adversari videretur. Itaque ad aſtum converſus,

 in

(1) *Chryſipp. de officio Judicis apud Plutarch. de Stoicis ſibimet contradicentib.*

Digitized by Google

in maxima illa variaque atomorum ſuarum motione, ac deinde tum in hujus quem incolimus Mundi, tum in infinita aliorum Mundorum quotidiana fabricatione, nullum hercle alium architectum, aut artificem advocavit quam *Caſum*: ut, immutato vocabulo, ſibi quodammodo conſtaret; remque ſimul molliret, ac vitaret invidiam.

Nec tibi tantum in Phyſicis tribuiſſe contentus, in moralibus homines ipſos tibi ſubjecit: ipſumque immo Sapientem longe arctius quam Ariſtoteles antea fecerat, tibi colligatum, conſtrictumque tradidit, ut ſine te beatus eſſe non poſſet. Nec enim aliud voluiſſe illum patet, quum ſummum bonum voluptatem eſſe dixerit, deque corporis voluptate ſe loqui diſertis verbis frequenter in ſuis libris faſſus ſit (1). Voluptas equidem, quae beatos ſola poteſt efficere, quum ſecundum Epicurum non ab animo, nec a virtute oriatur, a rebus corporeis & externis pendeat neceſſe eſt; quibus ea quae ad ſenſus pertinent, & quae delectationem omnem reſpiciunt, continentur. Rerum vero corporearum externarumque omnium, tuorum etiam inimicorum conſenſu, tu Domina es & Regina: itaque, quum ſine te omni voluptate carere debeat Epicureus, ſequitur, eum ſine ope tua beatum eſſe non poſſe. Immo nec ſapientem; nam ſi *nemo beatus niſi ſapiens*, nemini autem beatitas poſſit contingere niſi eam tu largiaris, efficitur, ſapientiam quoque sub tua ſigna militare, Sapientumque Epicureorum omnium ſortem a te pendere, quibus & beatitudinem una & ſapientiam nutu potes adimere, momentoque temporis efficere inſipientes ſimul atque infelices. Quippe, o Fortuna, quod tecum familiariter dictum velim, ea eſt con-

(1) *Cic. de finib. lib. 2. & alibi.*

Digitized by Google

conditio veritatis, ut non ſolum pauci eam videant, ſed eam pauciores etiam proloqui audeant. Epicurus quidem, qui abſurdam de Diis ſententiam ſuam omnino reticere debuiſſet, nihilominus vulgavit; idem deinde, quum quae de te ſapienter ſentiret vulgare debuiſſet, ſedulo tamen celare conatus eſt. Atque ad idem se se exemplum geſſit doctiſſimus Romanorum Poeta, qui ejus ſectam amplexus, ejusque imitandi ſtudio incenſus, illius aurea dicta (ut ipse quidem ait) depaſcens Praeceptoris doctrinam elegantiſſimis verſibus eſt proſecutus. Is namque, dejectis ac deturbatis a noſtrarum rerum cura & imperio omnibus Diis, quum te unam, prout Magiſtri ferebant praecepta, retinere cogeretur, & revera retinuiſſet, nec appellare tamen auderet, rem ſcitiſſime per circuitionem expedivit. Et in quodam poematis angulo (1) quaſi aliud agens te abdidit; ita tamen ut qui ſerio inveſtigaret, alicubi invenire omnium Dominam, tantarumque rerum auctorem poſſet. Iccirco magnorum Ducum, more ſuo, irridens pietatem, qui medio in mari in maximo claſſis exercitusque diſcrimine, ad Deos manus tendunt, pacatumque mare votis expetunt ſuis: *nequicquam* eos id agere dixit; interque ipſas preces & vota naufragium nihilominus facere; te nimirum ita imperante, quae gaudes ſumma quaeque proſternere.

Usque adeo res humanas VIS ABDITA QUAEDAM
Obterit, & pulchros faſces, ſaevasque secures
Proculcare, & ludibrio ſibi habere videtur.

Potuitne is, Fortuna, qui Deos ſuſtulerat, tuum numen ornatioribus proferre verbis; quidve de te ipse ac praeceptor ſuus ſentirent, planius enunciare?

At iſtis liberiore expeditioreque oratione uſus eſt

 Ari-

(1) *Lucret. lib. v. verſ.* 1225.

Digitized by Google

Ariſtippus: nec timide aut diſſimulanter, quae ad te ſpectarent, tulit, ſed palam quanti te faceret viriliter patefecit, Dionyſio, Syracuſis, ipſoque immo Platone spectantibus. Porro amantiſſimus hic Socratis diſcipulus ac nobiliſſimae conditor ſectae ita vitam inſtituit, diſcipuliſque ſuis ita inſtituendam mandavit, ut ea prorsus ſine te produci, atque haberi non poſſet. Pecuniam, praedia, Principis favorem, cætera de genere hoc ad beate vivendum neceſſaria putabat: bonorumque fine in corporis voluptate poſito,(1) commodis ita affluebat, tantoque ea ſumtu parabat, ut niſi ei de Tyranni theſauris argentum fuiſſet ſuppeditatum, quaſi unus sane e nepotibus iſtis, paucos intra menſes neceſſario decoxiſſet.

Praetervecti tandem tot opinionum ſcopulos, syrtibusque philosophicae cavillationis vitatis, ſupereſt modo ut venuſtulos quosdam redarguamus, qui,quum te tollere non audeant, uti caecam, insanam, deliramque traducunt, notamque tibi ſtultitiae ac temeritatis audacter inurunt: dum te fingunt temerario prorsus impetu ferri: largirique & auferre, favere & adverſari nulla quidem ratione, ſed praepoſtere admodum & proterve. Qui dum ſapientes ſibi eſſe videntur, aliisque videri volunt, ſtultos audacesque se oſtendunt. Sane ſi quis in medio forte natus Oceano, qui nunquam praeter Mare & Coelum, navemque in qua natus ſit atque educatus, quicquam viderit, repente in mediterraneam aliquam regionem deportetur, ibique agricolam conſpiciat rei ruſticae navantem operam, ramos falce amputantem, atque ex iis illos in ſurculorum usum ſerentem, hos vero projicientem: partem aliam agelli ſtercorantem, aliam oc-

(1) *Vid. Diog. Laert. in ejus vita.*

occantem aut ſarrientem, aliam novantem, aut iterantem: poma ſedulo legere aut decutere, illaque diligenter ſervare, haec ſuibus projicere; nonne is thalaſſicus homo, ſi ſanus erit, mirabitur quidem, ſed, se ea omnia quamobrem fiant ignorare dicet? Si vero arrogans erit, & se credet sapere, delirum illum hominem eſſe protinus affirmabit, cunctaque miſcere in illo agro & turbare ſine cauſa & ratione? Eodem prorsum pacto nugaces iſti Philosophi, undenam in hunc mundum delati ſint neſcientes, cujus ignorant originem, naturam, affectiones; illico ut paullulum circumspexerunt, audacter de rebus ignotis pronunciant: atque haec ordine, illa temere fieri: horum quidem Naturam, illorum Fatum aut Fortunam Caſumve auctorem eſſe perfricta fronte confirmant; nil aeque verentes, quam ne ea, quae neſciunt, nescire videantur. Itaque ut quidquam accidit, exclamant ſtatim: o factum bene! o factum male! o caecam Fortunam! viden quibus ſaveat, quoſque injuſta praetereat! O Fatum, o Natura, o legum ſempiternarum ineluctabilis neceſſitas! Atque haec inaniter deblaterantes, ceu aliquid dicant, magnam ſui admirationem faciunt, ſapientesque vocitantur.

Sane fuerat prudentius, te numenque tuum venerari, & quicquid feceras, optima id factum ratione credere. Tu enim Orbis terrarum veluti quaedam materfamilias, aud secus ac villicus ille, quid ſecandum, quid urendum, quid servandum aut abjiciendum ſit noſti, hominesque (quorum animos acutiſſime pervides) suis locis veluti ſuppellectilem quandam disponere, modo altius locando, modo inferius: atque id pro re, & meritis, quoties videbitur, repetitis vicibus alternando. Haec ita fieri intelligens ſapientiſſimus ille Pythagoras, (quem ſaepius jam nomino propter ejus praeſtantem ſapientiam) longe ab iſtorum levitate abhorrebat: teque prolixe venerabatur, docebatque homines, quaecunque

tu

tu in eos immitteres, quemque tacitum ferre debere nec reclamare; unusque omnium Philoſophorum te Divinam appellavit:

Quos hominum generi Fors *dat* Divina *dolores*,
Partem ferre datam, nec ſuccenſere labora. (1)

Quâ quidem ſententiâ optime se acutiſſimus senex cognoſcere indicavit, omnia a te jure fieri, *meritumque noſtrum*, *tuumque de eo judicium* praemia & poenas parere: quorum diſpenſatio non modo temeritatis non eſſet, ut vulgo effutiunt maleſeriati quidam Philoſophi, ſed ſummae prorsus ſapientiae: ideoque te *Fortem Divinam*, novo vocabulo nuncupavit. Connexio etenim, & humanae voluntatis cum ſuprema divina lege concurſus, Pythagorae Fortuna dicebatur (2).

Nec in ſuperbum hoc tantum & multivolum animal, quem hominem vocamus, imperium habes, ſed in bruta etiam animantia, ignobiliorem quippe atque obſcuriorem provinciam, idem regnum exerces; noſque, quos reliquâ naturâ verſas, miniſtros invicem tibi, emiſſarioſque delegiſti ad brutorum fata exequenda. Pudet me hoc in loco verſari: nam dedecere genus humanum videtur, conſervos homines beſtiarum eſſe; rationiſque compotes, ingenioque pollentes tam vili defungi miniſterio. Caeterum equos, canes, feles, aves (quantum quidem ejus rei eſt eorum capax natura) eodem propemodum pacto ac nos agis, feliceſque atque infelices efficis pro libitu arbitrioque tuo. Et ſi bruta vocem emittere poſſent, credo paſſim & eorum querelas exaudituros eſſe nos, ut hominum quotidie audimus.

Nam tu quam libuit caniculam beatae alicui matronae, aut

(1) *Pythagor. in Aureo Carm.*
(2) *Hierocl. in eam partem aurei Carm.*

Digitized by Google

aut Regiae virgini commendas, quae illam in deliciis habeat, oſſium medullas, & dulciculas eſcas ſua porrigat manu, in ſinu eam usque ferat, palpet, exoſculetur, cubitum noctu ſecum ducat: ſuum mel, ſuam vitam, ſuum corculum appellet. Ut ſaepe mirari accidat, quonam pacto imperioſam & importunam feminam, viro, filiis, ſervulis, vicinis, amicis ſaevam atque indomabilem, beſtiolae ita placatam & humanam praeſtes, ut omnia ab illa hilariter ferat, maculari, immingi, conſpurcari, & morderi etiam aliquando. Contra vero quamplurimas canes videas per trivia & angiportus algore & fame perire, pueris ludibrio eſſe, ſaxis impeti, terreri ac propelli: vitamque latronum more agere, raptoque ingenti cum periculo vivere.

Equorum eadem fere eſt conditio. Nam ex iis aliquos Regibus principibuſque viris objicis, qui iis educandis docendisque nobiliſſimos homines praeficiant, paſtu lectiſſimo nutriant, ſtabuloque multis mundis cubiculis mundiore ſervent, in ocio fere ſemper, vel modico & valde moderato labore. Quinetiam ex illis aliquem aliquando prae caeteris diligis, ut Bucephalum, quem aeque ac Alexandrum nobilem effeciſti; & ſicut hunc amicorum adulatio Jovis filium renunciaverat, ita tu equum reddidiſti plus pene quam hominem. Alios autem equos, tametſi aeque rotundis clunibus, brevi capite, arduaque ſint cervice, rus ablegas, villicoque cuidam pauperculo, & avaro tradis, qui molere eos faciat, ligna & lapides vectare, plauſtrum trahere & arare: terendoque frumento, ruſticiſque aliis operibus ad laſſitudinem usque male paſtos adhibeat, ut macie & illuvie squallere eos videas, vixque ab ipſis aſinis differre.

Quid aves? Ex tot paſſerum millibus unum deligis, quem Lesbia plus prope Catullo, ſuiſque adeo oculis amet; quicum ludat, quem in ſinu teneat, cujusque acres morsus incitare gaudeat: reliquos vero venatorum,

acci-

accipitrum, ac puerorum inclementiae crudeliter objectas. Quid ego modo felium, quid pſittacorum, quid gallinarum varias narrem fortunas, aliarumque itidem beſtiarum? Quivis facile, quae dicturus eſſem, reputare ſecum poterit, ſi aliquanto curioſius quae brutis animantibus accidunt obſervet. Quae philoſophi conſpicientes, eorumque ignorantes rationem, tibi quidem palam ea aſſignare veriti ſunt, ſed *Caſui* delegarunt (1); nempe ut ſupra caeteros ſapere viderentur, miniſtroque tribuerent, quae ipſa efficiat Regina. Ut pateat, Fortuna, illos qui te maxime expellere, ac delere ſatagerent, efficere nihilominus id auſos non eſſe, atque aegre in nominum latebra delituiſſe, unde eos ratio, atque humani generis conſenſus aud raro depulerit.

Quid tergiverſamur obſecro? Quid veritatem occultamus? Profecto ſi alia omnia tuo ſurripere imperio velimus, nos vero ipſos, resque noſtras quo pacto ſubducemus? Vertamus nos quaqua lubet, Numen usque tuum occurret, tuaque ſemper potentia nobis usquequaque se se offeret. Innumerabilia cujuſcunque generis exempla, quancunque vitae partem inſpexerimus, videre eſt: diverſaeque fortunae in pari ſtatu causaque conditiones non in eadem ſolum Urbe, in eadem Aula, in eodem Foro conſpiciemus; ſed & in eadem navi, in eadem domo, in uno eodemque lectulo. Fratres, parentes, natos, conjuges, quum caetera omnia ſint pares, diſpares, diversaeque ſortis tu facis; & dum vir in altera lecti ſponda felicitate ſua se se effert, ac triumphat, uxor ſaepenumero in altera fortunas conqueritur suas, suisque illacrimatur calami-

(1) *Hierocl. ad aur. Carm. Pythag. & in ejus compend. apud Hug. Grot. de Fato Provid. &c. Chalcidius ad Timaeum Platonis. Alex. Aphrodiſienſ. in lib. ad Impp.*

ſamitatibus. Et ſi homines te non in magnis ſolum rebus, atrocibusque quaerere conſueviſſent, in minutis quoque & vulgaribus eventibus pariter invenirent; tuasque vires aeque admirarentur in Croeſo capto, ac in pauperculo illo Simone ob aes alienum vinčto, & in carcerem conjećto: in Cyri imperio, ac in tenui illius opificis hereditate. Semper etenim eadem es: tibique parvula aeque ac maxima pari uſque momento imperioque reguntur.

Illud vero tantummodo qui Philoſophorum ſapientiores habiti ſunt, mordicus tenuerunt, Virtutem videlicet te tuisque bonis non indigere, ſeque ipsa eſſe contentam: unde magnifica illa orta ſunt:

Nam ſapiens quidem pol ipſe fingit fortunam ſibi,
Eo ne multa quae ne volt eveniunt, niſi fictor malus eſt. (1)
Sui cuique mores fingunt Fortunam, (2)
Nullum numen habes ſi ſit prudentia etc. (3)
Fabrum eſſe ſuae quemque Fortunae. (4)

Horumque ſimilia, quae ſatis quidem ex philoſophica ſunt gravitate, nec adverſarium facile inveniant. At ſuaves quammaxime illi ſunt, qui quo ea referantur non intelligentes, compoſito ore ejuſmodi oracula veluti ex Pythii tripode reddunt, & ſuam ſibi quemque Fortunam effingere indiſcriminatim definiunt, plaudentibus iis, quibus alieno mos eſt ingenio ſapere. *Fortunam* porro *qualemcunque tolerare in noſtra* ſane *eſt poteſtate*: at quam ipſi velimus Fortunam nobis efficere poſſe, id

(1) *Plaut. in Trinum: act. 2. ſc. 2.*
(2) *Corn. Nep. in Vit. Attici.*
(3) *Juvenal. Sat. 10.*
(4) *Appius in Carminib. In oratione 1. de Rep. Ordinand. ad Caeſ.*

Digitized by Google

enimvero omnia Stoicorum ſuperat paradoxa. Num enim aliud praeclari iſti dicunt, quam illud videlicet, in uniuſcujusque poſitum eſſe poteſtate, ut ex Rege quis naſcatur, ut Imperator fiat, ut patricius ſit, ut dives, ut omnia ex ſententia eveniant? O acutos Philoſophos, o inauditam, & incredibilem ſapientiam!

Attamen ſi philoſophica illa enunciata preſſius inſpiciantur, ut ea ſine dubio vera eſſe, ita nil omnino tibi adverſari apparebit, nec quicquam potentiam tuam imminuere. Nam tu quidem Virtutem res ſuas agere ſinis: nec obſtas quin honeſte quilibet vivat, cupiditates frangat, bonus denique ſit, ac frugi. Icciroo qui hoc pacto fingere ſibi fortunam volet, nullo prohibente id faciet, atque a te ſecure se habebit: *Libera enim eſt virtus, nec ulli eſt obnoxia neceſſitati*. Inter te autem, & Virtutem ita videtur conveniſſe, ut tu quidem, quae bonos & probos efficere nequires, divites ac felices efficeres: Illa vero contra, cui hoc non liceret, honeſtatem, morumque ſanctimoniam iis qui ipſam ſequerentur tribueret; ita ut nec tu Virtuti, nec Virtutem tibi negocium poſſet faceſſere, ſi utraque vos veſtros intra fines contineretis. Cui tamen pacto alterum ex utriuſque voluntate additum ſuſpicari jure poſſumus, ut Tibi Virtutem comitari, ſi velles, datum eſſet: Illa autem amicis quoque tuis ſe ſe dare, ſi libuiſſet, non vetaretur.

Itaque generoſi iſti Philoſophi beati omnino rerumque omnium ſecuri vivere poſſunt; ita vero ſi pera & baculo contenti polentâ victitent, nec unquam in divitiarum, potentiae, voluptatum, caeterorumque commodorum incidant cupiditatem. Maximeque cavere debent, ne latum unguem a ſua porticu diſcedant, neve pedem educant e Virtutis templo: aut quae tibi ſerviunt, ea libera exiſtiment, quaeve alienae ſunt, illa ſuae putent eſſe poteſtatis. Quod ſi in hoc peccent, & lucelli, aut voluptatis, vel gloriolae illecebra capiantur,

tunc

tunc equidem clamitent quantumvis licet, Virtutemque vocent invocentque, in tuam continuo poteſtatem devenient, & iisdem ac caeteri homines fluctibus jactabuntur (1). Sapienti itaque accidet ut teſtudini ſolet aut Erinaceo, quae dum teſta ſpinisque continentur ſuis, tecta ac tuta ſunt ſatis, aliorumque impetum animalium facile contemnunt: ſed ſi exerere caput, horrentemque diſſolvere audeant orbem, tunc in maximo verſantur periculo, omniumque violentiae pateſcunt. Si haec ſecum reputent Philoſophi, velintque ſemper liberi eſſe ac felices, neminique ſervire, ſuis ſe praeſidiis ac munitionibus ſedulo contineant, nec quicquam extra eas aut cupiant, aut averſentur (2), atque ita te poterunt tuto aſpernari. Haec mediusfidius ſi ego (quanquam a philoſophica laude longe abſum) tempeſtive cognoviſſem, ſenem illum etiam in hoc imitatus eſſem, meque extra telorum tuorum jactum domi continuiſſem; reque mea familiari, etſi jam non ampla ut olim, non ita tamen modica & anguſta, contentus, paupertatem ferre didiciſſem, tuamque prorſus jurisdictionem vitaſſem. Nunc alius mihi rerum ordo obnatus eſt, poſtquam caput eduxi, meque tibi committere, honoris dulcedine captus, non dubitavi.

Quod vero reliquum eſt, tuae modo clementiae fuerit, o Dea omnium optima, nobis ex animo ignoſcere; qui & ſincere nos ipſos palam accuſaverimus, numiniſque tui majeſtatem atque amplitudinem a ſemidoctorum calumniis acerrime, quantum quidem in nobis fuit, vindicaverimus. Nec mehercule qua modo ratione venuſti ſe ſe iſti tueantur video, quibus perpetuum tecum ul-

(1) *Epictet. in Enchirid. cap* 3. 4. *&* *paſſim*.
(2) *Epictet. ib. cap.* 20.

Digitized by Google

tro gerere bellum mos eſt. Unde eos jam auxilia comparare, quos ſibi ſocios adjungere, quorum authoritate ſuarum opinionum monſtra defendere ſuſpicemur? Nulla equidem ratio afferri videtur poſſe, quae potentiae tuae fundamenta non dicam evertere, ſed quatere modo valeat, & infirmare. Omnium hominum, omniumque temporum perpetua, cunctiſque in rebus experientia tuum ſtabilit regnum: Mortalium de te opinio ita numini ſavet tuo, ut vix, & ne vix quidem invenire queas ſanae mentis aliquem, qui arbitrium, imperiumque tuum non agnoſcat. Quid de viris doctis dicamus? Poetas, Hiſtoricos, Oratores, Scriptoreſque alios te creberrime in libris ſuis invocare cernas, atque identidem allegare tanquam unam magnorum eventuum prope omnium cauſam. Superfuiſſent philoſophi, at hos modo vidimus, per omnia aetatum tempora, perque omnes ſectas, tametſi inter ſe circa caetera interdum diſcordes, de te idem prorſus ſingulari unanimitate ſentire: dominatumque tuum, latioribus paullo anguſtioribuſve finibus, quaſi in rebus omnibus nominatim deſignare. Jam tacebunt ergo, & garrire aliquando deſinent iſti: & de rebus ſuis tandem ſolliciti, Te vere hujus Orbis Imperatricem, ſi mihi quidem auſcultabunt, ut malum caveant, benevolam ſibi & amicam primo quoque tempore efficere diligenter, omnique ſtudio ſatagent; noſtro maxime permoti exemplo, cujus tu imprudentiam, ac temeritatem ſatis acri ſupplicio retudiſti.

Nollem enimvero (quod fortaſſe aud abſurdum videretur) ſuſpiceris, Regina, me avaritia aut ambitione incenſum, divitias aut honores a te modo, tamqua m hujus cantilenae mercedem, expetere. Non is mihi animus: ſed ſatis jam adverſus tales hoſtes firmatus. Itaque credas velim, mihi, praeterquamquod ſatis ſuperque praemii tuliſſe jam reor ſuſcepto veritatis patrocinio, fixum inſuper immotumque animo ſedere, VIR-

UT-

TUTEM QUACUNQUE IN OBSCURITATE POSITAM CAETERIS REBUS OMNIBUS LONGE ANTEFERENDAM ESSE. Nec nobis unquam excidet ſapientiſſimi Ulyſſis judicium; qui, quum a prima Parcarum Lacheſi cum aliis quampluribus animis evocatus eſſet ad alterum mortalis vitae curriculum explendum, dataque cunctis optione, ut poſtquam bene ſerioque tantam rem perpendiſſent, quam quaeque vellet maxime vivendi conditionem eligeret: & ex reliquis animis Tyrannidis aliae, aliae divitiarum, aliaeque aliam pro veteri errore & conſuetudine conditionem optaſſent; Ulyſſes ultimus ad eligendum accedens, qui Rex olim ſummaque apud Graecos gloria & authoritate floruiſſet, praeteritorum recordatione, Regnique & Potentiae moleſtias reputando, diu privati alicujus homunculi, maximeque a rebus gerendis alieni vitam quaeſivit, eamque aegre tandem obſcuro in loco jacentem, atque ab aliis omnibus neglectam & deſpicatam invenit, ſibique libentiſſime aſſumſit: eandem affirmans ſe ſe electurum fuiſſe ſortem, ſi, ut poſtrema, ſic prima ei optio obveniſſet (1). Ego itaque primo te etiam atque etiam opere maximo obſecro, reſecroque Fortuna, ne te mihi implacabilem inexpiabilemque praebeas, ſed ut veteris culpae meae memoriam omnem deleas prorſus & obliteres: deinde, ſi quis mihi jam apud te locus precibus etiam eſſe poteſt, per oculos tuos te, quos primus mortalium tibi reddidi, oro & quaeſo, ut me unde quondam adoleſcentem in poenam in pelagus rapuiſti, eo maturum modo juvenem in terram reducas, amiceque atque humaniter ſiſtas. Et, ſi vere inter nos reconciliata eſt gratia, me tantis fluctibus imparem, & jam, uti vides, in curſus principio oppido

(1) *Plato de Republic. lib. 10. in fin.*

do nauſeantem in aliquo recondito tutoque ſinu abde; ubi tranquille poſſim quod vitae ſupereſt agere, atque quaſi Erinaceus, *Orbe meo tutus*, obſcurus ignotuſque omnibus deliteſcam: mihique ipſi Boethianum illud inculcare identidem poſſim,

Nec ſperes aliquid, nec extimeſcas.

JA-

Digitized by Google

JANUARII PARRINI

J. C. NEAPOLITANI

CONVIVIUM RABULARUM

ET

DIALOGI FORENSES

DECEM.

Digitized by Google

JANUARII PARRINI J.C.
CONVIVIUM RABULARUM
AD CLARISSIMUM AMPLISSIMUMQUE VIRUM
MARCHIONEM
BERNARDUM
TANUCIUM
POTENTISSIMI REGIS NOSTRI
A Juſtitiae Clementiaeque Secretis.

NUlla hercle Civitas, CLARISSIME BERNARDE TANUCJ, *poſt florentiſſima illa Romanae Reip. tempora, ampliora Eloquentiae praemia propoſuit, quam haec noſtra: in qua non modo illuſtris ſemper ac facilis ad ſummas opes per forenſem operam aditus patuit, ſed ad maximum etiam dignitatis, civiliſque potentiae faſtigium. Unde factum eſt, ut rejectis prope caeteris artibus, ſcientiiſque, omnia ad leges, cauſſaſque dicendas noſtra juventus ſtudia tranſtulerit: nec acriore quis ingenio, his praeſertim duobus proximis ſeculis, extiterit adoleſcens, atque indole liberaliore, quin propere in forum a parentibus truderetur. Tanta itaque ex omnibus ordinibus multitudo huic ſeſe tradidit diſciplinae, ut & reliquarum ingenuarum ſimul omnium artium alumnos longe numero ſuperaret; & paullatim effectum ſit, ut qui aliud quam Jurisprudentiam profeſſi eſſent, ne ſatis quidem honeſtum in Civitate locum obtinere viderentur. Profecto ſi eorum numerum reputare animo velimus, qui ducentis ferme annis ſeſe foro mancipaverunt,*

runt, ſi maxima, & acutiſſima noſtrorum hominum ingenia, ſi propoſitos honores, ſi gloriam, ſi praemia, ſi dignitatem, neceſſarium omnino videatur, quamplurimos ſummos Juriſconſultos, eloquentiſſimosque Oratores ex hac tanta multitudine extitiſſe. Eoque id magis ita ſeſe habere talia reputanti veriſimile fuerit, quod non, ut apud Romanos obtinebat, ita in plurima, & graviſſima ſtudia noſtri etiam homines diſtraherentur, ſed toti in unam curam per omnem aetatem incumberent. Nam illi bellicis rebus, imperatoriisque artibus, dicendoq; juri, & Senatoriis conſiliis, necnon honorum petitioni, reiq; publicae domi foriſq; adminiſtrandae, atque Eloquentiae ſimul ac legibus vacabant: noſtris vero nil ultra Forum & cauſas curandum. Quod quidem (fatebor enim Maxime Tanucj, *quod nequeo diſſimulare, quanquam magno cum dolore fateor) diu aliter evenit, ac ea fert conjectura. Nam & forum Eloquentiae laude diu prorſus caruit, & Juriſprudentia, quanvis plures acerrimos peritiſſimosque viros ſit nacta; qui & res judicatas literis mandarunt, ac Reſponſa, Conſilia, Controverſias, Commentariosque etiam ediderunt; in mediocri tamen loco apud nos usque conſtitit. Nec ejus rei aliam inveniemus cauſſam fuiſſe, quam praepoſteram, & ſane corruptam ſtudiorum rationem. Etenim, quum a noſtris Legibus ſapienter fuiſſet inſtitutum, ut nemo de jure reſpondere poſſet, atque ad cauſſarum patrocinium accedere, niſi qui; poſtquam ſtato tempore humanioribus literis, Eloquentiaeque cum primis dediſſet operam, per aliquot annos publico in Gymnaſio Romanam Juriſprudentiam didiciſſet, deindeque ſtudiorum ſuorum in Seniorum Iſtorum Collegio subiiſſet cenſuram; ut ita demum in forum rite pergeret; haec omnia hominum ſive deſidia, ſive praepropera avaritia ſubvertit; ut ea vel omnino negligerentur, vel nimis properanter, & dicis tantum cauſſa fierent. Invaluerat quippe ea a primis uſ-*

que

que noſtri fori incunabulis apud forenses homines opinio, ingenuas prorſus artes, veterum linguarum peritiam, Philoſophiam, literasque omnes conſtantiſſime foro eſſe expellendas: ut nihil magis adoleſcenti, qui ſe foro addixiſſet, adverſari ad famam, opinionemque forenſem vulgo crederetur, quam ea ſtudia attigiſſe: ſine quibus mehercule nec Jurisprudentia, nec Eloquentia conſtare poſſet. Nil niſi leges, patriaeque potius quam Romanae, noſtratesque Auctores tantum, ac externi Pragmatici, repudiatis pene omnino melioris notae ſcriptoribus, juventuti proponebantur, in quibus operam, diligentiam, ſtudiumque omne collocaret. Quod ſane peſſimo, & exitiabili prorſus conſilio factum eſt: atque ab hoc pravo, maxime ſociarum rerum & reprehendendo diſſidio duo magna in forum mala irruperunt. Namque & Patroni munus facundiae ornamentis ſpoliatum, literarumque, ac Philoſophiae lumine orbatum, improba quaedam ars, & humerorum potius, & pulmonum quam ingenii effecta eſt, indoctisque moleſtorum, ac odioſorum clamatorum latratibus infeſtum effectum eſt forum; Et juris ſcientia, detracta Romanarum legum ſapientia, & latini ſermonis elegantia, antiquitatis notitia poſthabita, ac ſpreta doctiſſimorum interpretum eruditione, in implicatas quaſdam inextricabileſque ambages, centoneſque imperite ſartos, omni doctrina, atque amoenitate rejecta, eſt converſa. Atque inde porro naſci oportuit, quod nos certe dolere ex animo debemus, ut noſtris Juriſconſultis, quum laborem ſane, & ingenium in ſuis ſcripptis abunde teſtentur, magnamque rerum forenſium cognitionem, cultus omnis, & doctae illius antiquitatis prudentia, nitorque prorſus deeſſet: quae ſi affuiſſent, Cujacios & nos, atque Alciatos, Fabroſque habuiſſemus. Nam nec ingenii acumine, nec magnitudine controverſiarum, juriſque ſcientia eruditioribus noſtri cedunt ſcriptores, ſed ordine, ornatu, ſermonis elegantia, hiſto-

 ria-

Digitized by Google

riarum notitia, doctrinaque demum illa, quae nonniſi a Philosophiae fontibus, antiquitatisque ſtudio haberi, atque hauriri poteſt. Atque haec tanta ſunt, ut ipsa per se magnum Jurisconsultum efficiant: & ſi defuerint, quamvis maximum adhibeas ingenium, ſummoque incumbas labore, & quotidianarum quaeſtionum articulos omnes teneas, jurisque ſis (hoc noſtro, non illo veteri modo) peritus; jaceas nihilominus neceſſe eſt contemnendus, nulla in poſteritatem ſpe gloriae.

Haec tamen barbaries acerrimos ſeptuaginta fere ante annis in ipſo foro hoſtes invenit: qui inter subſellia bonas artes, Eloquentiam, Philosophiamque etiam audacter profiteri auſi ſunt, & cum Rabularum catervis, indoctorumque colluvie quaſi ſignis collatis dimicare. Nam Patrum noſtrorum aetate FRANCISCUS ANDREÆ *extitit, qui Neapolitanorum primus tantam eloquentiae vim in forum attulit, quantam nemo nec ante, nec poſt ipsum; tantamque ſimul doctrinam, quantam nullus quidem antea, pauci vero poſtea attulerunt. Aderant in illo, praeter ea quae ab arte & diligentia ſunt, fere omnia, quae a Natura in Oratore requiruntur; maxima ac ſuaviſſima vox, ſtatus, motusque corporis, geſtus, ac pronunciatio ita apta, atque ad dicendum accomodata, ut quidquid diceret, aut in dicendo ageret, cum magna audientium delectatione, deceret. At is, pervulgata, & corrupta illorum temporum inſtitutione rejecta, optimis literis, Graecisque, ac Latinis ſcriptoribus ab ineunte aetate operam navavit: unde ejus oratio profluens & concitata, optimis verbis, & hetruſco nitore ſplendida, crebris ſententiis, ac rebus ab intima Philosophia, veterumque ſapientia depromtis, foro tamen, populique auribus ſcientiſſime accomodatis abundabat. Late vero tunc ejus imitandi ſtudium in noſtram juventutem manavit: quum quisque quantum poſſet anniteretur, ut illius in dicendo elegantiam, atque*

im-

impetum exprimeret, orationisque gravitatem, & copiam referret. Sed nemo tantum ingenium, tantamque induſtriam ea in re poſuit (ut de Januario Andreæ *Franciſci Fratre viro doctiſſimo, & graviſſimo Senatore, ſed parum eloquenti, taceam) quam* Seraphinus Biscardus; *quem Franciſcus casu oblatum ita arripuit ac dilexit, ut in eo maximam spem retinendae in foro eloquentiae poneret, praeclariſſimaque ſtudia propagandi. Nec is magiſtri ſpem feſellit; nam etſi nec vi, nec impetu illi fuerit comparandus, juris tamen prudentia nescio an anteponendus: acumine vero quodam, lenique eloquentiae flumine, tectus undique, & mira in cauſſis dexteritate ita invaluit, ut dignus profecto, qui tanto viro in fori gloria succederet, haberetur. Dederunt sese in Biscardi disciplinam duo summa sane ingenia,* Janus Vincentius Gravina, & Cajetanus Argentius. *Gravina fori ambages, in quo principem locum habere aliquando potuiſſet, cito aspernatus, & Philosophiae aliquanto ſtudioſior, Romanum ocium, literariumque nomen forenſi gloriae, opibusque anteposuit. Argentius autem ſtudiis omnibus liberalioribus egregie perpolitus ita se Jurisprudentiae dedit, ut vix in eo genere aliquid inveniri poſſet, quod quidem scriptam, vulgatumque eſſet, quod ille non noviſſet, nec aliquid unquam legerit quod non memoria teneret. Voce tamen ſubagreſti, geſtuque, ac pronunciatione minime oratoria, quamvis incalesceret aliquando, naturaeque vitium rerum gravitate, & copia abunde semper compensaret; mediocrem tamen in dicendo laudem aſſecutus eſt, quum doctrina omnes, qui in foro unquam extiterunt, longo intervallo superarit. Plures praeterea eodem tempore, quo Franciscus Andreae floruit, clariſſimorum Jureconsultorum scholae extiterunt. Nam* Petrus Fuscus, *licet ab humanioribus literis paullo fortaſſe alienior, in enucleando nihilominus jure ſingulari quadam prudentia viguit, tantamque*

que veterum, Bartolinae praeſertim scholae, juris interpretum peritiam praeſetulit, ut nemo ei in excutiendo, atque explanando jure anteponeretur. Nec deſuit Fuſco dicendi laus, non prorsus oratoria illa quidem, sed gravi, honeſtoque viro digna, ac maxime Jurisconſulto propria. Ab hujus schola plurimi Patroni extiterunt, qui fere omnes Praeceptoris probitatem retulerunt, jurisque prudentiam; E quibus sat fuerit Horatium Roccam, & Franciscum Guerrasium *referre; quorum funera nos, moerentibus bonis omnibus, nuper vidimus, quum* Rocca *in ampliſſimo V. Virûm Senatu summa sane in foro dignitate eſſet*, Guerrasius *in* XXIV. *Virûm Conſilio magna virtutis, & prudentiae fama conſtitiſſet. Duo praeterea egregia doctrina, magnis ingeniis, ſalibusque praeterea, & lepore sane Attico praecellentes Oratores eadem illa tempeſtate floruerunt*, Nicolaus Caravita (*cujus domus omnium sui aevi doctorum hominum fuit altrix, quaque e schola, ut duo pro omnibus proferantur*, Alexander Riccardus, & Xaverius Pansutus *magnis utrique honoribus uſi, extiterunt*) *&* Caesar Natalis, *quibus nullum equidem oratorium ornamentum defuit, & tum in dicendo, tum in ſcribendo acres, acuti, preſſi, & elegantia, ac nitore ſingulari: licet* Caravita *acrior haberetur, & forenſi fama praecelleret. Tot igitur, talesque Viri, nonnullique praeterea haud parvam fori partem in se converterunt, coepitque juventus paullatim aliquid ultra forenses cancellos audere, nec amplius absurdum, ac monſtri ſimile in foro visum eſt, cauſſas defenſitare, & Philosophum ſimul eſſe, ingenuisque artibus excultum. Licuit inde* Cujacium *etiam*, Hotmanum, Gothofredum *caeterosque graviſſimos Romanarum legum Interpretes impune in medium adducere, eorumque auctoritate uti ad controverſias definiendas. Immo quo tempore nos primum in forum adolescentuli venimus, quum supremo* XXIV. *Virûm Conſilio*

Ca-

CAJETANUS ARGENTIUS *ſumma cum laude hominumque admiratione praeſideret, probe memoria tenemus, illud vulgo inter forenſes homines invaluiſſe, neminem ad cauſſam coram tanto Viro dicendam accedere poſſe, qui non ex legibus Romanis, Cujacioque, reliquisque doctiſſimis Juriſconſultis aliquid pro ſe afferret. Ex qua diſciplina quot acutiſſimi Juriſconſulti, quot optimi Oratores extiterint, nemo, cui quidem notum forum noſtrum eſt, non videt. Et ſi mihi non decretum eſſet, neminem vivum nominare, poſſem modo claros Neapolitani fori Oratores nedum brevi quadam commemoratione indicare, ſed juſtum etiam de iis opus conficere.*

Quis vero poſset illis temporibus, quibus tot tantaeque literae in foro verſabantur, ſummam quoque morum perverſitatem, ſupinamque ignorantiam fuiſſe, ſuſpicari? At ſane tunc maxime prava invaluerat diſciplina, & forenſis corruptio omnem modum exceſſerat. Satis fuerit, ut id probatum teſtatumque habeamus, ſermonem illum in medium adducere, quem aliquando a quibuſdam Rabulis habitum dicere conſueverat XAVERIUS PANSUTUS *affinis noſter: vir & in dicendo jure in* XXIV. *virûm Senatu Catoniana plane ſeveritate illuſtris, & gravioribus diſciplinis omnibus eruditus, atque in pangendo carmine (ut ejus Tragoediae praeſertim teſtantur) Italorum Poetarum nulli ſecundus. Is autem memoriter nobis, nobiſque audientibus aliis perſaepe narrare ſolitus erat,* CAMILLUM *quendam neceſſarium ſuum virum egregium, quem acerbo nimis fato ereptum dolebat, in acerrimos quoſdam Rabulas adhuc adoleſcentem incidiſſe, quos optimam ejus inſtitutionem in quodam convivio referebat ita acriter deteſtatos fuiſſe, ut nihil poſſet fieri ſupra. Nomina etiam Rabularum, & quid eorum quiſque dixiſſet ſummo lepore, quo Panſutus in familiaribus colloquiis ſane erat mirificus, memorare conſueverat. Hunc ergo*

ſer-

ſermonem, quod haud modicam juventuti noſtrae utilitatem afferre poſſe arbitratus ſum, ſi quos mores, quaeve ſtudia fugienda ſibi eſſent cognoviſſet, mandare literis decrevi; ne a magnificis indoctorum verbis, arrogantiaque, & faſtu ingenui adoleſcentes decepti, exemploque, ac felicitate invitati ad improbitatem, ignorantiamque ab honeſtate, & optimis literis, magno cum ſuo ac Reipublicae malo deſciscerent. Inſtitutionem etiam ejusdem Camilli, quem ab eruditiſſimo viro doctum atque inſtitutum fuiſſe conſtabat, operae precium referre duxi: praeclara etenim & optima viſa eſt, ad cujus exemplum juventus inſtituatur; & ad narrationis fidem pertinebat eam non omittere: nam ita factum eſſe Panſutus affirmabat, ut nos paullo poſt exponemus.

Sane quae nos in illo Rabularum Convivio acta, dictaque eſſe mox referemus, ea ſunt, quae certorum ſtudiorum pravitatem, morumque perverſitatem ita tacite redarguant, ut quid probandum, quid damnandum, quidve in hac noſtra forenſi vita ſequendum ſit, quid fugiendum, adoleſcentibus noſtris facile fuerit intelligere. Quanvis ſupervacaneum hoc, atque inutile fortaſſe fuerit hoc tempore exponere: quum ad Te unum, OPTIME, *ac* DOCTISSIME TANUCI, *reſpicientes, egregiam quandam, perfectamque atque abſolutam tum virtutum omnium, tum doctrinarum formam poſſimus intueri. Tu etenim ita Philoſophiam cum Jurisprudentia conjunxiſti, ita ingenuas artes cum rerum maximarum, ac graviſſimarum adminiſtratione copulaſti, atque ita ſanctiſſimis moribus negocioſiſſimae vitae inſtituta temperaſti, ut Platonicum illud effatum plane veriſſimum oſtenderis, virtutes omnes* UNUM *quoddam eſſe, & qui ex iis unam apprehenderit, omnes neceſſario tenere. Atque utinam noſtri homines, qui tam te enixe admirantur, & laudant, imitari quoque vellent, eamque ingrederentur viam, qua Te iſtuc perveniſſe cognoſcunt. Nunc nonnulli nihil ultra*

ver-

verba & inanes laudes progreſſi , modo etiam opinionem illam mordicus tuentur , Juriſconſultum totum in legibus eſſe , atque in foro tantum , ac ſubſelliis habitare debere . Quod mihi quidem pravum omnino , & damnandum videtur . Nec etenim extorqueri nobis poteſt , quod a prima adoleſcentia tot clariſſimorum virorum exemplo pro vero hauſimus , Juriſconſultum , qui nominis dignitatem implere velit , magna quaedam ſcire , ac profiteri debere : nec forenſium rerum anguſtiis concludendum eſſe : niſi operarium quendam potius velimus eum , quam vere ſapientem , rerumque civilium ſcientem efformare , & civibus ſuis ac Civitati ipsi utilem civem . Quod eo acrius modo ſequendum reor , quod jam Dei benignitate vere in Regno,ſubque optimo, ac clementiſſimo Rege vivimus: a quo & graviſſimis in rebus , jusq; publicum nationumque externarum mores & jura reſpicientibus conſuli haud raro Magiſtratus conſueverit: eique Civitatis, Regniq; preces in maximis negociis offerri . Quinetiam quicquid ad hujus Regni felicitatem , amplitudinem , copiam, communemque omnium conditionem pertinet , diligenter Jureconſultis veſtigandum,ac ſciendum,ne unquam graviore aliqua in re erga Principem,Patriamque,Civeſque ſuos officio turpiter deſint ; quum id ab illis , qui caeteris prudentiores , doctioreſque perhiberi volunt , quammaxime requiratur . Hoc ita , Magne Tanucj , *amplexatus es , (libenter enim tuo ſaepius jam exemplo utimur) ut quum tantae rerum moli praeſis , non par , sed valde ſane negociis ipſis major videaris . Quid enim praeſidii in magno aliquo motu , anguſtiſque in Regni rebus , vel in regenda , atque ordinanda Republica in eo fuerit homine , qui formulas tantum actionum , ac libellorum cantiunculas memoria teneat , ſtillicidiorum , ac ſervitutum jura fortaſſe noſcat, inſtrumentorum vim , probationumque naturam didicerit ? Docto , ſapientique tunc opus eſt viro , qui naturas hominum , rerumque te-*

pene omnium indolem calleat, cui hiſtoriae, praeteritique temporis facta nota ſint, gentiumque, ac populorum inſtituta: doctrinaeque inſuper, & prudentiae uſum rerum, civilemque experientiam conjunxerit. Quid in condendis, abrogandis, derogandiſque legibus? Num mediocri prudentia, num vulgari ſcientia opus eſt? Nec ullam profecto paullo majorem rem invenias, quae in Republica ſit pertractanda, quae legulejum aliquem, atque e forenſi opificio artificem, non ſapientem doctumque virum requirat.

Haec porro Reipublicae pars late negligitur: nulliqve curae eſt, ne egregii cives ad ignobilem quaeſtum detorti ignorabiles jaceant, & ab optimis ſtudiis, in quae magno bono publico incubuiſſent, ad mercenariam vitam, & vile artificium declinent. Unde ſaepe mihi de his Civitatis noſtrae moribus cogitanti peropportunum, maximeque utile viſum eſt, ſi Romanorum imitatione Censores *& apud nos publice inſtituerentur, qui nullam Ripublicae partem corrumpi, quantum quidem humano conſilio aſſequi poſſent, ſinerent, ſed ad optimam quaeque inſtitutionem revocarent. Horum quidem officium eſſet, ut optime educaretur juventus, curare; neve uſquam a probato more declinaretur: utque ea ſtudia in Civitate pollerent, quae ad Gentis gloriam, Regnique utilitatem non ad privatorum tantummodo lucrum & commodum referrentur. Nec mores ſolum, publicamque diſciplinam eorum complecti deberet vigilantia: verum & agricultura, quae maxima in uberrimo Regno cura debet eſſe, Nautica, caeteraeque artes omnes eſſent Cenſoribus curandae, ne, privatorum negligentia aut pravitate, vetera, ſi quae eſſent, bona atque opportuna inſtituta dilaberentur: & ſi quid ab externis gentibus ſapientius, & utilius excogitatum, atque inventum eſſet, ut in noſtram quoque Rempublicam inveheretur. Nec enim patrumfamilias induſtriâ, ſed publico*

co

co factum conſilio fuiſſe arbitror, ut optima omnium late gentium inſtituta, quae vel ad civiles, vel ad militares artes pertinerent, Romani adoptaverint: quo uno, quum caeteras nationes ſapientia primum vicissent, armis deinde etiam domuerunt, imperioque complexi ſunt. Apud nos nimia rerum omnium licentia: atque in universa Republica, quum tot legibus securitati civium, eorumque patrimoniis consultum ſit, nil quidem videas lege aliqua contineri, unde mores, artes, disciplinae, ſtudia, inſtituta vitae, atque ejus generis, maxima porro, & graviſſima, firmentur, publicaque authoritate aliquo pacto regantur.

Sed nimis extra noſtram aream, impetu quodam amoris erga patriam rapti, vagati ſumus: igitur e diverticulo, ut ajunt, in viam. Maxime ergo curandum censemus, ut perfecta, & optima disciplina juventus ad forum, causasque educetur, ne pravis moribus falsaque opinione doctrinae corrupta, & inflata in publicum dedecus, privatorumque damnum erumpat. Quod ſi te ad judicia, & forenſia praelia, Sapientissime Tanucj, *Fortuna detuliſſet: porro nobis non aliunde modo, quam a te, quae eſſet egregia Oratoris inſtitutio petendum eſſet: in cujus ingenium, quum omnia, quae ſui fuerant juris, natura contulerit, quaecunque ab arte, a ſtudio, a doctrina eſſe potuerunt, a te diligentiſſime cumulata, & collecta perpetuis lucubrationibus admiramur. Nam nulla docto, magnoque viro digna aliquo in genere doctrina exiſtit, quam tu non arripueris, ac teneas: nihilque eſt ex ingenuis omnibus artibus, quod tu non excogitatum habeas, & comprehensum animo, usuque, & exercitatione pertractatum. E quarum quidem maximarum rerum cognitione, quum incredibilis quaedam copia, ac summa in uberrimum iſtuc ingenium tuum eloquentiae vis profluxerit, patriique ſermonis lepos, ac venuſtas acceſſerit, nemo ſane, meo judicio, tibi in dicendo par, & aeque*

Digitized by Google

magnus, ac vehemens, & plane perfectus Orator potuiſſet unquam exiſtere. Nunc, quum tibi tantam Reipublicae partem sapientiſſimus Princeps adminiſtrandam optimo conſilio detulerit; maximae ſunt scilicet gratiae Fortunae a nobis habendae, quod te ita potiſſimum collocaverit, ut forum tibi cum primis curae eſſe debeat. Quod igitur ductu, exemploque tuo efficere potuiſti, ut ab ineptiis, ac Rabularum technis juventutem ad optimam, ſolidamq; diſciplinam revocares, id veluti jure a te petimus ut auctoritate modo cumulate praeſtes, efficiasq; ut noſtri adolescentes, voce tanti viri verae laudis iter ingreſſi, magnos illos Franciſcum Andreæ, Seraphinum Biscardum, Petrum Fuſcum, Nicolaum Caravitam, Caesarem Natalem, Cajetanum Argentium, *caeterosque ejus notae, quos nunc in foro, vel jus ſanctiſſime dicentes, vel cauſſas adhuc doctiſſime defenſitantes admiramur, sequi, atque æmulari velint: atque ita eos dignos foro, dignos hac Civitate, dignos tali Principe reddas: tuque nobis, ac poſterituti, Jurisprudentiae, Eloquentiaeque ſimul in Neapolitano foro Pater, ac reſtitutor habeare. Quo facto ſane ſperandum eſt, quae eſt noſtrorum hominum indoles, eorumque uberrima, & acutiſſima ingenia, brevi* Craſſos *nos*, Antoniosque, & Hortenſios, *ſin minus* Tullios, & Demoſthenes, *habituros: qui eloquentia florentes, doctrina, & conſilio praeſtantes, civilique praecellentes prudentia, optimi cives, Patriaeque amantes evadant, Forumque, & Curiam, universamque adeo Rempublicam ad summum gloriae, & felicitatis faſtigium adducant.*

Nunc Camillum Pansuto caſus suos referentem audiamus.

EU-

EUSTACHIUS, MODESTINUS, CAMILLUS BLANDIDIANUS, VOCONIUS, VULPINUS, RAPIDIUS.

C A M I L L U S.

NArrabo igitur tibi, Pansute, rem omnem, gemino orſus ab ovo, tametſi hoc Flaccus vetet, quandoquidem tu haud minor poeta ita jubes. Et sane nobis modo vacat: ſoli etenim, quod raro alias, ſumus in hoc amoeniſſimo litore, tuaque haec domus Pragmaticorum importunitate, qui te ne hîc quidem paullulum ſinunt quieſcere, magnisque clamoribus ſaepe vexata, nunc vere Mergellinam nobis, ociumque ſuaviſſimum praeſtat. Ruſticatum ergo de more cum Patre, ac ſororibus exieramus in Herculanum: vindemiae namq; appetebant, & jam feriarum tempus complures melioris notae cives eodem perduxerat. Venerat nobiscum Modeſtinus, qui me tunc temporis ſanctiſſime, atque amantiſſime curabat; vir, ut noſti, ita probus, ut eo probiorem neminem noſtra Civitas tulerit; atque ita doctus, ut neſciam quem modo ei ex eruditis noſtris anteponam. Illum ego ita obſervabam, ut optimum, ac dulciſſimum parentem: ille tanta me benevolentia proſequebatur, ut ſane Patrem ipſum aequaret. Ita mutuo affecti, conjectura potes aſſequi, quam diligenter, & accurate alter doceret, & quanta docilitate, ac ſtudio alter disceret. Dum autem ibi commoraremur, ambulationibus crebris per ſalubres agros valetudini ſubveniebamus, perpetuis literariis laboribus ſatis affectae, Poetarumque blandimentis ſuperiorum ſtudiorum gravitatem temperabamus. Obturbabamur interea a Patre, qui non modo frequenter a nobis ſtudiorum

rum

rum meorum rationem expoſtulabat (etſi ipſe, probus equidem & frugi, earum rerum prorsum ignarus erat) ſed pene quotidie a Modeſtino flagitabat, ecquando tandem me habili jam aetate, & ſex annorum labore ſatis perdomitum, in forum mitteret, unde aurea ſcilicet nobis familiaeque noſtrae meſſis obveniret. Tardabat nimiam ejus alacritatem vir honeſtus, & biennium inſuper aliud mihi, ſibique precabatur, ut incepta perficeret, prout ſuſcepti curriculi ratio, ac tanti operis moles poſtularet. Non ideo tamen ſatis Patri faciebat, qui me dudum jam pro mendaci fundo haberet, & Modeſtinum aperte culparet quaſi deſidem, & negligentem agricolam. Hanc nos moleſtiam conſtanter, atque hilare perferebamus; nec Patris, optimi ſane viri, avaritiam, ſed domeſticas anguſtias ejus rei cauſam eſſe intelligentes, ſerio in libros incumbebamus: ejusque anni ruſticationem, non ad relaxandum animum, ut ſuperioribus annis, ſuſceptam putavimus; ſed ad ea, quae didiceram ruminanda, reſque ordine quodam, & modo nectendas: ut in Vrbem reverſi, legum Patriarum interpretes (quod nempe unum ſupererat) ſorique arcana alacriter aggrederemur. Dum nos id ſedulo agebamus, aliud ſane Pater verſabat animo: & amicorum, qui circa ea loca ruſticabantur, domos frequens circumibat, tum in me quaedam jaciebat, quae ejus rei, quam ipſe ſtruebat, ut deinde cognovimus, argumento eſſe poſſent. Tandem, quum aliquando multa nocte ad coenam domum rediiſſet, inſueta elatus laetitia Cras, inquit, Camillule, judicium ſubibis: ego te in jus vocavi, eosque Judices elegi, quos ob auctoritatem nullo pacto recuſare poteris, nec ob eximiam prudentiam, & ſingularem doctrinam fallere. Neſciebam ego quid ea ſibi plane vellent, ideoque parum de iis ſollicitus coenavi, atque inde cubitum ivi; ignorans miſer quantum mihi moleſtiae in craſtinum diem impenderet. Primo diluculo turbari omnia circa culinam e

le-

lectulo audiebam, Patremque de nocte expergefactum domum circumcurſitare, ſervosque frequenter inclamare, multarumque rerum ultra morem ſatagere. Gaudebam ego nimirum, opiparum apparari Convivium, laetumque mihi, & feſtum eum diem augurabar: ſed vere tunc comitia in meum, & Modeſtini caput parabantur.

Ne te diutius morer; ſub edendi tempus, *Blandidianus* repente ad nos venit, vir aud modicae, ut noſti, illa tempeſtate in foro auctoritatis, & famae: quem tres adoleſcentes comitabantur ex illorum turba, qui ſub ejus diſciplina juri operam dabant, culti, elegantes, atque omnibus munditiis mundiores. Quod quum Patri nuntiatum eſſet, viro propere obviam exiit, eumque omnibus honoris ſignificationibus exceptum in interius cubiculum perduxit. Primus incedebat Blandidianus titubanti, & incerto admodum gradu, renidens usque, atque unumquemque familiarium comiter ultro salutans, & quaecumque occurrebant profuse dilaudans; ſubſequebatur cum caetera turba Pater, impenſe ei gratias agens, ſeque, domumque ſuam tanto honore indignam autumabat: valde caeteroqui ſollicitus, ut cuncta compoſita, & apta in aedibus tali viro viderentur. Mihi interea (quem ab hortulis, ubi cum Modeſtino neſcio quid lectitans deambulabam, ſtatim evocandum curaverat) Blandidiani dexteram exosculari juſſit, eique me accurate commendans: En tibi, Blandiniane, ait, Camillulum meum, quem tuum potius hodie dici, & haberi a te malo. Ille me perhumaniter amplexus exoſculatus eſt, & Nonne vides, ad Patrem converſus, inquit, Euſtachj, quod egregius hic vir jam eſt? Hic ſane noſtri fori, ut ego merito auguror, ingens jamjam erit decus, & ornamentum. Mihique familiariter ſublandiens, modo os, modo caput, & ſcapulas leviter palpabat. Haec inter *Rapidius* cubiculum ingreſſus eſt, adeo celeriter, ut ne-

nemo familiarium eum venientem, ut patri poſſet nunciare, animadverterit. Hujus etiam dexterae, ſubindicante Patre, defixum a me oſculum eſt: tum is propere conſedit, quum vix & uno verbo omnes, qui aderant, ſalutaſſet, negocioſo, & occupato admodum ſimilis. Servus inde Patrem propere accerſivit, ut *Voconium*, & *Vulpinum* exciperet jam venientes: nec vero nunciari id opus fuiſſet, tantis clamoribus ſui nos adventus Voconius admonuerat. Ego quoque iis obviam proceſſi, Modeſtino cum Blandidiano, & Rapidio officii cauſa relicto. Ut in conſpectum venimus, memini me nominatim minaci ſane vultu a Voconio appellatum, qui me ſuum inimicum nominans, in me paratiſſimum adveniſſe ſe clamabat, atque ut aliquò aufugerem, ne in ſuas inciderem manus, hortabatur. Ut vero ab hoc attonitus mearumque rerum incertus elapſus ſum; in Vulpinum incidi, qui pone ſequens ſedato gradu verba tranquille, & modeſte cum Patre faciebat. Is ut me vidit, conſtitit, & paullo commotior: O quam ſuavis, & modeſta adoleſcentis indoles! inquit, o quam ſancta, & pudica facies! Profecto ego, Euſtachj, optimum hunc tibi, ac pientiſſimum aliquando fore jam nunc praedico, ita temperate incedit, ita hor eſte intuetur. Meque inde arcte complexus, & Coelum intuens: Da huic optimo viro Deus, tanquam ex integro orſus eſt, quammaximum ex hoc adoleſcente fructum capere: da huic egregio adoleſcenti parentis vota quamcitius implere; & ſecum me eo pacto complexum in cubiculum peramanter perduxit. Horum adventu exhilarati omnes: mutuiſque interrogationibus, ac reſponſis, inſtitutiſque hic illic colloquiis, admiſtoque undique frequenter cachinno (nam plures diſcipulos quisque adduxerat) eò brevi ventum eſt, ut vocibus diſſonis, clamoribusque tota domus late reſonaret, nec quicquam ex his, quae dicebantur, exaudiri poſſet. Horam pene integram hic ſibi tumultus praecepit, nec quem finem habi-

habiturus eſſet praevideri poterat, ita tum maxime calebat; ideoque jam Modeſtinus ſurrexerat, meque ſecum extra illud praelium eduxerat: Paterque, & familiares jampridem ad ſua quisq; munia per aedes, illis relictis excurrerant. Quum autem in pomeridianas horas inclinaret jam dies, & prandium corrumperetur; ſeducto Vulpino Pater extraque conclave illud producto: Per Deos te oro, Vulpine, inquit, & ſapientiam tuam, compeſce jam tumultum iſtum, & optimos hos viros ad ſilentium perduc: nam & menſae jampridem paratae ſunt, & pauca me vobis omnibus praedicere maxime in rem meam eſt. Suſcepit libenter negocium Vulpinus, pluriesque a vociferantibus contemtus, & repulſus, aegre tandem confecit. Quod videns Pater, me, ac Modeſtino accerſitis, in medium proſiluit;

Et quanquam jamdudum, ait, vos, clariſſimi viri, cocus expectat, ne vos pigeat tamen pauca quaedam, antequam diſcumbatis, a me audire, quae mea maxime interſunt, quaeque ego eo animo vobis eloquar, ut qui omnem in humanitate, & ſapientia veſtra ſpem repoſuerim ſublevandae, ac reſtituendae domus meae, quae culpa fratrum meorum & fortaſſe etiam mea, jam pene prorſus collapſa eſt. Vnicum hunc (me indicans) ex Fortunata mea, quae inter bonas uxores certe optima fuit, cujus mihi nunquam, ſi vel tercentos annos viverem, dulcis memoria excidet, unicum hunc, inquam, virilis ſexus, eundemque cariſſimum filium habeo, qui nunc nobis patrimonii loco eſt. In hunc enim unum noſtrûm omnium oculi conjecti ſunt, nobisque perſuaſimus, ſi domus fundosque Fortuna nobis eripuit, hunc labanti familiae benignam ſervaviſſe, ut quae abſtulit redderet, & tot praeterita damna vel uno hoc beneficio cumulate compenſaret. Ideo ab usque ineunte aetate cum optimis praeceptoribus educandum, ac poliendum tradidi: & deinde, quum aetas ei maturitatem mentis ad ſcientias,

artesque viſa eſt attuliſſe, ex multis, qui sese huic muneri ultro obtulerant, hunc Modeſtinum noſtrum rogavi, quem tunc mihi praeter omnes fama probabat, qui eum ſedulo ad Jurisprudentiam formaret. Ea quippe conſultantibus nobis optima, ac ſane ad diteſcendum compendiaria via viſa eſt. Sextum jam annum aſſidua opera adoleſcens Modeſtinum audit, & jam tempus appetit, quum eum in forum, veluti ex umbra in lucem ac Solem, exire ad lucrum mos patrius fert, noſtraeque urgent anguſtiae. Nec ego quantum gnatus aut quid profecerit dijudicare valens, quidve rei adhuc ad longum hoc curriculum capessendum fortaſſe deſit, ideo ad vos confugio, tanquam ad Oracula Civitatis, viri optimi mihiq; amiciſſimi. Vos igitur etiam atque etiam obſecro, reſecroque, ut curam hanc ſerio ſuſcipiatis. Et, quae veſtra humanitas eſt, e Modeſtino primum, ex adoleſcente deinde ipſo, ſi opus fuerit, perveſtigetis oro, quo ſint loco res noſtrae, & quid nobis modo ſperandum ſit, quid timendum; ut e placitis ſapientiae veſtrae, quae tot civium millibus opem jam tulit, deincepsque eſt allatura, tempeſtive poſſimus nobis, domuique noſtrae conſulere, reſque, ut decet, utque vobis videbitur, ordinare. Vix eſt enim, quum nonum ſupra decimum Camillus meus aetatis annum implevit. Nec falli ea in re poſſum, qui ſatis superque memoria teneam hunc paucis menſibus duodecimum annum exceſſiſſe, quum Fortunata mea, nunquam mihi ſine gemitu, & lacrimis commemoranda, diem ſuum obiit; ac ſeptimus jam annus nudius tertius fuit, quum ego luce ac omni voluptate orbatus, miſeram hanc & infelicem vitam ſolus, & moerens traho. Te vero, Modeſtine, per Deos hoſpitales, & quicquid tibi ſacrum, ſanctumque eſt, rogo, perque familiaritatem noſtram, atque amorem, quo Camillum tuum complexus es, ut omnia sincere, & dilucide doctiſſimis his viris aperias, nec falſa gloria ductus, aut plura te docuiſſe, aut pernicioſa adula-

la-

latione hunc plura didiciſſe affirmes, quam revera ſa-ctum eſt. Veritatem, quam caeteris in rebus omnibus te ſanẽte ſequi animadverti, ſanẽtius modo, & conſtantius, ſi fieri poteſt, ſequere; & quidquid nunc neglexeris, auxeriſque, id in maximam mei, puerique, domusque perniciem evaſurum memento. Age ergo, rem, dum comeſtur, hilariter aggredere, & ab initiis exorſus ad hunc usque diem veluti per gradus perduc. Ite agite interea vos, lumina Civitatis, hujusque familiae tutela, & praeſidium, diſcumbite: tuque, quod bonum, fauſtum, felixque mihi, familiaeque noſtrae ſit, quum tempeſtivum videbitur, aggredere ad rem Modeſtine. Hic quum Vulpinus, ante prandium haec perbelle Modeſtinum exequi poſſe dixiſſet, eumque jam ut diceret hortaretur: illum indignantium invitatorum omnium voces exceperunt, eſurire se se acriter clamantium: nugasque maximas agere Vulpinum, qui cur ipſi Euſtachii domum veniſſent, oblitus eſſet. Non illud ſibi tempus diſputationes, & controverſias poſcere: irent, discumberent, ventrique tunc operam darent, poſſe deinde, vel inter epulas, vel poſtea, vel nunquam etiam iis de rebus agi; nec aequum eſſe se inedia eneẽtos, Modeſtini fabellas, quaſi nil gravius urgeret, audire.

His frangi se Vulpinus ſimulans (quippe qui, ut nil ipſe de prandio cogitare videretur, ita locutus fuerat) obticuit; eosque tunc demum nos turmatim magnoque impetu in coenaculum ruentes ſecuti ſumus. Conſedere itaque propere viri egregii, & in primarum menſarum patinas fortiter impetu facto oſtenderunt ſatis, loquacitatem optimam famis parentem eſſe. Vulpinus tantum, & Voconius inter edendum primùm saepe nutantes inter se, deinde etiam collatis capitibus collocuti, ſubiraſci se, ac ſtomachari videbantur, quod Blandidianus, & Rapidius primos in accumbendo locos praecepiſſent, ac contra januam, qua inferebantur cibi, conſediſſent. Nec

 ſilen-

ſilentium interea, nec clamor erat, ſed tumultus quidam, & vaſtum murmur, quale ab alto quopiam loco irati maris exaudiri solet. Vulpinus quaſi aliud ageret, diſſimulanter edebat; Voconius aperto impetu gerebat rem, manibusque quicquid inſerebatur avide arripiebat, comminuebatque. Alia Blandidiani ratio erat, nec enim valde cibo intentus videbatur, ſed renidebat usque, modo hunc, modo illum ultro leniter appellans, quaſi ad hilaritatem excitaret; nec ideo se minus interea opplebat carnibus, avesque peregrinas, atque electiora menſae carpebat. Rapidium mirabamur quo pacto animam poſſet reciprocare, ita ambas implebat buccas, & se totum ingurgitabat in patinas: ut, dormienti ſimilis, graviorem, atque interruptum inter mandendum spiritum ederet: viſebantur ante ipſum plures patinae, cibis altam in ſtruem erectis, unde ille properanter tanquam de alieno rapiebat. Caetera discipulorum turba juveniliter admodum se se gerebat; & intercipiebant mutuo cibos, ſtrepentes, clamantes, mensasque concutientes, aliquando ita valide, ut jure omnia conſpergerentur, pulmenta per manus jactata in terram demum laberentur, calicesque in mensam effuſi frangerentur. Talia videbamur aegre a Patre ferri: mundus enim, ut noſti, Panſuce, & elegans fuit homo: verum quaſi aliò spectaret, quae fiebant ſilentio praeteribat; Et ſi quando advertiſſe maniſeſtum erat, leniter risu illos excipebat, & plaudenti potius, quam indignanti ſimilis videbatur. Baccho largiter indulgebant omnes, sed Voconius, & Rapidius nimis, ut Comici verbo utar, avariter in se merum plenis faucibus ingurgitabant: licet Vulpinus prope eorum aequaret virtutem.

Ut autem erat Pater ejus rei, cujus gratia illos invitaverat, memor, modo Blandidianum, modo Vulpinum ſubmiſſa rogabat voce, ut tandem Modeſtinum dicere ſinerent, atque inter epulandum, ut polliciti erant, me

emen-

emendandum ſuſciperent. Aſſentiebantur illi, Voconiumque, alioſque, ut poterant, per clamorum intervalla identidem rogabant, ut Patri obſequerentur, ſed diu fruſtra. Demum, ſtrenue annitente Patre, aliquantulum tandem conticuerunt, aureſque praebituri viſi ſunt. Jamque Modeſtinus, qui pro temperantia ſua epulis ad quotidianum modum refotus jampridem ceſſabat, dicere aggreſſus erat: ſed obturbavit ſemel, iterumque Rapidius, aperte id contra pactum eſſe dejerans, nec civile eſſe in primis menſae ſpatiis conſiſtere, ſtatariamque, & meditatam Modeſtini oratiunculam audire. Demus antea ſaltem quod opus eſt corpuſculo, ſubiratus clamabat, primoſque famis impetus retundamus, poſtea ſaturi de his videbimus, ſedatoque inteſtino hoſte, externa curabimus. Plaudebat his Voconius, & Blandidianum increpabat, qui, quum jure vicinitatis Rapidium deberet defendere, ſileret: se vero alienae causae patrocinium ſuſcepturum libenter; nec paſſurum omnino, ut Rapidio invito quicquam ageretur; se se voce, ac clamoribus, ſi aliter nequiret, diem extracturum. Agerent itaque obſonia, patinasque etiam ipſas per ocium vorarent; audiendi, ac dicendi tempus nunquam defuturum. Quid te modo, Panſute, frigida hac narratione enecem? Satis ſit dixiſſe, pluries Modeſtinum coeptaſſe, pluries ad tacendum adactum eſſe; nec niſi illatis ſecundis menſis Patri aegre datum, ut ſilentes (nempe non continenter clamantes) pranderent, & Modeſtinum tandem audirent. Is itaque tunc demum exorſus, in hanc fere ſententiam locutus eſt: nam verba ipſa meminiſſe admodum eſſet difficile, Tu vero, Xaverj, ſi laudari me a Modeſtino audies, ne me vanum continuo arbitreris, qui laudes ipſe meas referam: accipies enim paullo poſt, unde has laudes abunde compenſes.

Accepi hunc ego, inquit Modestinus, viri clariſſimi, jam tertiumdecimum agentem annum, iis literis ſatis

tis imbutum, quibus de more puerilis aetas ad ſcientias, arteſque meliores informari conſuevit. Optima mihi jam inde a principio adolescentuli viſa indoles eſt, ingeniumque, modo cura & diligentia acceſſiſſet, cujuſcumque rei capax. Itaque & parentis ſui optimi viri obsecrationibus, & ipſius adeo Camilli gratia, docendi munus ita libenter suscepi, & tam ſančte ſum executus, quam ſi de filio meo ageretur. Itaque eum ad Geometriam primum, veluti ad omnium ſcientiarum oſtium perduxi: eo nempe conſilio, ut quantum ei liceret de Mathematicis ſcientiis deguſtaret: utque ei ſimul geometrica perſpicuitate Dialectices regulae comprobarentur, unde veritati quamprimum aſſueſceret, ejusque notas ita perspectas haberet, ut difficulter in errorem deinceps laberetur, nec falsa aut incognita pro veris unquam acciperet animo. Latinas interea Graecasque literas aſſiduo ſtudio hauriebat, dum ego ei utriusque linguae Scriptores quam poteram accuratius explicarem: non ut hic verborum vim, & Grammaticae arcana aſſequeretur, quod jam ſatis alii praeſtiterant praeceptores: verum ut duarum quotquot ſunt aut fuerunt cultiſſimarum Nationum indoles, mores, religio, leges, inſtituta, belli pacisque artes ei reſerarentur. Quod ego sedulo curabam, & magnum me operae precium facturum rebar, ſi Romanorum animorum magnitudinis, Graecaeque virtutis veluti semina quaedam jam tunc, adhuc tenera ejus mente, ſererem, quae poſtea uberem ſegetem eſſent latura. Et mirum profecto eſt, Viri maximi, quanta celeritate ea Camillus arripuerit. Quod ego intelligens, longiore, quam primum ſtatueram, itinere eum ad Jurisprudentiam deducendum ſuscepi; nil in eo temporis jacturam veritus, quum hunc viderem brevi conficere, quod alii vix duplici temporis ſpatio exequerentur.

Hiſtorias ergo ipſi omnium barbararum, cultarumque gentium expoſui, ab Hebraeis & Aſſyriis ad Reipubli-

blicae Romanae lapſum ; non ideo tantum , ut Regum & Imperiorum varios caſus , Urbiumque clariſſimarum excidia , Ducumque ſolertiam cognoſceret (quae fortaſſe ignorari levi admodum jactura poſſent) ſed praecipue ut rerum humanarum viciſſitudinem , humanique adeo animi indolem , intimamque Naturam intueretur in tot tam diverſorum Populorum atque hominum factis : perturbationumque origines , viasque atque exitus colligeret ex infinita omnium temporum , exemplorumque varietate . Praecipue vero magnorum virorum vitis immorari eum hortabar , eosque propius in privatis publicisque negociis ſequi : quum non minorem utilitatem capi arbitrarer ab eorum fortibus in bello factis , Reiquepublicae adminiſtratione , quam ab interiore ac domeſtica diſciplina . Imperatorum dein Romanorum hiſtoriam cum Chriſtiana conjunxi : hisque subtexui breviter Regnorum omnium hiſtorias , quae occidente Romanorum Imperio ſubinde orta ſunt : atque ita eum ad proxima usque nobis tempora arctis quidem itineribus deduxi , ampliorem ſingulorum Regnorum notitiam firmiori aetati , majorique ocio reſervans . Ab hac accurata diligentique hiſtoriarum lectione Jus humanum , communiaque omnium inter se gentium vincula arripuit Camillus : ut nullo prorſus labore inde ipſe per se naturalis Juſtitiæ principia excuderet : comprehenſumque haberet animo quid Nationes mutuo firmum ſemper immotumque ſervaſſent , & quo dedecore eos notaviſſent Populos, quoque etiam ſupplicio aliquando affeciſſent , qui ab hoc jure deſciverant. Hujus ego juris cauſſas e Philosophia adoleſcenti ſuggerebam , ne more potius & conſenſu , quam ratione illud ortum arbitraretur , & late diffuſum . Gentilis deinde , Grotii , Pufendorfii , Seldeni aliorumque doctiſſimos iis de rebus libros ei perlegendos ſubdidi : quos hic propero greſſu percurrit , nusquam pene haerens : immo quid de quaque controverſia dicturi illi eſſent , praedicens

cens, ex antecapta ſcilicet animo rerum juriſque notitia. His ego(quæ ut uno veluti curſu exponerem in unum contuli) admiſcebam, partitis nempe opportune horarum ac ſtudiorum intervallis, Principum omnium ſeriem ordinemque: Imperiorumque magnitudines viresque, atque uniuſcujusque gentis confines populos; montesque & flumina illuſtriora indicabam, tanquam memoriae adminiculum. Deinde Coelorum ei Terrarumque diligentem descriptionem ad hilarandum reſovendumque animum ſubdebam, syderumque ortus atque obitus, ventorumque cauſſas, atque ejus generis, ut ad universae Naturae contemplationem adolescentem inde facilius deferrem. Itaque Philosophorum de naturalibus rebus rerumque univerſitate placita (veluti alteram humani ingenii hiſtoriam) a primis usque temporibus huic deinceps aperui. Sed parum ei futurum ocii ſciens ad maxime obscurarum rerum cognitionem funditus aſſequendam: selectiores receptioresque talibus de rebus opiniones delegi, eique perdiscendas propoſui, addidique quicquid per iterata pericula cognitum penitus atque in Phyſicis exploratum haberemus. In prima Philoſophia aliquanto accuratior fui, Pythagoreorum & Platonis veſtigiis inſiſtens: ac, quantum ejus rei hujus aetas capax fuit, ſerio ſategi, ut ad primas rerum ideas attolli disceret, animoque conſuesceret primam earum naturam comprehendere. Ab hac etenim Philoſophia, cui tantum nomen jure debetur, ſapientiam oriri cenſeo, ſacesque illas in humanis ingeniis accendi, quibus rerum omnium, nedum ſcientiarum, interiora clare perluſtrentur. Hinc ad officia eum perduxi; & quid Deo O. M., quid ſibimetipſi, quid Parentibus, quid Patriae, quid Principi, & cur deberet, perdocui: quoque pacto erga conſanguineos, amicos, cives, advenas, notos, ignotos, inimicosque demum se se gereret; Commune Fas explicans, neve se unquam ab aliqua officii parte liberum & immunem putaret;

quum

quum ſemper aliquid homini ab homine hoc jure deberetur. Humanos affectus ei pateſeci, & quatenus nobis utiles eſſent, atque unde demum a naturali, permiſſoque uſu in vitia degenerarent; eorumque regendorum regulas tradidi, quibusque habenis iis facillime moderaretur. Et quando in Forum pergeret, ei tempeſtive praedicendum cenſui, ne lucri (quae maxima Fori syrtis eſt) ita cupidus unquam eſſet, ut officii aut virtutis vel paullulum oblivisceretur. Nullam etenim majorem hominis laudem eſſe, utilioremque ſimul rem, quam honeſtatem perpetuo colere, veracem usque eſſe, mendacioque conſtanter abſtinere. Virtutem bonorum omnium principium finemque eſſe, malumque id ſolum quod turpe eſſet, & a virtute recederet. Atque hoc eum, ut perpetuo ſervaret, enixe hortatus ſum, ut quicquid ageret, aut agendum in vita ſusciperet, perpenderet antea sedulo, atque ad virtutis trutinam revocaret: ſeque ipsum Judicem rerum ſuarum ſeveriſſimum conſtitueret, ſuumque praeter omnia judicium ſubire & vereri aſſueſceret.

Nec me velim interea, viri clariſſimi, id tantummodo egiſſe arbitremini, nec ad majora advertiſſe animum. Etenim jam inde a principio, dum Chriſtianam hiſtoriam exponerem, ad pietatem hunc ſedulo formavi, Religionemque omnem ordine explicavi, aſſidua Sacrorum librorum lectione inculcata: ac Salomonis praecipue scriptis ita eum operam dare juſſi, ut pleraque sapientiſſimi illius Regis coeleſtia effata memoriae mandaret.

Haec veluti Eloquentiae ac Jurisprudentiae communia ſimul tradidi: fontem enim pariter utriusque, Philosophiam, humanarumque ac Divinarum rerum cognitionem ratus ſum. Nec ideo minus interea ad earum alteram, Eloquentiam scilicet, eum formavi; quod facere aliud agentes, & quaſi per ocium potuimus. Nam nec nimium temporis a gravioribus occupationibus nobis ſurripiebat, nec labor ille videbatur adoleſcenti, qui ſatis hi-

Digitized by Google

hilare in amoeniſſimis ſtudiis versabatur. Primum omnium eum pure & lucide ſemper loqui jubebam, verborumque nitorem in familiari quoque ſermone ſequi, & vernacula verba quantum poſſet vitare: ut ita materies quaedam pararetur Eloquentiae, eique veluti fundamenta ſubſtruerentur. Facundum deinde eum efficiebam aſſidua Demoſtenis ac Ciceronis lectione; atque ita eloquentiam ei per occaſionem, non e Rhetorum praeceptis, ſed ab intima Philosophia, Ariſtotele duce, depromſi: perpensoque probe homine, ac perturbationum natura penitus patefacta, quid, quove tempore, quibusque hominibus, & cur dicendum aut tacendum eſſet aperui. Omnia quinetiam M. Tullii opera diurna nocturnaque manu, ut ait ille, per horarum ſubciſivarum intervalla verſare eum jubebam: quod hic conſtantiſſime ſervavit, & ſervat: magnumque Philoſophum summumque Oratorem, ut humaniſſimum praeceptorem & ſuaviſſimum amicum reveretur ac diligit.

Sermonis noſtri puritatem ab Etruſcis optimae notae scriptoribus hauſit, quos vel deambulans, vel, a ſeverioribus muſis declinans, animi gratia lectitare ſolet. Ad elegantiam autem veneresque orationis, Poetarum cultiſſimos, & nitidiſſimos ei commendavi: unde ipſe quid commune cum pedeſtri eloquentia Poeſis haberet, me indicante, cognoſcebat: quatenusque haec illam adjuvaret splendioremque redderet, quaeve vitia ex imprudenti & nimia Poetarum imitatione in oratores manarent. Aliam exercitationem Academicorum, & Peripateticorum imitatione poſtmodum induxi. Nam, propoſita aliqua non pueril ac nugatoria controverſia, in utramque eum partem dicere imperabam, aliquando ex tempore ad acuendum ingenium, dicendique facilitatem comparandam; ſaepius vero conſcripta oratione, ad formandum ſtylum: neve verbis nimium luxuriaretur, resque leviter (quod in ſubita oratione evenire neceſſe eſt) attingeret. Haec

a me ita facta ſunt, ut quamminimum temporis in iis inſumeretur.

His ergo, deviis fortaſſe nec uſitatis, itineribus ad Jurisprudentiae oſtium Camillum perducere annixus ſum; nec me pervulgatae aliorum inſtitutiones commovebant: quippe cui ſcitus tantum gnarusque is haberetur agricola, qui arboris radices diligenter curaret: unde poſtea & truncus & rami, frondesque & poma progignantur. Itaque ejus ingenium quam rectiſſime poſſem formandum atque exacuendum omni ope ſuscepi, unde per ſe ipſe ad *Rectam Rationem* perveniret, quae non bonum juris interpretem efficere tantum poſſet, ſed optimarum quoque legum latorem.

Atque hujus operae maximum uterque precium tulit, quum ad legum Romanarum explicationem ipsa nos ſtudiorum ratio perduxit. Nam Camillus (poſt acceptam legum, Jurisconſultorum ac ſectarum hiſtoriam) nullo prope negocio Romani juris elementa de Inſtitutionibus hauſit: ac deinde ita facile in Pandectarum libros (quibus rectae rationis, civilisque ſapientiae myſteria pene omnia continentur) invectus eſt, ut Papiniani, Scaevolae, Ulpiani aliorumque haud difficulter mentem aſſequeretur, opinionumque rationes per ſe ipſe mihi proderet; aequitatisque, & naturalis juſtitiae principiis innitens, traditorumque in hiſtoria Romana egregie memor, enuclearet res obſcuriſſimas. Et ſi quid non ſatis rectum aequumque, vel legum ipſarum vitio, vel Jurisconſultorum occurrebat, id ſtatim animadvertebat, damnabatque, rectam rationem pro duce habens: quod magnae mihi delectationi erat, ingeniumque ejus ſuspiciens, mihi plaudebam, quod tale iter ei ad Jurisprudentiam commonſtraviſſem.

Peracta eo modo prima Pandectarum lectione, eos iterum Camillo perpendendos propoſui, additis magni *Cujacii*, *Hotmani*, *Donellique* commentariis, ut le-

gum mentem penitus introſpiceret, earumque uſum, forenſiumque controverſiarum aliquam inde imaginem hauriret. Hinc eum ad Imperatorium jus, Edicta, Conſtitutiones, Reſcripta facili gradu perduxi, eorumdem graviſſimorum ſcriptorum comitatus praeſidio: temporum illorum, Caeſarumque naturam, moresque, Religionis, Imperiique ſtatum, ubi res poſtularet, ſubinde ingerens: & Romanae ſapientiae, purique ſimul ſermonis flexum, atque inde occaſum veluti digito monſtrans: ne ſi obſcurius aliquid, aut abſonum, veteriſque Jurisprudentiae diſſimile in ea lectione occurreret, haereret. Pontificium jus deinde, veluti Romani juris ramentum expoſui, uſumque ejus, & quid ad ſacra ſpectaret, quid judiciis aptum eſſet, quidque ad eruditionem modo referretur: quod jus iſte uno, ut ita dicam, hauſtu arripuit, & Civili jure, & Criſtiana hiſtoria mirifice adjutus.

Propius tandem ad forum ipſum pervenimus, quum ad Bartolum deſcendimus, cjuſque ſcholam. Neceſſe etenim erat, ut iſte forenſem uſum tandem libaret, forenſiumque quaeſtionum, pugnantiumque ſententiarum inter poſteriores legum Romanarum interpretes, origines, cauſasque cognoſceret, unde facile ad ipſum aliquando forum, forenſesque tricas, parato viatico, viarumque gnarus accederet. His ſubacto & exculto adoleſcentis ingenio, eum veluti poſt longam peregrinationem domum reduxi. Nam preſſius longe, & enucleatius, quam antea in generali rerum humarum enarratione feceram, hiſtorias ei patrias a priſca illa, felicique Graecorum aetate ad haec tempora expoſui: rerumque noſtrarum vices, dominorumque varietatem explanare aggreſſus ſum: morum inde, & conſuetudinum, certorumque etiam verborum, quae in forenſi uſu trita ſunt, vim & originem indicavi, quidve e tot gentium moribus in noſtris etiam nunc inſtitutis, legibusque re-

retineremus. Huic narrationi, quae plures nos menſes tenuit, noſtrarum legum attexui hiſtoriam, ut eas primum a ſuperiori veluti loco univerſas ſimul conſpiceret notaſque jam antea & perſpectas haberet, quam eas poſtmodum ſingulatim adiret. Quibus confectis, ſextum jam menſem leges ipſas ſedulo excutimus, additis ſubinde qualibuſcumque noſtrorum interpretum commentariis; ſerioque perpendimus earum mentem, quidque in iis ſit cum Romano jure conſonum, quid pugnans, aut alienum. Hoc ego opus Euſtachio ante annum perfectum daturum pollicitus ſum: & Camillum poſt illa ad Feudorum jura(uti ad poſtremam Juriſprudentiae partem) ſatis implicate & incondite uſque adhuc a quibuſcumque ſcriptoribus tradita, a me jampridem in facilem atque perſpicuam formam, ut mihi quidem videtur, redacta, deducturum, unde recta illi denique ad forum cauſaſque via pateſiat.

Hunc veluti ſuccum, & ſanguinem diſcipulo meo comparavi, fontes ipſos rerum, ac ſcientiarum reſeravi, & vias indicavi omnes, quibus ad ſapientiam juriſque ſimul ſcientiam iter eſſet: nec plura ingeſſi, nam ejus ſtomachum plura ferre non poſſe cenſui hac aetatula; ideo multa arcte ſatis expoſui, quaedam veluti per tranſennam tantum oſtendi, pleraque in aliam aetatem omnino rejeci. Nunc iſte (quod quidem ego bona fide affirmare poſſum) & honeſtus eſt, & ſatis jam diſertus. Juris porro prudens mihi videtur, ſapientiaeque ſemina tot jam in animo habere, ut ſi quae nos inchoavimus, & quorum veluti prima tantum lineamenta duximus, perficere ipſe atqne implere in reliqua aetate volet, quod ſane ſperamus, haud certe contemnendus Jureconſultus evadet, nec poſtremum in foro locum obtinebit. Denique ſi male me, & imperite, viri optimi, ac ſapientiſſimi, hanc rem ſuſcepiſſe, atque effeciſſe arbitramini, ignorantiae hoc meae, non improbitati, aut malitiae, oro,tribuatis.

Haec

Digitized by Google

Haec locutus volubili illa ſua & canora voce Modeſtinus pudibundus obticuit, vultu ſatis, geſtuque praeſeferens, nihil ſe ſibi adrogare, ſed de omnibus, quae dixerat, ſapientum illorum ſeſe judicium libenti animo ſubiturum. Nolim vero exiſtimes, amice, haec, ut ego modo tibi, ita Modeſtinum inoffenſo curſu eloqui potuiſſe, nam praeclari illi pluries eum non modo riſu immodico, crebriſque exclamationibus, quum quae diceret, inania iis, aut ridicula viderentur, ſilere coegerunt: verum etiam modo Rapidius, modo Voconius capita vix e patinis attollentes, dicentem obturbavere, abſonis vocibus inter mandendum quae dicebantur reprehendentes, & delirare illum, atque ineptire ferociter ſucclamitantes. Blandidianus quinetiam bis ſueto riſu in indignantis faciem converſo, miſerum Patrem, miſerioremque natum exclamaverat, qui ab amico domi tam familiariter, ac liberaliter habito peſſumdarentur. Unus Vulpinus conſtantiſſime conticuit; ſed adeo loquaci ſilentio, ut diſſentire eum manifeſtum eſſet, & ſupploſione pedum menſaeque crebris percuſſionibus indicaret ſatis, graviter ſe indignari, vicemque noſtram vehementer dolere. Ut vero ſiluit Modeſtinus, tunc, ut ventos narrat Virgilius, poſtquam eos AEolus aperto cuſpide oſtio libere vagari permiſit, qua data porta erupiſſe, aeremque, & mare horridis procellis miſcuiſſe; ita illos vidiſſes in Modeſtinum atrocibus conviciis, uno omnium continentique impetu, vociferantes incurrere, furentibus prorſus ſimiles: aſinum illum, belluamque pro Modeſtino appellantes, omnia illum foede corrupiſſe dicebant, nec prorſus quid forum, quid leges, quid Juriſconſultus ſibi vellet noſſe. Addiderant ſe ſe praeceptoribus ſuis diſcipuli, & acerrime praeliabantur tanta contentione, vocumque, irarumque aeſtu, ut Modeſtinus, quum non modo tot ſimul furentibus eſſet impar, ſed natura quoque a contentionibus, ſtrepituque maxime ab-

hor-

horreret, tanto impetu proſtratus, & rubore genas late perfuſus, clam ſe rabioſae turbae ſurripuerit, atque in intimum cubiculum abſceſſerit. Quod ut animadverſum ab illis eſt, ignaviſſimum illico, maximeque pavidum, nulliuſque precii Modeſtinum eſſe inter ſe effuſe ridentes jactabant; ſerioque triumphabant interea, quod hoſtem pepuliſſent, campoque vix primo incurſu, ac clamore adegiſſent decedere. Ingentem verò ſpem inde eſſe, me ejus alumnum in forenſibus praeliis fortiter olim eſſe verſaturum, ac gnaviter ſcilicet pugnaturum, quum Praeceptorem meum pulvere ipſo, armorumque crepitu, quum adhuc extra teli jactum eſſet, aufugiſſe, clypeumque trepide viderent abjeciſſe. Aegre autem revocato ſummis precibus a Patre in coenaculum Modeſtino, unuſquiſque pro vocis ſuae modulo buccis cibo oppletis vel redarguebat hominem, vel irridebat, vel aliquid ludibundus interrogabat; ita ut nec reſponderi quicquam iis, nec audiri quae dicebant, poſſet. Tandem vero (quum voce, & manibus nihil ageret) arrepto e menſa, & in altum ſublato linteo, pacem petentis ritu, ab eloquentiſſimis illis breve intervallum vix pater impetravit, quo ſilerent, atque eo tam opportune uſus eſt, ut aliquando malaciſſati, ejus audierint preces; legemque ſciverint, ut aetatis lege ſervata, junior ex iis primum adverſus Modeſtinum quae viderentur diſſereret: inde ſenior exciperet. His magno labore firmatis; *Rapidium*, quem caeteri aetate anteibant, quum modo pronus manderet, modo in cubitum aſſurgeret; in hanc fere ſententiam locutum memini.

Nil hercle mihi modo accidere potuit jucundius, quam haec aetatis praerogativa, qua primo mihi licet libere, ac per aliorum ſilentium in ingentem hanc belluam dicere. Rumpebar medius fidius, tales, ac tantas ineptias impune tandiu effutire iſtum, quem iterum, atque iterum ex animo belluam appello. An,

quae-

quaeſo vos, hominem eum dicemus eſſe, qui nil plane ſentiat, qui nec quid cogitet, nec quid loquatur, nec apud quos dicat, aliquid penſi habeat? Quid, malum, iſtunc tu, Euſtachj, tot inter doctos homines in hac tanta Civitate praecipuum ſeligebas, qui gnatum tuum, domumque, teque adeo ipſum peſſumdaret? Delirare vehementer mihi homo paullo ante videbatur, quum tricas ſuas, meroſque per Jovem labyrinthos loqueretur. Graecos, Romanos, Geometriam, Hiſtorias, Philoſophos, abſurdas equidem res, & putidas, nobiſque incognitas prorſus, & inauditas tanta iſte confidentia deblaterabat, quanta vix, ſi appoſite, & ad rem diceret, uteretur. Hunc ego non Juriſprudentiam modo ignorare affirmo, ſed & ipſa Jureconſultorum nomina. Audiſtis, viri clariſſimi, quos nobis pro Juriſconſultis ingeſſerit homo perditiſſimus? Atramannum, Pusdorfium, Zertenum, quos nemo noſtrum novit, nec audivit unquam. Ego quidem vicem hujus miſeri parentis graviter doleo, qui unde panem ſibi pollicitus erat, inde inopiam, & mendicitatem conſequetur. At ſtulte mihi modo in mentem venit hujus miſereri, cui hoc merito contigit, qui aſinum iſtum tam grandem cibo, veſtituque ſuo in ſuam perniciem aluerit: quum longe utilius egiſſet, ſi porcum domi aluiſſet eadem cura. Ab aſino, amabo, quid niſi aſinus efformetur! Et porro videmus, hunc aſellum nobili, ac ſingulari hujus magiſtri disciplina tumere, ac ſatis jam ſuperbire, caeteroſque omnes contemnere. Euge, egregie adoleſcens, fori ſpes prima, domusque tuae magnum decus, & praeſidium! Euge! Te ſcilicet quamprimum ſtupentes mirabimur in foro regnantem, tonantemque in judiciis, atque incomparabili eloquentiae, ſapientiaeque flumine nos omnes indiſertos, & inſipientes obruere. Haec te animo volvere, haec jam ſpe devorare te, ſupercilium iſtud tuum abunde indicat. Sed ſcisne, belle adoleſcens, quid te pro paterna amicitia fa-

ſamiliariter moneo? Si pane eges, ſi vere e ſoro panem quaeris, ſi jurisconſultus eſſe vis, omnia iſtaec, unde tumes tantopere, primo quoque tempore omnino dediſce. Evome propere, evome, quod imprudens hauſiſti; paupertatis perpetuae poculum; & te ſanioribus cibis, ſorenſique diſciplina confeſtim referci: & quaſi modo primum in literarium ludum inciperes ire, humanitatis elementa serio arripe, ac perdisce, quae sunt eadem ſorenſis gloriae, ac divitiarum itinera. Odio habe dum vives iſtum, qui te perdidit; & quum te, DIS bene juvantibus, tandem reſipuiſſe intelliges, caveto diligentiſſime a teterrimo iſto, ac maximo ſalutis tuae inimico, tanquam ab angue, & rabioso cane. En tibi, Camille, veros, & genuinos disciplinae, quam concupiscis, Praeceptores: hos audi, hos imitare, hos tibi exemplum propone. Ego, qui sum omnium revera poſtremus, quandoquidem primus loqui per aetatem debui, quaedam & leviora dicam, hi poſtea summi, doctiſſimique viri caetera, & majora.

Nec mihi modo longa oratione opus eſt ad inſtitutum, quod probo, & sequor, resque ſimul meas tibi exponendas: nec te tot barbaris perterreſaciam nominibus, quot Modeſtinus, immo Immodeſtus iſte tuus ſolitus eſt. Facile, atque expeditum eſt iter, ampla, & sane consularis via, nulloque negocio, ſi me sequeris, eò pervenire poteris quò contendis.

Principio illud ego jam mihi certum nunc sumo, quod, quae veſtra sapientia eſt, neminem veſtrûm, viri magni, inficiari poſſe reor; artem nempe, quam profitemur (quod quidem & in reliquis artibus aeque obtinet) pecuniam pro meta, ac termino habere. Eam per tot labores quaerimus; ad eam omnes magno conſensu properamus. Hoc ergo nobis videndum, & curandum maxime, immo unice eſt, ut quod tantopere concupiſcimus, quam facillime conſequamur. Multis multae di-

teſcendi viae fuerunt, ac ſunt, & quacunque nos in foro circumvertamus, plures ubique occurrunt, qui e sordido, obscuroque loco lauti, & opulenti dictum factum effecti ſunt per forenſem operam. Ego quid alii probent, quid faciant, quid ſequantur, non referam, nec ſi vellem plane ſcirem: mea mihi res ſemper eſt cordi, caetera negligo. Mihi vero Deûm munere accidit, ut hanc potiſſimum inſiſterem viam, ducemque illum invenirem, qui me huc perduxit, quò ſolus numquam profecto potuiſſem perrumpere. Nam, quum e prima jam adoleſcentia exceſſiſſem, nec locus, ubi conſiſterem, mihi adhuc in foro eſſet, in hominem ſapientem, & civilium rerum callentem opportune incidi, qui me ſtatim veluti filium complexus, compendiaria quadam via ad lucrum perduxit. Is aliquot mihi libros, quos per ocium legerem, indicavit; caeterum me, quod ſane maximum erat, in familiaribus colloquiis quod opus erat perhumaniter quotidie docebat: & quae ipse faceret, aut diceret, me ſedulo jubebat animadvertere; quod quum me diligentiſſime agere videret, laudabat, & arctius in dies amplexabatur, & adhibebat me in omnibus cauſis veluti adjutorem, & ſuppromum ſuum. Scribebam ego plurimum ſingulis diebus, hicque vel maximus noſter erat labor, nam libellos nemo uberiores dictabat: & mirum ſane eſt quam multa ſuſtineremus negocia, & quae hominum turba ad nos perpetuo concurreret. Nam praeterquamquod ſub galli cantum tercenti consultores ejus oſtium pulsabant: ut inde in forum magna ſtipati caterva deſcendebamus, illico ad illum undique confluebant complures viri nobiles, obaerati plerique, & decoctores, atque ab aliis Patronis deſerti. Hoc etenim genus hominum praecipuum ſibi ipſe delegerat: hos praeter omnes affirmans, quod verum eſſe & nos experti ſumus, ingenti lucro, magniſque bolis auctare Juriſconſultos. Magnus equidem, amici, fuit ille vir, & neſcio an alterum, quod

pa-

pace dixerim veſtra, unquam talem haec civitas tulerit, aut feret. Depopulantium quis quaeſo non novit? Videbam ego quotidie illum ita facile implicatiſſima quaeque negocia explicare; ita ſedate creditorum impetum, Judicumque eludere authoritatem: ita placide deſperatas res in tuto tribus collocare verbis, menſeſque, annoſque integros judiciorum caſſes effugere, ut plane mirarer, tantam in humanum ingenium cadere potuiſſe ſapientiam. Pro bibliothecae foribus, quam copioſam, & valde exornatam habuit, ita ſcriptum erat, hinc DA MIHI, atque inde AFFER MIHI. Quod ipſe ſaepe quaſi per jocum conſultores ſuos, ut lectitarent, monebat. Super ſellam vero in interiore cubiculo, unde ſolebat dictare, & quò vix ego admittebar, haec memini uncialibus literis memorabilia verba fuiſſe conſcripta CAPE. RAPE. CLEPE. TENE. HARPAGA. Nec mihi unquam tanti viri praecepta memoria excident; quaeque ille ſapientiſſime ſolitus erat dicere, dum vivam, recordabor. Praecipue vero ſingulare, atque acutiſſimum illud apophtegma uſque tenaci memoria retinebo, Patronum nimirum non tam cauſſae, quam quaeſtus ſui memorem eſſe oportere, atque ita clienti conſulere, ut ſibi maxime conſulat. Ab hac ego ſchola progreſſus ſum, ſi magiſtro meo minor, at certe ejus artibus in foro nulli omnino ſecundus: ut illum feciſſe memini, ita & ego facio, meque ita gero, ut tanto praeceptore haud indignus videar. Jam primum nil fruſtra facio, ſed omnia ad meum lucellum refero: clientes pro latifundio habeo, inde quidquid opus eſt ſumo: ſi utilis iis eſſe poſſum cum lucro meo, bene habet: ſin ſecus res ferat, ne gratuita opera ſit, habeo quid ſequar. Quid me torve aſpectas, Modeſtine? Philoſophetur alumnus hic tuus, Soliſque vias, aſtrorumque obitus noſcat, & ventorum naturam, reſque arcanas omnes: dum nos quae in propatulo ſunt cognoſcamus, nilque audeamus ultra faecem, erroreſque no-

Digitized by Google

noſtros. Ipſe nihilominus cum Sole & ſideribus ſuis, ut tu, tuique ſimiles omnes, valide ſemper egeat, nobiſque, fortuniſque noſtris invideat, neceſſe eſt. Ego vero, qui nec Trimoſtenem iſtum tuum, Modeſtine, nec Cicerionem unquam vidi, ignorantia ſcilicet mea fretus, aediculas jam, ut noſtis, haud parvas, nec ignobiles aedificavi, rus non modicum hic in Herculano comparavi, villamque ibi non contemnendam animi gratia extruxi, aurumque, & argentum ac ſupellectilem plane commodam habeo. Tu interea, Philoſophe, alges, & tibi nec ſervulus ullus eſt, neque arca, ubi palliolum illud tuum detritum reponas. Quum ego domo mane exeo, ad lucrum procedo: quotquot compello, cum lucro meo colloquor, nemini quacumque de re, ſed ejus reſpondeo marſupio: niſi me gratis fortaſſe pro ignotis laborare velit Modeſtinus. Et quis unquam, praeceptor meus ajebat, vel Judicem adeat, vel libros evolvat alterius cauſſa, vel ad lucernam ſcriptitans vigilet, niſi propter pecuniam? Quicumque me adit, amplector, non quae cauſſa ſit, non quo de agitur ſcire curo, ſed an largus ſit reus, & quid inde ſit mihi obventurum lucri. Si rem ad Modeſtini trutinam referre vellem, tot miſeros Cives opis meae indigentes ſuperbe ejicerem: & vix unam toto in anno cauſſam ſuſciperem, acriterque interea eſurirem. Non tacebis tu omne in aevum, Poeta? Hetruscos ad numeros egregie te cantillare reor:hoc age,caetera ne cures per Deos. Sine in ea nos arte nos exercere, quam novimus: ſine in judiciis & cauſſis pro experientia noſtra verſari, ut te nos patimur tam valide delirare. Nos quidem quoscumque ad nos confugiunt eò tuemur libentius, quò largius & ſaepius pecuniam ingerunt; jus, an injuriam poſtulent, Judicum id, per Jovem, officium eſt non noſtrum: modo argentum expromant, nihil omnino de caeteris aequum eſt nos eſſe ſollicitos. Ego quidem vendo laborem, vendo ocium, vendo vocem, vendo ſilen-

lentium : non me aliud juvat (haec nempe nobis ars , Modeſtine) , niſi operam vendere , & operae quam maximum precium accipere . Legimus quoque nos , & ſcribimus , nec ocio indulgemus : ſed quo id pacto faciamus , paullo poſt , quum de regulis meis loquar , exponam : nunc de mercimonio , ac mercatura mea , ut occoeperam . Vendimus enim quicquid emtorem invenit , ſed nil aeque noſtra intereſt vendere quam fucum . Quid hoc verbi eſt , inquiet iſte ? dicam ego tibi ; Fucum , o Philoſophe , appellare ſolebat Depopulantius ea , quae tu delicatule appellares mendacia , fallacias , fraudes . His ille ita abundabat, ut totus ex his factus videretur . Illum saepe alacriter pejerare memini ubi opus erat , & veritatem quotidie oppugnare , atque ob ea convicium fortiſſime & conſtantiſſime perferre . Tunc enim maxime exenterabat clientes , qui ſui cauſſa talia illum facere & pati , ſine ingenti lucro nunquam ſinebant . Ita vivitur ; hae nobis artes ; hoc omnes , ac noſter hic praecipue ſequitur Vulpinus : quem colimus, quem admiramur omnes,quem in Coelum ferimus . Habeo ego modo in manibus ſenem praedivitem , acheruntіcum , & jam capularem . Is cum fratris filio , qui unus ſibi e tota gente haeres ſupereſt , sane de lana caprina acerrime litigat . Ea quippe senis indoles eſt , ut quo die Judicem non vidit , eum male ſibi queratur periiſſe . Nonne obsequi , nonne velificari ejus voluntati debui , magno praesertim cum lucro meo ? Id nempe libentiſſime ago : nam ſiccum alioquin , parcumque ſenem , ſed litigandi avidiſſimum, per omnes judiciorum ambages circumduco , atque ita interea argentum in litem sumere jubeo , ac ſi in nuptias sumeret , victoriam oſtentando quotidie , meosque labores , qui porro haud maximi ſunt,mirifice ut decet magnificando . Adoleſcenti contra ejus fratris filio peculium carptim per crebra munuſcula excerpo , dum ſenis aetatem oſtendo , remque me ejus gratia perducere perſuadeo . Ita ego utrique amicis-

ciſſimus: idque ago diligentiſſime, ne forte e naxa mea effugiant aliòque lucrum deferant. Nonne haec bella ſunt, Modeſtine? Immo turpia tibi, videntur, qui Judicem illum in corde tuo habes, qui haec deteſtatur, qui ſemper adverſus nos judicat. Pudet ſane virum probum lucrum facere, & per noſtras artes comparare pecuniam: & non pudet quum quid comedat non habet, quum veſtitu, quo in publicum prodeat, caret, quum a piſtore pro tribus obolis in judiciumobtorto collo rapitur. Tunc te aequum eſſet pudere, aſine mi, graecis, latiniſque libris onerate, non quando nihil opus eſt, non quando id agitur, ut, magnos claroſque viros imitatus, pecuniam e ditiorum ſcriniis per ingenium, arteſque optimas in tuam crumenam deducas. Ego, qui ſanctum, ac venerandum Tribunal iſtud veſtrum (vah! Judicem formidandum) in animo non habeo, paucos intra menſes a ſicco hoc ſolummodo pumice tantum jam ſucci extruſi, ut non modo inde magnifice lectum inſtraverim, ac in tropaei modum, inauratâ ſuper impoſitâ machinâ,cooperuerim, ſed uxori quoque inaures adamantibus, & ſmaragdis diſtinctos, armillaſque aliquot ex eiſdem lapillis, accuratiſſimo, elegantiſſimoque opere perfecerim, aliaque multa inde etiam, DIS bene juvantibus, perficiam. Quod ſi me magnus iſte Philoſophus tuus, Euſtachj, nugas, & fabellas, ut Camillum fecit, docuiſſet, ſane modo cum liberis meis frigerem, & uxor veteri quopiam centone induta, me, meamque inertiam noctes atque dies, jejuna aut male paſta, merito accuſaret . . . .

Hìc, quum caeteri convivae arriſiſſent, quod Vulpinus veteri centone indutam Rapidii uxorem pluries olim se vidiſſe dixiſſet, quum Rapidius ipse sordido quodam palliolo involutus male interiorum veſtium obſcoenitatem tegeret; ſurgens Rapidius adeo acriter in Vulpinum invectus eſt, ut is modeſtiae oblitus ſuae, ac repente ad ingenium rediens ob iram, in quam poſtquam se largius

in-

Digitized by Google

invitaverat, ſat pronus erat effectus, impudentem, impurum, inverecundiſſimum illum, latronemque teterrimum, ac vere baratrum, ac voraginem clientum eſſe diceret, eòque acriorem in rapiendo, & expoliando modo eſſe, quo fuiſſet olim nudior, atque indigentior. Nec Rapidius tacebat, nam Vulpinum non vulpem, ut nomen ferret, ſed vere Lupum, furemque acerrimum eſſe jactabat, eoſque, qui in tam tagaces manus inciderent, expalliatos, expilatoſque diſcedere. His accenſi animi: & jam ſigna, jam arma inter verborum velitationem parabat uterque, ut alter in alterum impetum faceret; jamque impellebantur, ac ſubvertebantur menſae, ingensq; certamen inſtabat. Nec sane pugnantium ardor ulterius contineri potuiſſet (nam & utriuſque diſcipuli ſe ſe expedierant) niſi aſſurgens Voconius clamore ipſo ſtrenue fregiſſet homines; longeque plura, & atrociora in Vulpinum, Rapidiumque convicia ingeſſiſſet, amicitiae, paciſque conciliandae gratia, quam antea ipſi inter ſe hoſtili impetu effunderant. Heus vos, clamabat, ignavi, quid hîc vos, me, hiſque praeſentibus, auſi eſtis hujuſmodi turbas ciere? ſceleſti, propudioſi: quorum quidem nunquam cuiquam venit in mentem, ut recte quicquam faceretis. Eja conſidite, & tacete; veſtrae vos, noſtraeque dignitatis oblitos eſſe haud mirum eſt, ita nunquam quid ageretis, aut diceretis penſi aliquid habuiſtis. Agite jam conſidite, aut ego vos . . . . . Lupi vere, non Patroni, rapaciſſimorum rapaciſſimi. Dein preces minaces admiſcebat, alioſque convivas excitabat, atque hortabatur, ut ſecum idem agerent. Quibus etiam annitentibus pacta demum pax eſt, mutuoque fortiſſimorum virorum Rapidii, & Vulpini amplexu firmata. Ad hilaritatem inde, jocoſque deflexit convivium, plurima effutiente Voconio, qui laudantis ſpecie malum quidem, ac nequam hominem eſſe dicebat Rapidium, ſed longe nequiorem, atque improbiorem eſſe Vulpinum,

cu-

cujus calliditas inevitabilis, ac plane eſſet certiſſima. Hae laudes riſu plauſuque excipiebantur, gratesque Vulpinus, Rapidiuſque Voconio agebant, quod tantus vir tam bonam de iis opinionem praeſeferret. Tantuſque poſtea ſtrepitus inter bibentium, clamantiumque voces atque acres ſane contumelias, quas mutuo inter ſe per jocum jaciebant, exortus eſt, ut nec ſervuli patris vocem quae facto opus erant imperantis audirent, nec nobis, ne vicinorum quidem ſermonem liceret excipere. Vaſtus quidam boatus tantum exaudiebatur, voxque e plurimis vocibus mixta, unde facile quis conjicere potuiſſet, Rabularum Convivium eſſe. Quod quum nimis diu fieret, Pater, cui ego cordi eram, voce, manibus, pedibus tandem aliquando ſilentio a clariſſimis viris impetrato: Quid hoc rei eſt, amiciſſimi viri, inquit? An vos putem noſtri oblitos, cujuſque rei cauſſa huc invitati eſtis? Sane hunc, me oſtendens, vobis commendavi, iterumque commendo, ut ſapientià veſtrà frugi eum, utilemque mihi, familiaeque reddatis. Agite ergo, obſecro, quod humaniſſime doctiſſimus hic Rapidius inchoavit, perficite. Ad haec, quum Rapidius vix ſe extranea quaedam, nec rem ipſam reſpicientia dixiſſe impetu quodam in Modeſtinum affirmaret: nec adhuc prima elementa forenſis diſciplinae tradidiſſe, pluraque, & utiliora ſupereſſe: non ferens hominem Voconius, ſatis jam eum ſuperque turbellas, technaſque aperuiſſe ſuas inclamavit, nec reliquis opus eſſe. Sineret modo, Vulpinum aliquid de mirabili artificio ſuo dicere, ut tandem ad ſe, & Blandidianum, qui ſeniores eſſent, res rediret. Multa reclamantem Rapidium omnium conſenſus vicit, & vix aliquando Vulpinus ut me dedoceret, remiſſa voce, modeſtoque admodum vultu dicere aggreſſus eſt, nihil ſeſe alicujus laedendi ſtudio dicturum praefatus, ſed ſuae tantum ſententiae explicandae cauſſa.

Neminem enim, inquit Vulpinus, iraſci ego aequum eſſe

eſſe cenſeo, quod alius aliter ac ipse ſentiat. Porro ego, viri optimi, toto Caelo a Rapidio diſſentio, cui tamen me amiciſſimum eſſe, ut qui maxime, sincere profiteor; sed viam, quam ivit ipſe, ego profecto non irem, nec illum ei, quem diligerem, imitandum proponerem. Atque ut ego facile patior illum, quae optima ſibi visa ſunt, ſequi, ita mutuò eum paſſurum reor, me meis legibus mea regere: ſimulque pudori meo, ac fidei ſatisfacere, Euſtachioque noſtro pro filii ſui ſalute laboranti, quid probem ipſe, quid improbem libere, atque aperte ediſſerere. Et primum, ut hinc potiſſimum exordiar, quis veſtrûm quaeſo Rapidio aſſentiatur, Patronum (abſit, Rapidj, verbo injuria) quaſi graſſatorem, aut piratam aliquem, se litigatorum spolia tantummodo quaerere, palam profiteri? Sane durum admodum, & abſurdum videtur hoc; & neſcio an alteri tam prospere iſtuc, quam ei, & praeceptori ſuo, paucisque ex eodem furfure, proceſſurum ſit. Ergo, inquiet Rapidius, tu a lucro abhorres, litigatores ex animo diligis, ſerio, ac gratis pro iis angeris, teque, vitamque teris tuam? Nequaquam equidem: Nam & nos eòdem, quò Rapidius, tendimus, nec de finibus nobis controverſia eſt, ſed de modo. Et certe plurimum intereſt quo quid pacto facias, quæq; ſit tui hominum exiſtimatio; plurimum intereſt porro; nam inde eſt omnino ut diteris, ut in omnis generis deliciis vivas. Mox ego haec cujuſmodi ſint oſtendam; modo pauca quædam præfari opus cenſeo de Camilluli noſtri inſtitutione, quam ego non perversam modo, & inutilem, ſed maxime quoque damnoſam puto: &, ni propere adoleſcenti ſubveniatur, de eo reor brevi admodum omnino conclamatum iri.

Tu mihi hominem, Modeſtine, pace tua dixerim, qui ad mare ſit perducendus, per montium cacumina, valliumque anfractus ocioſe circumducas, eumque & tempus male perdere ſinas, &, quod longe eſt gravius, montanis, ac

campeſtribus aſſuetum itineribus, a marinae vitae conſuetudine adeo abſtrahas, atque abhorrentem efficias, ut, quum litus eminus multos poſt annos viderit, ipſo undarum ſtrepitu perterreatur, taedioque mero conficiatur, ac nauſea? Profecto adoleſcentes in forum, ut ita dicam, immittere opus eſt, inberbes & ſtatim ac paedagogum deſeruerunt: ut noſtris illis clamoribus, noſtroque pulveri aſſueſcant a prima ſtatim aetatula. Illic ſcientias, illic Eloquentiam, illic Jurisprudentiam docentur: haec illis optima diſciplina, haec rectiſſima ad proficiendum via. Dum tuus hic Camillus Hebraeorum, atque Aſſyriorum hiſtorias per ocium legebat, Paullinus meus ejus aequalis conſultoribus reſpondebat; matrique ſuae uxori meae jam tum pecuniam forenſi opera partam effundebat in ſinum. Poſt deinde, quum tu ad propiora tempora accedens Graecorum, Romanorumque mores alumno tuo atque inſtituta explicabas in cubiculi umbra, meus cauſſas dicebat, & inter doctos, & diſertos reponebatur jam, plurium judicio, vix viginti unum natus annos. Modo hîc nos quid de Camillo agendum ſit deliberamus, quaque ſemita in forum deducamus paventem, rerumque noſtrarum ignarum: ille ab hoc convivio abeſt, ut vides, negociorum multitudine diſtentus. An, quaeſo, ſi huic optimo viro Euſtachio optio daretur modo, ecquem ſibi filium dari vellet; huncne ſuum potius praeclara inſtitutione tua diſtortum atq;corruptum optaturum eum cenſes, an meum, etſi tuos iſtos clariſſimos Auctores, atrine an albi ſint, prorſus ignorat? Nec tu hujus ſolummodo temporis jacturam diſcipulum tuum facere curaſti, ſed prævidiſti ſedulo ne unquam quicquam, vel ſi ſexcentos vixerit annos, proficiat, ni a te protinus abſtrahatur. Philoſophum eum effeciſti: papae! optime factum. Legum conditorem efformaſti pro juris interprete: Eugepe! Quid praeclarius? Avaritiam omnem ei expectoraviſti, lucrique ei, niſi honeſti, amorem, & cu-

& cupiditatem abſtuliſti omnem. Vah! magnum hominem! at quid ego ſingula perſequar, quae tu modo nobis tanta gravitate obtruſiſti? Nihil hercle ex omnibus eſt, quod non ridiculum, non vanum, non damnandum ſit. Verum quid a te, amabo, ſperaret Euſtachius? Videbat, te cano capite alienae opis indigum, & Jurisprudentiam tot jam annis profitentem ne uni quidem unquam in foro adhuc adfuiſſe, nec a quoquam de trioboli cauſſa conſultum unquam, aut conſuli; & filium tibi nihilominus commendabat ſuum? Merito id ei evenit. Nam ſi in hoc is fuiſſet Euſtachius, qui in caeteris rebus omnibus ſolet, vel huic Voconio mirabili quidem viro, vel Blandidiano noſtro victorum victori, vel demum nobis, quamvis ſimus omnium poſtremi, inſtituendum filium ſuum dediſſet, non tibi, qui tute magiſtro, immo & pane egebas. Sed ne contra morem atque inſtitutum meum contentionis potius cupidus eſſe videar, quam hunc adoleſcentem docendi: age mi Camillule, animum adverte, & mihi, qui te tuamque domum enixe diligo, auſculta, hujusque magniloqui nebulonis nugas nihili pende.

Jam primum omnium tibi libros omnes de manibus excutio, & ad ocium revoco. Nonne hoc tibi jucundum eſt? Satis jam ſapis: immo ſatis jam tunc, quum quindecim natus eras annos, ſapiebas, naturae ipſius virtute. Deinde illico dediſcenda tibi illa omnia eſſe, quaecunque hic ingeſſit, edico: & caveſis, fili, ne quicquam unquam tibi ex iis, vel in foro, vel in familiaribus amicorum colloquiis excidat. Nam ſi aut Philoſophum, aut Poetam, aut e ſummis illis Juriſconſultis aliquem, ut ſuavis iſte magiſter tuus appellat, laudare te audiet in foro quiſpiam, plane occidiſti, & tecum ſpeſque, opeſq; tuae ſimul omnes tumulabuntur. Habeo cur ita ſentiam: nam plures novi, qui, quum alacres, erectique in forum egregia iſtac Modeſtini ſupellectile inſtructi adveniſſent, poſt paulo demiſſis auriculis ab omnibus contemti, & ir-

riſi foro indignati ceſſerunt; eòque demum eorum ſapientia recidit, ut per bibliopolarum tabernas, ac ſaepe etiam per tonſtrinas multis nos maledictis proſcinderent; noſtramque, & ſori vehementer accuſarent barbariem. Nos tamen ſi quando conſpicantur iſti ipſi eruditulí, oppido venerantur, ac ſi blandius, & humanius a nobis compellantur, in Coelum illico ferunt, noſtramque ſapientiam dilaudant, promtiſſimo, & uſque parato in quemquunque noſtrûm obſequio. Sed ut ad rem redeam: nimis ſane tibi oneris impoſuit praeceptor tuus: tot te libros vorare, tot per diverticula errare juſſit, antequam ad locum, quò tendis, pervenires. Fruſtra id quidem, & nil ad ſummam relaturum, etiamſi quam viam iſte commoſtravit tibi, poſſet te ad Juriſprudentiam ducere, quod prorſus fieri nequit.

Nunc ſi tribus libellis te ego Jurisconsultisſimum efficiam, eloquentiamque haud mediocrem comparabo, ecquid mihi, Camillule, a te erit precii? Si te voluptatibus frui, ſi genio, ut lubitum fuerit, indulgere ſinam, nonne gratior, utilior, & acceptior mea tibi diſciplina erit futura, quam hujus, qui te nimis in arctum cogebat, qui vitam ſuadebat agere nimis aſpere, & per Jovem neſcio an prorſus inhumane? At jam ad rem ipſam aggrediamur: atque illud ſis vide, Camille, quot in verba maximas, atque utiliſſimas res conferam. Principio hoc tibi praecipio (quod ſi ſapies aeternùm pectori infixum tuo ſervabis) ac diligentiſſime ſequendum propono; maximopere, Fili, labores oportet, ut probus, ut doctus videare; ut autem ſis, id enim vero, quantum quidem ad perſonam, quam ſuſtinere debes, pertinet, ſuſque deque habendum. Quantulum, quaeſo, hoc videtur quod dixi? At mirum profecto quantum hoc, & quam ingens revera ſit. Expertus loquor, plurimarumque rerum diutina experientia didici, hominum bonam de nobis opinionem uberrimum, ac certiſſimum quaeſtum eſſe; bonamque hanc opinionem

fa-

Digitized by Google

facillime, nulloque prorſus labore, paullum modo intendas animum, parari. Nota vobis loquar, clariſſimi viri: quaeque omnes ſcitiſſime facitis, ego, qui eadem imperite ſequor, modo proloquar. Quam difficile factu eſt, Modeſtine (ut aliquid modo de hoc genere deguſtem) quod nonnulli aud contemnendi viri ſequuntur, inflexo collo incedere, oculos demittere, quodvis ſacrum ſignum, aut tabulam modeſte venerari, Deum uſque in ore gerere, parce loqui? Quid illa tibi videntur, quae a ſummis plane Jureconſultis ego fieri didici, noſtrates Juriſconſultos tertio quoque verbo laudare; vel ſine cauſſa, & ſine ratione ultro eoſdem (at inter imperitos) reprehendere: librorum, chartarumque aggeres hic illic domi diſponere: ſemper occupatum, ſemper graviore quopiam negocio ſe diſtineri dicere: raro faciles aditus, plerumque brevia alloquia praebere: numquam dilucide, & clare ad propoſitas controverſias reſpondere, ſed ambigue ſemper, & perplexabiliter: quicquid alius quiſpiam Patronus dixerit, id ſe ſe longe melius ſcire praeſeferre, & quaecumque ad rem faciant, optime ſe callere ſedulo aſſimulare: caeteros ita laudare, ut contemnas, ſemetipſum ita contemnere, ut laudes: aliena mendacia acerrime deteſtari, ſuis opportune, & cum gravitate uti. Vetus haec quippe diſciplina, & felicibus ſemper eventibus confirmata. Quid multa? nil profecto tam facile fit, nihilque ſimul nos tanta afficit delectatione, quam, quum decipi homines nutu ipſo conſpicimus, celeriterque ad omnem orationis noſtrae auram circumverti. Pecuniam interea ejuſmodi Oratores, quantam quidem libet, a conſultorum arcis excutiunt: nemo etenim gravem virum, veracem, doctum, ac Deorum verentem ne adire quidem audet ſine pecunia, non modica illa quidem, ut cum Rapidio fit, ſed plane grandi. Res agitur, Judices docentur, ſcripto cauſſa mandatur, agiturque demum in Conſilio: per omnes cauſſae gradus ju-

jure merito pecunia extruditur a litigatore: quum vero acta eſt, tunc propter honeſtiſſimum laborem fundos integros, tunc aedes juſtiſſimo lucro conſequimur; paullo quidem amplius ſi victoria ſecuta ſit, parcius aliquanto ſi cauſsâ litigator ceciderit. Nil de nobis loquimur, nullo enim numero sumus: de summis iſtis Patronis mihi modo ſermo eſt. Hoc sane iſti pacto diteſcunt, Modeſtine; nec iis unquam curae eſt, quum cauſſam aliquam suscipiunt, quid iſta officia tua ſibi velint, inspicere, nec cujus generis lucrum ſit quod faciunt; sat enim honeſte fit, quicquid fit cum lucro. Sciunt enimvero haut paullo ſatius quam vos, quid ipſi praeſtare debeant: abundeq; fieri ſi consultores attente audiantur, scripto quae oportet (quam rem plerumq; oscitanter usu ipso edocti eorum peragunt discipuli) diligenter mandentur: tum per Judicum domos circumire, clamare, & cum adversariis acerrime digladiari. Poſthaec, Djs hominibusque jubentibus, pecuniam accipiunt, nil hercle de reliquis rebus solliciti. Nec magno labore ſtat nobis quae audiſti, Modeſtine, exequi. Nam, ita me Dj bene ament, faveantque, ut nec sudare nobis, nec algere opus eſt ad omnia, quae negocia, & cauſſas respiciunt, efficienda. Sedemus plerumque domi oscitantes, vel placide deambulamus, dum mente animoque, quae dicenda, ac facienda sunt, volutamus, isque nobis maximus eſt labor. Quum domo prodimus, rheda ſemper vectamur: quum vero ad Judicem ventum eſt, tunc raro meditati profundimus quaedam, vocemque extollimus aliquando; irascique etiam, atque indignari in cauſis defendendis videmur. Oratoris proprium id quidem: at nunquam ſerio perturbamur: sed pecuniam, quae nobis jure debetur, expectamus.

Scribendum vero vobis saepe eſt, inquies Modeſtine, doctisq; respondendum adversariis: quid tunc ergo facitis cum ocio, & negligentia veſtra? En tibi, Philosophe, quomodo iſtuc fiat; & noſce ſimul quid nos inter & te, tuiq; ſimiles inter-

terſit: nam quae vobis difficilia, vixque fieri videntur poſſe, nobis plana ſunt, atque ea vel dormientes exequimur. Nos omnium primum illi ipſi, quorum de re agitur, cauſſas suas docent, scriptasque plerumque magnam partem afferunt. Deinde disciputi noſtri quamplurima (ad rem necne parum refert) a Jurisconsultorum libris excerpunt; poſtremo & nos aliquid invenimus, atque excogitamus, quod maxime consonum rei videtur: atque ita, omnibus his coagmentatis, pulcherrima de jure responsa edimus, egregieque nos in foro venditamus; eloquentesque etiam, ac copioſi, quum cauſſas dicimus, nec fortaſſe injuriâ, perhibemur. Novi ego claros quosdam Oratores mira quadam arte haec insuper concinnare & componere. Nam, quum nunquam in cauſſis nimis allaborare eſſent soliti, ita tamen se gerebant, ut viderentur semper in negociis & cauſſis mente & animo haerere. Modo acriter perterrefaciebant litigatores, veluti desperatis rebus: modo ad spem derepente erigebant, quaſi aliquid inveniſſent, quod eorum cauſſas in vado poneret. Interdum etiam memini, cate eos valde se sollicitos aſſimulaſſe pro alicujus cauſſa, noctesque aliquando integras eorum gratia in bibliotheca vigilaſſe. Quibus, optimis sane, artibus illos vidi ad summas opes, summamque in foro auctoritatem pervenire. Haec ita fieri aequum eſt; nec ſi nos eatenus laboramus, quatenus opus eſt, non ultra, reprehendendi ideo sumus. Nam ſi quis digito uno ſaxum movere poſſit, accuſandus eſt, quaeso, quod non ambabus manibus idem illud effecerit? Scimus nos fori noſtri indolem: novimusque, eam demum veram sapientiam eſſe, quae prudenter hominum erroribus uti calleat, eorumq; ſtultitiam, & credulitatem in proprium lucrum convertere. Paullinum meum non ego, sed ipsa natura, quæ præceptor quidem longe omnium eſt sapientiſſimus, quae in rem facto opus eſſent, docuit. Nam eum ego videbam, quum primum ad res gerendas acceſſit,

pro-

properare ſemper, & per forum volitare codicillos manibus geſtantem, ut negocioſum ſemper & occupatum crederes, & cum occurrentibus amicis nuſquam conſiſtere, vixque ſalute data acceptaque abſcedere, quaſi negocii cauſſà. Domi eum gaudebam, quum ibi magna conſultorum turba adeſſet, in bibliotheca, quam ampliſſimam comparavi, deliteſcere, libroſque modo hos, modo illos verſare, atque excerpere ſe inde quaedam ſimulare; inſpectantibus, ac plaudentibus qui aderant; quum ego illum identidem peramanter, iiſdem audientibus, increparem, quod nimis intemperanter laboraret, nec ſe reſpiceret, ſalutique conſuleret ſuae. His artibus, atque hac ſapientia potiſſimum, quam nemo ſanus non laudet, brevi eum Jureconſultum, ac Oratorem hominum opinio effecit:mihiq;eum ego negociorum haeredem in foro jam deſtinavi, ut bonorum meorum, ſi Deus opt. max. ſinat, teſtamento inſtituam. Ille vero tot inter negocia ocio diffluit; & qui ſemper a putidis veſtris literulis, Camille, prorſus abhorruit, nunc, nullo prope libro perlecto, apprime doctus eſt, juriſque ſane ſcientiſſimus.Quid ita? Forum quippe ipsum Patronos efficit, Modeſtine, non labor iſte tuus improbus, ac intolerandus: ſcribendo, dicendoque doctiores quotidie efficimur, agendo agere diſcimus, & loquendo bene loquimur. Sed ut ad Paullinum redeam; is tot maximos viros imitatus, tanta jam probitatis fama merito eſt, ut nec adverſarius aliquis eum, nec Judex mendacii unquam inſimulare audeat, aut quippiam per calumniam agere. Ille vero quae in rem opus ſunt, probe novit; nec juvenis a ſenioribus unquam per Deos decipitur, meaque ita jam veſtigia urget, ut me magiſtrum, parentemque, ac praemonſtratorem ſuum jam jam praetergreſſurus videatur. Haec porro compendiaria, vel, ut verius loquar, recta eſt via; hac perducendi adoleſcentes, non per anguſtam tuam, Modeſtine, ſentibus obſitam, quae exitum plerumque non habet. His

His dictis Vulpinus, aliam veluti ex integro orationem ordiri volens, in cubitum ſe reclinaverat, quum Voconius, morae jandudum impatiens; satis jam, inquit, ſatis, Vulpine, inaniis tuis aures noſtras oppleviſti, jam locum & aliis loquendi relinque. Arcana ſapientiae tuae didicimus, quove pacto ſine labore, ac lectione ulla ad iſtum faſtigium conſcenderis: ſine modo, & nos hiſcere, nec integrum tibi diem aſſumas. Loquamur & nos aliquando: & ſi minus artis, & fallaciarum in medium adducemus, plus itidem afferemus fortitudinis, & ingenui laboris. Ridiculum plane fuit, Pansute, Vulpinum cernere torvis oculis Voconium intuentem, dimidiata quaedam verba proferre, & loquenti ſimilem, ac excandeſcenti, intervalla Voconiani ſermonis captare, ut quod meditatus erat diceret, quod numquam eum acerrimus ille rabula aſſequi ſivit. Nam impetu quodam, aeſtroque abreptus, inflammatoque ore, Blandidianum intuens, Vulpinum averſatus, non loquebatur, ſed plane latrabat, illumque, qui ſe non Rapidium eſſe, ſed Vulpinum dicebat, ita acribus repellebat maledictis, ut nimius, ac intolerabilis omnibus videretur. Demum non voce, ſed ſtrepitu, crepitu, ſonitu tam valide tonuit, ut ſilere tandem Vulpinus coactus ſit, & ipſe victor, per omnium ſilentium, ita fere locutus eſt.

Quid mihi modo, Blandidiane, auctor es, ait Voconius, an ut putidam, & inertem vulpeculae hujus malitiam confutem, an rectà ad inſtitutum meum pergam? Sed quo ego pacto poſſem, tot pueriles captiunculas, tot ridendas fallacias ſummi hujus magiſtri ſilentio praeterire! Videbam ego hunc in foro maxime ſecundo vento ferri, & ſaepe ſocium egomet ipſe in cauſſis eum advocabam, ignarus artium ſuarum, quave ſapientia tantum in judiciis poſſet. Nunc nec inaniorem quempiam, nec ignariorem in univerſa Civitate novi, ipſoque pejorem vix hunc Rapidium noſtrum. Attamen hic tam

bellus Patronus fucum omnibus mirifice facit,atque os tot ſummatibus viris ſublinere facete callet. Tu mihi audes, inepte, Jureconſultum, & Oratorem profiteri, qui quid lex ſit, quid judicium, quid forum ignoras? En vobis ocioſum, & nihilominus magnum Patronum: Ecce qui roſas inter ac pulvillos nobis de jure ſibi ignoto reſpondeat. Militare oportet, Vulpine, ſtrictoque gladio in judiciis verſari: magnorum Jureconsultorum opera non lectitanda modo, & ſaepe conſulenda, sed pene dixerim ad verbum omnia ediscenda. His praeſidiis fortiter in campum descendendum eſt, collatisque ſignis cum hoſtibus dimicandum. Scitum hercule, & mirabilem Jurisconsultum Vulpinum! Qui in quovis circulo, in quavis ſtipulatiuncula decipiatur. Hoc nobis, qui aliorum patrocinium ſuscipere profitemur, videndum, hoc ante oculos habendum maxime eſt, ne a quoquam ulla in re unquam circumveniamur: ſed debemus magnum, uti eſt, & glorioſum putare, quoscumque poſſumus, per doctos dolos, jurisque peritiam circumvenire. Quod certe nunquam fieri poterit, niſi patria jura, & leges teneas, niſi contractuum omnium anfractus calleas, niſi formularum, & verborum, quae usquequaque quibusvis in negociis adhibentur, vim, flexus, ambiguitates intime ſcias. Hinc maxima illa in foro auctoritas oritur, hinc hominum admiratio, hinc juſta sapientiae opinio. Sapientes nos conſultores noſtri vocant;& quo jure ita nos appellent, ſi res ſuas procurantibus nobis, in laqueos incidant adversariorum, vel quod lucri facere potuiſſent, per noſtram inſcitiam amittant? Ego mediusfidius plus librorum pulveris sorbui, quam vini: noctesque integras somno me abſtinuiſſe memini,ut litigatorem vel a moleſto petitore per legitima effugia (non ut vos ineptiſſimi conſueſtis) liberarem, vel tutum adversus inevitabilem aliquam actionem redderem. Rapidius haec aperta fraude, & spurce aggreditur; Vulpinus noſter fabre magis conſutis dolis:

ego

ego ut Juriſconſultum decet. Judicem ego doceo, vos fallitis: me ille admiratur, legesque quammaxime callere praedicat; vos contemnit. Scio me cum praeceptoribus meis loqui, vobisque ſupplico ne calorem meum, ſecus ac par eſt, interpretemini: habeo enim hoc a forenſibus praeliis, aſſiduaque concertatione; nec me, ut taceam quicquid in buccam venit, poſſum comprimere. Et quis, quaeſo, tam ſaxeus unquam, ac ſungus fuit, qui haec audiens, quibus tandiu jam aures obtunduntur meae, ſe continere potuiſſet? Parcite ſi quid dicam aſperius, atque in bonam potius partem accipite. Nunquam ego, libere fateor, ineptiores ineptias audivi, nec tam ſerio, ac veluti data opera viros ſenes, magnaque auctoritate insanire. A Modeſtino initium ineptiendi factum eſt, quem porro, ſi tacuiſſet, tam ego ſtultum numquam credidiſſem: Secuti eſtis vos imitatione credo viri, vel potius aemulandi ſtudio accenſi. Atque hoc mihi ſolum illius inter ac veſtram inſaniam intereſſe viſum eſt; quod vos, quum indoctum omniumque bonarum rerum inanem veſtris praeceptis efficeretis Camillum, aliquam tamen ei, licet improbam & immundam, ad lucrum commoſtraſtis viam. Philosophus vero iſte egens, ac ventoſus, non ſpem modo ei omnem proficiendi abſtulit, ſed radices quoque ipsas ſpei excidit: ut aeque poſſibile ſit Camillum Patronum evadere, ac Rapidium se se a ſurando abſtinere.

Et mirum profecto eſt, ut hinc potiſſimum incipiam, tantum a recta via deerraſſe Modeſtinum: qui mihi ignarus quidem & inſipiens ſemper viſus eſt, numquam vero tam amens, ac furioſus. Euge Modeſtine! Huic hercle tradas, ſi quem recte inſtitutum velis. Si tibi quispiam, fatue, nauclerus eſſet efformandus, num illum pro thalaſſica arte, Aſſyriorum, ac Graecorum ritus, ac caeremonias doceres? Si ſutor, ſi tonſor quis eſſe vellet, num eos vel latum unguem a ſutoria, ton-

ſoriave re divertere ſineres ? Quis ſanus unquam de his dubitavit ? An tu aliquid differre putas tonſoriam, ſutoriamque artem ab hac noſtra ? Unum prorſus ſunt omnes artes, eodemque pacto perdiſcuntur. Ego Deos omnes, hominesque teſtor, hac aetate qua ſum, nihil niſi modo de Graecis, Hebraeisque iſtis tuis unquam inaudiſſe. Porro propinquum quendam meum, virum bonum & ſapientem, dicere saepe memini, se honeſtatem aliam (quam tu tantopere Camillo commendaſti) non noviſſe, quam foeminarum, quas honeſtas eſſe debere didicerat. Nihil ignorare alumnum ſuum voluit Modeſtinus: at fuiſſet satius, ſi eum, unum ſcire docuiſſet, nimirum quo pacto pane, quo eget, abundaret. Iterum juro, me cano, & calvo jam capite nec Cajacium, nec Daniellum, aut Vottomannum, Sturdorſiumque, ac caetera barbara plane & ignobilia nomina, ne eminus quidem unquam ſalutaſſe. Novi ego veros Jurisconſultos, qui fori arcana funditus patefaciunt, qui supremorum Conſiliorum res judicatas in medium afferunt, qui quaeſtiones omnes forenses, ut magiſtros decet, explanant; quique demum ita plane, ac dilucide loquuntur, ut vel ſeptuennis puer poſſit intelligere. Me a tertia verborum activorum regula ad Muscatellum rectâ memini a prudentiſſimo Patre meo fuiſſe translatum; nec aliquam mihi ex tam multis, quas miſer iſte Camillus subiit, moleſtiam in ſtudiorum meorum curriculo occurriſſe. Ab hac inſtitutione, non verba ego Judicibus affero, ſed res, ſed Scriptorum graviſſimorum auctoritates, sed summorum Collegiorum consulta. Clamo, irascor, ſtrepo, perterrefacio, ac frango Judicem: doceo quid ei faciendum ſit, normam, ac regulam judicandi trado. His artibus vincere preclarum eſt, hisque triumphare. Perculso, ac dejecto adversario, Judicibus pavefactis, nonne se se efferre, ſibique ipſi plaudere, aequum eſt ? Bellulus iſte noſter Vulpinus, pallio ad pedes demiſſo, magno, magnique precii capillamen-

to

to caput ornatus, graviter incedens, verbaque parce diſpenſans, per forum incedit quaſi aliud ſemper agens, maximaque mole curarum oppreſſus. Rideo ego hominem, & palam ſaepe laceſſo: at ipſe falsò ſubridens (nimis enim eſt mortalis doctus, nimis verſutus, nimis malus) me praeterit caput quaſſans, felicem me, atque ocioſum appellans.

Ego exporrecta ſemper fronte ; ac plerumque clamitans incedo: Jureconſultum me profiteor, & revera ſum; ſcio fallere, ne hoc tibi proprium ſumas Rapidi; ſcio atrum pro albo ſubdere, ſcio denique quicquid eſt opus: at omnia iſtaec non ut vos, ſed, ut ſcire Juriſconſultum decet, ſcio. Nunquam a legibus diſcedo: nunquam ſine Scriptore aliquo loquor: expugno auctoritate Judicem, qui mihi, velit nolit, plerumque aſſentitur. Audiſtis vero Modeſtinum dicere, ſe valde anniſum fuiſſe, ut loqui Camillum doceret? Nos ergo, qui in hunc tantum magiſtrum non incidimus, quomodo loquemur, obſecro? Quid ais bucco, blenne? Quaſi mutos nos, ineptosque ad loquendum, veluti ſaxa & truncos, Natura effudiſſet, ita nos loqui diſcere jubes. Canis latrat, Paſſer pipilat, Corvus crocitat ſine magiſtro; nos vero homines, in poſtrema animalium forte nati, ſine magiſtro loqui non poſſumus. O ridiculum caput, & plane infeliciſſimum! Ego quidem loquor; (velles credo mutum eſſe me modo) ac me dicere aud inepte, Judicumque, & coronae tenere, ac permulcere aures intelligo: & ſane affirmo, imparatum me plerumque accedere ad dicendum, &, quicquid nativus ille impetus meus ſuggerit, effundere, nullo unquam delectu verborum adhibito: nec curo, aut curandum adeo cuiquam cenſeo, quo pacto Hetruſci loquantur; ſicut eos quomodo nos loquamur viciſſim negligere pro certo habeo. Vernaculum ſermonem vehementer reformidat Modeſtinus; at ego famem vellem, & inopiam magis ti-

timuiſſet. Quaenam eſt iſta tandem laus pure loquendi? ſi de mero ſermo eſſet, intelligerem, at de ſermone quis tuam aſſequatur mentem? Quatuor nos hic adſumus majorum gentium Patroni, tot jam annos cauſſas dicimus, tot jam alios dicentes audimus: ecquem, obſecro vos viri lectiſſimi (praeter aliquem ex eruditulis iſtis, qui Franciscum Andreæ ſecuti ridicule ſane ſe ſe in foro ac fruſtra jactant) ecquem, inquam, Patronum purum iſtum Modeſtini adhibuiſſe meminiſtis ſermonem? Iterum dico, quid merum purum ſit omnes novimus, ſed quid iſta tua pura verba, ignoramus. Et dicere, & ſcribere, diuque de qualibet quaeſtiuncula commentari docuit te praeceptor tuus, Camillule: mirum ni, & memoriter eas ediſcere juſſerit. Nos quidem, qui ternas, quaternaſve majores cauſſas, pluresque etiam minores, trium horarum ſpatio ad clepſydram dicere ſaepe ſolemus, ſapientiſſimum iſtuc magiſtri tui praeceptum ſequi non poſſumus. Ad inſtar militum nos ſumus: ut increpuit tuba, illi in aciem deſcendunt, manuſque conſerunt: nos, ubi Accenſus ad Judicium magna nos voce advocavit, accurrimus extemplo, animiſque, voce, legibus, clamore decertamus. Suave etenim fuerit, ſi quum ad dicendum appellati ſumus, imparatos nos dicamus, nec probe meditatos, & commentatos, nec verba adhuc ad eam cauſſam apta, atque ad Modeſtini trutinam examinata, delegiſſe. Quis nos ferret? Aliud in umbra ſedentes ocioque difluentes magiſtri imperitis adoleſcentibus venditant; aliud omne nos in acie ipſa, & certamine ſervamus.

Et quando opportunum nacti ſumus locum, ubi libere de rebus noſtris loquamur, audi Camille aliquid, quod te in viam poterit aliquando reducere, ſi gnaviter inſiſtas, & animo, viribusq; omnibus incumbas. Audi meam forenſibus in praeliis conſuetudinem. Nunquam ego, niſi quum res praeſens requirit & cogit, libros in manus ſumo: plerunque ubi

ubi negocium urget, primum omnium cauſſas, de majoribus loquor, pluries a conſultoribus ipſis audio; reſq; quas afferunt, memoria comprehendere ſatago: id enim mihi ſatis, ſuperque eſſe ſolet ad cauſſam defendendam. Ubi cauſa agenda eſt, quo de agitur conſidero, ſi vetus mea & quotidiana ſupellex ad eam ſatis eſt, nil ultra conor, sed rectà ad judicium pergo, ſcriptoque, quae in rem opus ſunt, celeriter mando. Si obſcurior, atque implicatior res eſt,aliquem Scriptorem raptim conſulo,indeq; tantum corrado,quantum opus eſt: oportet enim utique, magnis in cauſſis aliquid novi afferre: in mediocribus enim, & modicis omnia ſemper de meo penu depromo. Si teſtamentum impugnandum eſt, de teſtamentis continuo quaecumque memini effundo, illudque quo de agitur, nullum, aut falſum aſſero; cur id affirmem non floccipendo, nec ad rem id mehercule pertinet. Si adverſarius acer eſt, tunc tertio quoque ejus verbo obſtrepo; quidquid occurrit objicio; & rem ſtatim clamoribus involvo; tum caute me demum ad teſtamentorum materiam, tanquam ad arcem meam, refero, illudque teſtamentum, quod in quaeſtionem venit, a Judicum oculis prorſus eripio. Inde quaſi e ſpecula rimor quid rerum agatur. Si me nihil agere intelligo, nec Judicibus ſatisfacere, tunc enimvero tempus extrahere annitor, ne ſententia ea de re illo die ferri poſſit, utque ſimul cauſſam rurſus pertractem melioribus avibus. Si vero bene rem mihi video procedere, vel bonitate cauſſae, vel adverſarii infantia, vel Judicum inclinatione: vela tum celeriter colligo, & plurima me omittere clamo, ne quae notiſſima, atque apertiſſima ſunt doctiſſimis viris importune inculcem. Idem omnino ſervo, ſi de donatione aliqua, ſi de mutuo, ſi de quovis alio contractu, aut controverſia agitur: nam ſemper de genere quam diutius poſſum loquor (quod hercule nulli niſi juris peritiſſimo facere licet) parum de causa , quam adverſarius ipse docet,

cet, vel Judex rogando, aut objiciendo. Hic porro verſuto, & ſolerti mihi eſſe opus eſt; nusquam namque haerere debeo, nunquam nihil reponere, nihil omnino quaſi novum, & inauditum mirari. Si nihil ſuppetit probabile quod respondeam, tunc, me quaſi colligens, longe repeto argumenta, & veluti responſurus, ex integro rem aggredior, ſenſimque ad moenia mea revertor, unde me facillime, cauſſamque tueor, donec hora sublabitur, & ad alium diem res rejicitur. Eximus inde e Judicio, ego hilaris, & clamitans, adverſarius nauseans, & moeſtus; mihi omnes in Jurisprudentia (nec immerito) primas dant, qui tandiu de jure, tamque varia perlocutus ſim: adversarium contemnunt, qui cauſſae solum innixus, pauca, & trita protulerit.

Eja quid agimus, Modeſtine? Ecquandonam erit, ut filius iſte tuus, ita enim eum paullo ante vocabas, hujusmodi inceptet facinora? Quaeret is ex Pandeſtis, & Codice leges; ex ignorabilibus tuis Jurisconsultis loca conquiret, ut vel donationem subvertat, vel teſtamentum defendat. Quod quum fecerit, verba miſere conquiret, ordinem commentabitur, verum a falso dijudicandum summa sollicitudine suscipiet, ne in tua praecepta infelix committat. At scine quid accidet? quum haec sua tam serio meditata in Forum adduxerit, risum scilicet movebit auditoribus, qui adhuc eum puerum eſſe, & scholae rudimentis, & umbratilium Scriptorum amoenitatibus uti succlamabunt, propter meliorum ignorantiam. Et quisnam unquam, niſi tu, id non videat, tuis iſtis armis vanos ictus ferri adverſus homines viva Jurisprudentia eruditos, ac veterana fortitudine invictos? Animadvertere enim jam, niſi plane fungus es, e ſermonibus noſtris potuiſti, Philosophe, quid requirat forum, quid respuat. Et ſi non convivalis hic sermo eſſet, sed ociose tecum pro arbitrio colloquerer, alium sane brevi te hominem efficerem: non jam

jam ut Patronus, ſaltem unus e multis, evaderes, quod nec expectandum amplius eſt, nec poſſibile: verum ut tute ipse confiterere errores tuos, omniaque, quae alumno iſti tuo, quo nihil eſt hercle infortunatius, obtruſiſti, ſtatim ut dediſceret, juberes. Crede mihi: Sex tu annis aſellum hunc satis rotundum efformaſti, ſex ego diebus eundem aud contemnendum Patronum efficerem. Et hoc mihi jure meo arrogo, nec glorioſi notam pertimeſco.

Maximae, ut vides, ad me cauſſae deferuntur, ſummatumque virorum oppletae ſunt a primo usq; diluculo aedes meae; quotidie, modo ſaltus ſit dies, in foro pluries dico; quotidie plurium Judicum domos circumeo, eosque, ut noſtra fert conſuetudo, vel cauſſas, antequam in Conſilio agantur, doceo, vel ab iis ipſis ex tempore decidendas propono. Quantum hoc eſt, medius fidius? Certe in his domeſticis praeliis plus nervorum, & virium ſaepe requiritur, quam in ipſis ſubſelliis. Sane ibi, nec quò effugias ita paratum habes, ut in foro; nec tempus facile deeſt ad res ad calcem perducendas. Adverſarius inſtat, urget, cominus pugnat: Judex domi ſedens, ocioſus, idque tantum agens: corona electorum virorum adeſt, qui in loquentem intenti, quicquid dixeris, illico arripiunt, notant, traducunt. Huc nempe deſcendat delicatulus iſte diſcipulus tuus, Modeſtine, cum ſuis Aſſyriis, vel cum Cajacio, & Daniello. Palleat primo occurſu, & male nauſeet neceſſe eſt, tenebraeque mox ejus oculis, atque animo offundantur. Cuicumque ex his alumnis meis ita facile cedet, ut feli mus miſer ſolet. Mihi vero ludus iſte profecto eſt: nam ex eodem penore tunc ſumo, quod opus eſt, unde in foro ipſo ſoleo. Obruo ſtatim adverſarium clamoribus; adducendis, ac recitandis magnorum Jurisconſultorum locis protero; rationibus ab intima Jurisprudentia proculco; vix eum loqui ſino; contemno illico quidquid dixit; rideo, nutu, geſtu, ira de-

deturbo hominem de propugnaculis, meque ita magnifice inſero, ut voce ipſa, oculiſque Judici fidem faciam, me ex ſacrario legum veritatem ipſam proferre. Abundamus rerum copia, dicimus quae millies jam diximus, confidimus artibus feliciter toties expertis. Et ſi quid aliquando deeſt, ad oratoria ſchemata convertimur, & Scriptorum locos extemplo cudimus; res judicatas ſupponimus; omnium Auctorum conſenſum objicimus; facta inficiamur; graviter indignamur, & quaquaverſum nos vertimus, ne muti, paventeſque ab adverſario conficiamur. Illa ipſa dicendi libertas, atque affirmandi confidentia ſine alio adminiculo, etiam ubi aperte tenemur, Judicem aud raro, atque auditores dubios efficit; ita ut ſaepe non ſolum,nobis dicentibus, pactum non pactum iis videatur, non pactum vero pactum: ſed fiat quoque, ut id, quod vident, ne videant, quodque audiunt, ne audiant. Rideo ego quos mea de jure responsa sedulo conquirere video; ut inde ſcilicet arcana forenſis ſapientiae aſſequantur. Et quid ni rideam? Pectus hoc iis recludendum eſſet, caput hoc interius explorandum, ubi noſtrarum artium ſedes eſt, ac domicilium; fruſtra ſane haec ſtulte quaerunt, ubi non ſunt. Ut dico, ita ſcribo, nec in scriptura mea quicquam ultra apparet, quam in oratione. Neſciunt homines quid fiat, & cur; atque eos id neſcire aequum eſt, quum ego, qui ſcire debeo, plane aliquando neſciam. Procellae me comitantur, ac nimbi; obcoeco pulvere ipſo adventus mei adverſarium, quem deinde graviter affligo impulſu vocis, atque impetu Juriſprudentiae. Memini ego, me aliquando hunc Rapidium, quum magna res apud Judicem domi ageretur, ita calide excepiſſe, tantaque vi, clamorumque Auctorumque turbine in hominem incurriſſe, ut ipſe, qui & callidus maxime eſt, & impudens, locum ubi conſiſteret non inveniens, elinguis repente effectus ſit; ac ſudore miſere perfuſus, optimam ſane cauſam deſeruerit; plaudentibus

Digitized by Google

bus mihi de corona omnibus, primumque me, ac maximum fori noſtri Patronum ſalutantibus.

Atq;ego tales pugnas ex tempore edo;arma mecum ſemper circumfero, cumq; omnibus manus audacter confero; quaecumque agenda eſt cauſſa, proſilio ſtatim, ac loquor, parum intereſt ſciam nec ne quid controverſiam faciat: quid meus petat cliens, quaeve in eum actio ſcripta ſit. Tribus ego de cauſſa auditis verbis, inſcendo alacriter navim: ventus deinde forenſis verba proſequitur mea, & me nonnumquam totius ignarum controverſiae in portum feliciter deducit. Nec id caſu fit, ſed ita evenire prorſus neceſſe eſt; quum enim oporteat, ut e reis alter vincat, ſive bene, ſive male, ſive ſcienter, ſive imperite dicatur, evenit ſaepiſſime, ut ſecundum me detur cauſſa, non quod ego Judices bonum jus docuerim, ſed quod ego bonam, aut quae bona viſa eſt, cauſſam defendebam; mihi interea plauditur, mihi occinitur triumphus, mihi corbibus pecunia advectatur. Id mihi ſatis eſt, nec ulterius quicquam curo, quum homines de me bene opinari video, & me Juriſconſultiſſimum perhiberi; quod certe unum ſapienter dixit Vulpinus. Sed non neceſſe eſt deinde,ita nudum, atq; ignarum rerum omnium eſſe,ut idem ſeſe Vulpinus paulo poſt ſeipſum eſſe profeſſus eſt. Si nonnulla ſcias, te omnia ſcire, vel pleraque, facile credent homines: ſi vero nihil ſcias, admodum de populi judicio male ſentire opus eſt, ut inducamus in animum, nos unquam pro doctis haberi poſſe. Novimus omnes, qui adſumus, quale ſit de Vulpino noſtro hominum judicium: ego eum, uti praeceptorem meum veneror, ſed quid de eo ſentiam, libere modo, ipſo audiente, vobis familiariter proferam. Erat quoque mihi certum, quum hunc ſermonem exorſus ſum, aliquid de Rapidio dicere; sed poſtea puduit me inter quiſquilias impuriſſimi hominis, ac rapaciſſimi verſari. Quae corruptelae ejus domi fiunt, DJ veſtram fidem! Quodvis

 ibi

ibi genus hominum videas, equitem, peditem, furem; decoctorem, ruſticum, urbanum, lenonem, meretricem; in totis aedibus latebrae, ubique adſcribitur, abraditur, corrumpitur aliquid. Itaque de Vulpino, quem ſane magni facio, breviter dicam. Rapidio igitur in malam rem ire juſſo, perfer, quaeso, aequo animo quae de te dicam, Vulpine; ac ſine me modo, quae diu continui, te praeſente, ut omnis abſit contumelia, proferre. Te ego ſemper hominem egregie ſubdolum, mirisque inſtructum artibus aeſtimavi: quem nec facile ſubverteres in judicio, nec falleres; ſed quae iſtae tandem artes eſſent, quamvis aliquid ſuspicarer, nesciebam. Nunquam te vero magnum oratorem eſſe ratus sum, nec magnum Juriſconſultum. Balbutis nam usque in defenſionibus, & mente potius, ut mihi quidem videris, quam ore, magnopere impeditus es, praecipue quum a narratione ad jus tranſire opus eſt. Si verum eloqui nunc velles, id ignorantia juris, & sane ſupina, fieri confitereris. Nec id magnum virum profecto dedecet: nam ſi aliis artibus excellis, imperitum te juris eſſe vel gloriari potes. Et sane ignarum te. . . . .

Non tulit, nec erant sane ferenda, haec Vulpinus; ſed maxime exardescens, ac voce admodum impedita nescio quae praefatus, panem semesum, patinamque inde, & quicquid occurrit manu incerta, & propera arripiens, in Voconium jaculatus eſt; maledicta ingerens ita expeditâ, & volubili facilitate, ut notari nequiverint, ac memoria condi. Huic favens Rapidius, intolerandam plane eſſe Voconii arrogantiam, ajebat, qui viros primarios impune ſibi laedere licere arbitraretur; nec se ipſum respicere, qui omnibus flagitiis commaculatus eſſet, qui foede deturbaſſet aedibus, fundis, bonis omnibus plures pupillos: qui non orator, ſed vere canis eſſet, importuneque admodum in foro, ac diſſone oblatraret. Nec enim aliud in eo eſſe, addebat, quam ingentem

tem, & ſtolidam ferociam, bonae, quam quidem ipse ſolus de seipso haberet, opinioni ſubnixam. Et de quibus tantopere gloriaretur, ea e media faece, ac ipsa fori ſentina illum hauſiſſe neminem ignorare. Audiſſe se doctos aliquando viros, ſcite Voconium pauperi & imperito phrigioni comparantes, quod vetera quaedam ſemper ac vilia male conſuta oſtentaret, centonesque inſcienter concinnatos in medium adduceret, & ad eadem usque ob rerum inopiam reverteretur. Exerceret quippe ille valide vocem, qua una viveret; nam ſi paullulum a clamando deſtitiſſet, tacitum illum continuo famem occupaturum. Horride rudebat interea Voconius, Patremque, Blandinianumque, pluresque familiarium apprime fatigabat, ex eorum manibus ſumma ope annitens elabi: furesque manifeſtarios, nihili homines, ſicarios, ignaviſſimaque capita, qui eum detinebant, appellabat. Et tu, o ſceleſte, clamabat, vulpes, immo feles forenſis, mecum tibi res eſt: non hic vidua eſt, quam admordeas, non ignarus quispiam, ac dives adoleſcens, quem vindemies. Evadam ego hodie ab horum latronum lacertis; tunc equidem nulla tibi erunt effugia, nullus fraudibus locus, tectisque dolis; palam geretur res, efficiam ego te ut maxime hujus diei poeniteat, ſceleris, furti, perjurii pleniſſime. In me tu panem, ignave? In me patinam? In me? Vulpinus in Voconium? Hercule ſi te hodie arripiam, cincinnos iſtos tuos, tam molliter delibutos, ac vibratos, pedibus meis calcandos dabo: teque ipsum tam bellum, & venuſtum, edentabo prius, ac poſtea cum modeſtia iſta, ac virgineo pudore probe, ac valide calcibus contundam, & proculcabo.

Dentibus infrendebat haec dicens, & majore niſu se in libertatem vindicare contendebat; Patrem & Blandidinianum ſatis facunde, & oratorie brevibus quibusdam, ſed sane acribus, contumeliis inceſſens. Nec Vulpinus, poſtquam patrato facinore propere

e men-

e menſa ſurrexerat, mutire audebat amplius: & sane suave erat eum audire semetipſum palam increpantem, quod irae praeter ingenium, & consuetudinem indulgens, eò provectus eſſet; & Blandidianum ſimul orabat miſeris modis, ut hominem arcte continendum curaret, illiusque compeſceret ſurorem. Rapidius utique implacabilis videbatur (quem negligebat tamen Voconius) & ne ſilere crederetur, quum nemo ei amplius de convivis praeberet aures, ad ſervulos, ſervasque (quae e gynecaeo paventes tantis clamoribus excitae accurrerant) conversus, valide Voconium dilacerabat. Quicquid is poſſideret, exclamans, spolia miserorum clientum eſſe, quos ille perfide, ac avariter jugulaſſet. Egentes, inopesque ab illo honeſtiſſimos cives, & antea copiosos diſceſſiſſe poſt victoriam; ut pejus longe, eo Patrono, victoribus fuerit, quam victis. Denique a servis etiam desertus, clamitabat nihilominus, & mirificos ciebat ſtrepitus, ut aliquem ad se converteret. Sed Voconius nos gratiore spectaculo detinebat: nam incredibile sane eſt, relatuque difficillimum quid ille dixerit, egerit; horam integram ita multa, tamq;vehementer effutiit, ut vox tandem deficeret hominem, neque jam quid loqueretur prorsus intelligi poſſet.

Poſt haec, quum jam dilapsae vires, sudorque, & raucitas, quod tot precantium voces, & Blandidiani auctoritas nequiverat, effeciſſent, & mitesceret jam paullatim Voconius: suadente, ac impellente cum primis Blandidiano, Vulpinus ad Voconii pedes accidit flens, maerensque, & peccatum suum accusans. Alium tunc repente vidiſſes hominem: nam Voconius Vulpinum ſurgere juſſum ita arcte amplexus eſt, tamque amanter exoſculatus, uti vix mater filium exciperet e longa peregrinatione nec opinato redeuntem. Nec his contentus, maximum, ac mirabilem virum vocabat Vulpinum, causasque commemorabat, in quibus ille ſibi plane Deus viſus eſſet. Exaudiri quae dicebat vix poterant: ipſe tamen

men plurima glomerabat, laudabatque inimicum ſuum accuratiſſime: nec ipſi Vulpino locum quicquam reſpondendi dabat, qui tamen geſtu, corporiſque crebris inclinationibus multa ſe viciſſim dicere velle ſignificabat, multaſque Voconio pro tantis laudibus gratias agere. Hac laudantis, gratiaſque agentis contentione, multo tandem taedio, multoque omnium labore diremta, ſuo quiſque loco rurſum accubuerunt, reliquiaſque menſae hilare aggreſſi ſunt, atque in ingentem vini veteris cadum, qui in ſubſidiis extra ordinem aſſervabatur, impetum, iraſque converterunt. Laeto quidem Patre, quod res tam proſpere quaſi ex inſperato reſediſſent. At Rapidius contumaci ſilentio inter pacatos convivas minitari neſcio quid ſolus videbatur: apertam manum ſaepe mento applicans, leniterque inde ſubducens, ore nunc dehiſcente, nunc nimis preſſe clauſo, quaſi labia admorderet, oculiſque pertinaciſſime in menſam defixis, magnae alicujus curae erat manifeſtus.

Denique ad me res rediit, & increpare ultro aliqui ex adoleſcentibus illis Modeſtinum coeperunt, quod me corrupiſſet, indole abuſus mea, Patriſque facilitate: & undenam concinnam illam & sane lepidam inſtitutionem eruiſſet, interrogabant, ridebantque ſimul, exertaque lingua bucconem illum appellabant. Caeterum me perditum eſſe affirmabant, nec ſalutem ipſam mihi, ſi vellet, jam saluti eſſe poſſe. Addebantque (quaſi Patrem miſerarentur) nobis anguſtam domi rem eſſe, validoque aere alieno premi, virgineſque praeterea me duas jam grandes nubiles ſorores habere, quibus ut dos modica corraderetur, domus eſſet funditus ſubruenda. Irem tunc, ac a Modeſtino ſuppetias inopiae meae peterem, aut meos Poetas, meoſque Philoſophos in menſa apponerem, ut coenarem. Vivo adhuc Patre, qui labore, & induſtria aegerrime ſuſtentaret domum, me haec ignorare quid eſſent, eorumque dicta parvi pendere: ſed quum
is

is ad plures commigraſſet, tunc demum & fruſtra animadverſurum me, quid eſſet acriter indigere, rerumque neceſſariarum omnium inopiam pati. Exceperunt ſermonem Magiſtri, & diſcipulis plaudentes, quod vix integra aetate jam satis ingenio pollerent, nullum contumeliae genus omiſerunt, quo in Modeſtinum non uterentur. Naſum alter hominis deridens admirabatur, & ſupercilia; oculos refugientes alter, gravitatem importunam oris hic, vocis ſonum ille: ita ut illius omnia miris modis crebro cachinno culparentur; nec a me abſtinebant, quem octavum ſapientem olim, ſi Djs placuiſſet, fore dicebant: quod jam tunc ſat proderet meum ſilentium, plane magno Philoſopho dignum. Unde me Aſſyrium alter, alter Jurisconsultum vocitabat, innumerasque cuncti ineptias de caeli, terrarumque, ac scientiarum natura ex me crebro sciscitabantur, nec reſponſum expectabant, sed ridebant, & quisque pro dictis ſuis ſibi mirifice plaudebant. Voconius me maxime vexabat; nam prope me, neſcio quo fato meo, poſt pugnam cum Rapidio conſederat: at Blandinianus, quaſi me ab ipſo tueretur, acrius profecto invehebatur in me, ac Modeſtini inſtitutionem. Poſt multa, quum caſu factum eſſet puncto quodam temporis, ut ſilerent alii, me intuens talibus ſuam ingreſſus eſt orationem Blandidianus.

Doleo equidem, mi Camillule, & ſerio quidem doleo, te eo adductum fuiſſe docilitate iſta tua, & Patris bonitate, unde neſcio, an reditus jam tibi ad ſalutem aliquis pateat. Ejusmodi etenim diſciplina, qua tu imbutus es, vehementer homines inflat, nec facile forense jugum ſubire adolescentes ſinit. Omnia, & omnes ſuperbe contemnitis prae vobis ipſis veſtrisque ſcientiis: vobis tantummodo plauditis, caeteros veluti barbaros, indoctosque mirifice irridetis. Stultos quidem, & ineptos homines! qui ne illud quidem perſpiciatis, quod palam eſt, vos ob iſtos mores odio ab omnibus haberi, & tanquam

quam communes omnium hoſtes undique expelli, ac detrudi. Si mihi minime credendum hac in re cenſes, ecce tibi amantiſſimus praeceptor tuus Modeſtinus, qui eadem te doceat, malo ipse edoctus ſuo, quem averſamur omnes, quem in paupertate senescere dulce, ac ſuave eſt nobis omnibus. Ego quidem tibi teſtari sincere poſſum, me parentis mei optimi, ac doctiſſimi viri veſtigiis inſtitiſſe, qui fori Princeps aevo ſuo fuit; & illius exemplo, argutulos adoleſcentes omnes, qui ſupra caeteros se sapere praesetulerunt, coram laudaſſe me quidem semper, at nunquam aliqua ope juviſſe. Eos nunquam ad aliquam cauſsam adhibui; nunquam lucri aut gloriae participes eſſe volui; nunquam absentes niſi cum contemtu nominavi. Quis enim noſtrum, qui seniores jam sumus, ferret, quaeso, magiſtrum inberbem, & tertio quoque verbo, ſin minus palam, at ſilentio ipso, ac risu inscitiam noſtram redarguentem? Videtis e schola mea pluribus jam advocatis, nec iis imi ſubsellii, auctum fuiſſe forum, hosque mecum hîc modo cernitis ad eandem spem alacriter succrescere: at nec hi, nec illi ultra mensuram noſtram ſapiunt. Doctos iſto veſtro ridiculo more aliquot habeo, qui se se in disciplinam tradiderunt meam: at eos nec vidiſtis adhuc, nec sane videbitis poſthac trioboli cauſſam unquam defendere: blandis eos verbis lacto, suasque merces (quum a negociis mihi vacat), quaſi magni faciens, identidem jubeo depromere, meque eorum ingenium, ac doctrinam impenſe admirari ſimulo. Interea ipſi, quod nunquam fiet, expectantes magis magisque adoleſcunt, & pauperiores in dies fiunt, ſpemque omnem tandem amittent: & se vel ad docendum maleferiati conferent, vel per Patriciorum domos, in quibus nos ſolemus regnare, perreptando, carmina ſua venditabunt: & ſervili adulatione paupertatem ſuſtentabunt, inglorii, & contemti. Quorsum haec tandem? Audi. Vis ne tu, Camillule, horum ſimilis eſſe, an

mei, an hujus Voconii? Communi plane ſenſu careres; ſi quid tibi optandum eſſet, vel uno temporis momento deliberares. Velle debes profecto, immo enixe cupere, ut unus e nobis evadas aliquando, ut a nobilitate colaris, a civitate obſerveris, ſuſpiciaris ab omnibus. Quod ſi tibi ſtat haec menti ſententia, illud pro paterna amicitia tibi faciendum impero, ut primo quoque tempore malam iſtam mercem omnem, quâ navis tua onerata eſt abjicias, eamque ad tutiora, & utiliora quam citiſſime convertas. Video ego haec a te, & Modeſtino infeſtis animis accipi: at ſane quid iſte cano capite ſentiat, quid ad me? Te ego vellem tandem ſapere, & recta conſilia, dum viget aetas, amplecti. Tecum ergo loquor, iſtum deſpicio, & odi.

Audiſti ab his graviſſimis viris, praeceptoribus ac dominis meis, quo quisque eorum pacto opes, famam, & auctoritatem ſit aſſecutus: & jam tecum fortaſſe, niſi prorſus inſanis, quid facturus ſis decreviſti. Ego modo ſuperſum, & certe non auderem poſt eos loqui, niſi me officium impelleret, & niſi adoleſcentiae me tuae, ac hujus optimi viri Euſtachii senectutis oppido miſereret. Nec modo ex me audies reconditae cujuſdam ſapientiae effata, nec arcana quaedam forenſis vitae praecepta. Vulgaria omnia dicam & nota omnibus, nec enim unquam recondita me iſta veſtra doctrina delectavit: exiſtimans omnia a Natura ipſa in medio fuiſſe poſita, eaque optima factu eſſe, quae maxime obvia, & facilia videantur. Nos certe Natura ita finxit, ut nullo labore, ſed ipſa ducente potentioribus ultro ſupplicaremus, ditioribus ſubblandiremur, nobisque in noſtris rebus egenis ex hominum facilitatae proſpiceremus. Omnes hoc homines ſponte, nulloque magiſtro, ac pene imprudentes faciunt; &, ſi rerum quisque ſuarum recordari modo velit, quis se aliter in vita geſſit? Scio hunc praeclariſſimum virum Voconium aliud omne ſentire: atque id fortaſſe magnitudinem animi ſui, & ſpiritus plane ingentes decet. Sed nos,

qui

qui nihil ultra reliquos ſumus, ea ſequi oportet, quae tuto, nulloque incommodo quò tendimus nos perducant. Ego nullum potentiorem irritavi, immo nec ei unquam taedio, aut moleſtiae fui: Hoc mihi nempe fixum fuit animo, omnibus obſequi; & ideo quicquid ajunt, ajo, quicquid negant, nego. Nunquam ego cum aliquo, qui eſſet aliquid, locutus ſum, quin laudaverim, admiratusque ſim, aut gratum aliquid ei obtulerim. Quid enim? Judicem (de hoc enim nunc praecipue agimus) adeo, ut mihi faveat, ut mecum ſentiat, ut adverſario meo adverſetur: & vos mihi auctores eſtis, ut eum a me inani doctrinae oſtentatione abalienem? contentione in aliam ſententiam commigrare cogam? odio denique, & importunitate in me accendam, adverſarioque placem? Scio ego, tot jam annos hunc lapidem volvens, quid ſit benevolum Judicem, vel malevolentem habere. Et eò plus novi, quam quivis alius, quod huic praecipue innixus adminiculo, ad principem fori locum perveni: mirantibus omnibus, qui me cominus, & ſtudia mea cognoſcebant.

Occultum non eſt, me a tibia, & cantu, armorumque ſtudio in forum repente delatum fuiſſe casu, & fortuna: quum nec quid forum eſſet, nec quid ibi ageretur noſſem. Mane quamplurimarum cauſſarum Patronus inceſſi, qui veſperi itinerum, & armorum meditationem numeris, & cantionibus immiſcuiſſem. An me putatis fortaſſe, ita subito commutata veſte, ad libros, ad leges flexiſſe animum? nequaquam: nam eò me nec natura mea ducebat, nec id ad negocium, quod eram aggreſſus, neceſſe eſſe prudentiores amici affirmabant. Itaque ego, qui ſero & jam grandis forum ingrediebar, veteres Patronos omnes brevi ſupergreſſus ſum, cauſſasque magnas ſuſcepi, & feliciſſime egi; divitiasq; ac decus ab ea arte collegi, quae mihi aeque ignota erat, ac nautica, aut agricultura.

Non laudandi mei gratia hæc dico, viri magni, ſed Camillum docendi. Ingenium mihi quidem aud inficetum adfuit, quod inficiari ridiculum eſſet: & quae mihi deerat juris peritia, eam contemnere cito didici: facillimeque paſſus sum, me in cauſſis a diſcipulis meis erudiri, quos mihi doctores ipse libenter conſtitui. Id vero tum diſſimulanter faciebam, ut ne ipſi animadverterent, tum saepe eos errare ſolitus eram dicere, nec quaeſtionem aſſecutos; quum nihilominus ab iis ſumerem quicquid ſcripturus eſſem, aut dicturus. Nomen interea meum in foro increbreſcere videbam, meque ita conſuli, ut summam in me, meisque conſiliis ſpem, ac fiduciam haberi appareret. Tunc demum me collegi, & quid opus mihi facto in poſterum eſſet mecum ipſe conſiderandum putavi. Itaque, uno alteroq;expertae fidei magniq;conſilii amico adhibito, rem diligenter haud modica contentione nos inter perpendimus: & ex illorum auctoritate certas quasdam leges mihimet ipse dixi, quas ſervarem perpetuo, ſi eum, in quo conſtiteram, gradum tenere, atque ulterius quoque progredi in foro vellem. Harum legum veluti ſumma quaedam fuit, ut me ad humanitatem, facilitatemque quantum poſſem, componerem; ut ne aliquem unquam verbo, aut facto laederem; ut lucri me, pecuniaeque oſorem praedicarem; ut blande compellarem omnes, ut Judices praecipue omnibus opibus induſtriisque mihi devincindos curarem. Nonnulla praeterea ejuſdem generis tunc conſtituta, quae modo praetereo, quod hujus ſermonis non ſunt, nec neceſſe eſt ultro in propatulum proferri. Hac ego inſtitutione probe communitus ita me formavi, ut vel amiciſſimi non cognoscerent eundem me eſſe, qui quondam fuiſſem. Quis me non amore proſecutus eſt, quis a me non amari credidit? Quisque mihi summus amicus eſſe arbitratus eſt, meque pro se omnia facturum. Nemo unquam a me niſi laudatus diſceſſit, nemo mihi pecuniam at-

attulit, quin ei perſuaſum eſſet; inviciſſimum me eam accepiſſe: quum ego (ut fortem ac prudentem virum decet) neminem unquam amaverim, neminem magnifecerim, pro nemine egerim aut dixerim aliquid alia de cauſa, quam ut argentum auferrem. Senex modo ſum, nec diu jam mihi vivendum ſentio; nullus jam meorum ſupereſt, & haeredem mihi non natura, aut lex, ſed voluntas ſcribet. Senectus & orbitas me prorſus mei juris effecerunt: itaque ſpe omni & timore vacuus, libere loquar, atque omnia proferam: nec falso pudore impeditus quicquam ex iis, quae me huc perduxerunt, quaeque tibi, Camille, profutura eſſe intelligo, celabo.

Principio libros me quamplurimos ad oſtentationem tantum habuiſſe confiteor, non ut iis immorerer: deinde nullam omnino, ut aliter, ac nutrix mea, loquerer, curam adhibuiſſe: a labore refugiſſe ſemper, ocioque quammaxime fuiſſe delectatum. Quid dicerem, quove pacto cauſſam tutarer, nunquam meditatum magnopere: sed pro his omnibus,laborisq; ac meditationis loco unum plerumq;ſecutum fuiſſe,quod quale ſit exponam tibi.Omnium ego Judicum, cujuſcumque ordinis & dignitatis in Civitate eſſent, naturam, ingenium, mores diligentiſſime indagavi, qua familia quisque ortus, quibus opibus, amicis, conſanguineis: quibus gaudere rebus ſolerent, quibus taedio affici: in iramne eſſent proni, an patientes, & placidi: amoribus ne operam darent, an triſtes eſſent & severi. Num pecunia quis effringi poſſet, vel undique clauſus, & tectus, in Modeſtini virtute conſiſteret. Quid vos morer, viri eloquentiſſimi? Porro quid unuſquisque comederet, quamdiu ſomno nocturno, aut pomeridiano indulgeret, qua valetudine uteretur, quos lectitaret libros, quicum ex ſervis conſueſſet familiarius loqui, qua deambulatione laetaretur, quas villas, quos ſinus laudaret, quas aves denique, quos piſces,

quae

quae poma pluris faceret, incredibili cura perſcrutabar. Video ego vos in me modo oculos intentius conjeciſſe, quaſi cauſam ex me tantae ſedulitatis, tamque curioſae curae exquiratis. Mirum profecto eſt, quid hoc, & quantum ſit, quaeque ego facinora hoc uno armorum genere fecerim. Nec id mirum videretur, niſi perverſe conſueviſſent homines, vias inuſitatas indagare, tritas relinquere. Quod ego ſequor, facillimum quammaxime eſt & vulgare: ſed idem longe ſingularem habet efficacitatem. Unumquemque Judicem ea ſemper parte aggrediebar, & aggredior, unde imparatus ille, & apertus eſt. Exemplis perſpicuam vobis rem faciam,ut hic puer intelligat. Gnatorum nimis amantem Patrem, de filiorum amore inſtituta crebro oratione demulceo: ſuorum puerorum qua corpus, qua animum dilaudans, illos praeter caeteros extollo: ſaepe, quum Pater adeſt, illi ne dicta quidem ſalute, recta ad puerum eo, eumque valde amatorie exoſculor, cumque eo balbutiens colloquor: poſt ad Patrem me converto, & quandiu poſſum eadem de re produco ſermonem. Alter picturam diligit, Poeſim alter; hic laborem, ille ocium: ad omnes per illud introimus oſtium, quod patere cognoſcimus. At hîc maxime curandum, ne imprudentia labamur, resque fiat palam: ideo in hominis animum ita caute obrepere oportet, ut antea habeamus arcem, quam animadvertere ille poſſit quid agatur. Multus eſſem; ſi cuncta vobis modo vellem ſingulatim narrare; nam omnem humanum captum haec vincit induſtria, ejusque tam late patent viae, ut nemo, at prorſus nemo, his artibus callide invaſus, ſe tueri valeat. Bene habet iſtuc, dicet e vobis aliquis; ſed quandonam a palpando ad cauſſam docendam deſcendis? Quanto poſſum ſerius, idque breviter ſemper & feſtinans. Quum tuus eſt Judex, quum te diligit, in caſſes imprudens ultro incidit tuos, praecipue quum nil tale vereatur. Quid enim agitur? Itur ad Judicem, cum

eo,

eò, veluti cum amico jucundis de rebus ſermo inſtituitur: nihil rogas, nihil precaris, non te illi, non litigatorem commendas; de cauſſa verbum nullum, de adverſario utique taces; ut autem is advenit, tunc tu quaſi expergefactus pauca Judici de cauſſa familiariter dicis, rem curſim exponis, ratiunculas quascunque subnectis, & leviter omnia, quaſi rerum tuarum ſecurus, deguſtas. Aſſurgit inde adverſarius(quem jam illud male urit, quod te carum, Judicique familiarem cernit) & non tecum, ſed cum Judice ipſo praeliatur. Scit hic Voconius, ſcit Vulpinus quid ſit quod modo dico:pluries jam ille fruſtra in me vocem intendit, fruſtra hic modeſtiam ac fidem oſtentavit ſuam. Dum pugna Judicem inter, & adverſarium meum ſaevit, ego plerumque taceo; & exſpecto (quod evenire neceſſario debet) ut Judex meam cauſſam agat ut ſuam,adverſarius Judicem irritet laceſſendo,atque objiciendo.Tunc ſi res incerto adhuc Marte geritur,libellos profero,oſcitanter aliquid e jure, & Jurisconſultorum placitis recito, atque ita novas veluti cohortes in praelium ago. Demum & clamo ſi opus eſt, atque exardeſco, ne id tibi proprium credas, Voconi; veritatem quoque ſancte obteſtor, & mendaciunculis interea (ſinite me ridentem verum dicere) aſpergo, quod eſt patrimonium tuum, Vulpine, e quo nos parere tantum ſumere, quantum oportet. Ita denique me gero, ita me circumverto, ut aut victoria laeta consequatur, aut saltem non liquere Judex pronunciet, ampliusque de re quaerendum eſſe. Ita adversarios fatigo, iterumque, ac tertio, pluriesque etiam, ſi opus eſt, eodem pacto in iisdem negociis verſari cogo: & quot poſſum cuniculis, quantoque aſtu valeo, rem tracto, temporumque intervallis ſcitiſſime ſemper utor; unde fit, ut vix aliquando eveniat me cauſſa cadere.

Nec aliam rationem, quando res in Conſilio agitur, ſequor, aliam quando in Judicum domibus: eae-

caedem ſemper artes, eadem ſemper inſtituta ; nec me facile ab arce mea quis depulerit. Antequam cauſſa, ut noſtis, in Collegio agatur, moris eſt noſtri, ſingulos Judices, qui intereſſe debent, domi controverſiam docere: atque ita nihil sane intereſt, unum ne Judicem de re, qua de coram ipſo inſtituta ſit diſceptatio, flectas, demulceas, circumvenias, an quinque pro cauſſa, quae in Conſilio ſit agenda. Quamlibet majorem cauſſam ita ſoleo moderari, & versare, ut nunquam de ea agi patiar, niſi omnes, vel ſaltem quot ad victoriam ſatis ſunt, Judices expugnarim. Hinc fit, ut quum ignorent homines quid ſub pallio,ut ajunt,actum ſit,mirentur e meis cauſſis hanc quidem celeriter agi, illam proferri, de illa magnum ſilentium eſſe: & nihilominus interea, quaecumque deducatur in judicium, me ſemper victorem evadere. Haec fortaſſe pluribus verbis proſecutus ſum. Sed ignoſcite, viri acerrimi, amori meo erga hanc domum, quam periſſe video perpetuum in modum. Sinite ergo quod ago agere, Camillumque, ſit poſſibile jam fuerit, in viam reducere ab anfractibus, & ſenticetis, in quibus, ni nobis auſcultabit modo, acriter, dum vivet, eſuriet. Opus enim aggreſſi ſumus non magni modo laboris, sed quod exitum pene nullum habere videatur. Nam quis te, Camille, queat jam flectere, ut magnificas iſtas Graecas, Romanasque nugas, ut Caelum, Terramque, gentesque omnes, quas te modo poſſidere cenſes, abjicias, atque ad noſtras ineptias, ut vocatis, te conferas? Neceſſarium nunc eſt tibi prorſus ac ſolenne (ex illis meis discipulis haec habeo, qui eodem ac tu laborant morbo) ut tertio quoque verbo, Demoſthenem, vel Tullium, ſeu, quod aeque ſeu magis etiam eſt odioſum, Papinianum, aut Calliſtratum nomines, Romanasque leges, Imperatorumque conſtitutiones inculces usque. Ipſis ego aliquando uti ſoleo; &, quum pro aliquo ſcribo, argutos, ſapientesque e diſcipulis meis ſudare, & algere

re jubeo, non quo illis aut lucri tantillum inde obveniat aut decoris, ſed ut ego mea exornem, floſculoſque iſtiuſmodi inſeram gravioribus rebus, quibus orationes meas refercio. Hos ego vero diſcipulos unice odio habeo (ſaepius enim dico, quo Camillus qua in navi ſit probe ſciat) nec vero injuria; ita ſuperbi incedunt, ita de rebus omnibus audacter pronunciant. Bellum domi meae ardet perpetuum, & implacabile; nec queo iras eruditorum iſtorum compeſcere, qui aeternùm cum reliquis diſcipulis litigant, dum ſe ſcire omnia jactant, indoctoſque illos eſſe, rerumque cunctarum ignaros.

Age Camille, dic modo mihi, ſi alicui ex aequalibus tuis aliquid contra ſacram iſtam Philoſophiam, quam tanti facitis, forte fortuna excideret, parceresne ei, & audiſſe te id diſſimulares, an riſu illico exceptum, tanquam bonarum rerum, ita enim vocitatis, ignarum, & plane ineptum palam traduceres? At quid ego aequalem dixi: Dic ſodes, mihimet ipſi ignoſceres, ſi memoriâ aliquando lapsus, paullulum (quod poſſibile eſt in tanta occupatione) in hiſtoriis errarem? novi ego ingenium veſtrum, novi mores, novi ſuperbiam. Quaſi magno aliquo, ac precioſo bono ditatus modo ſuperbis ſtulte adoleſcens: at ſi rem probe perpenderes, ſi quò ab iſto perductus es intelligeres, demiſſus, humiliſque, ac taciturnus errorem tuum & ignorantiam deplorares. Mirari ego ſoleo, quum ex vobis aliquem audio, totis ſex octove annis literis iſtis veſtris operam dediſſe; nec enim valeo mente complecti quid tandiu tantoq; labore quaeratis. Certum vero eſt, vos omnes veram ignorare ſcientiam, & poſt diuturnam lucubrationem ad inopiam a Philosophia redigi, uti a meretricibus fieri prodigis, & improvidis adolescentibus ſolet. Neſcitis miſeri quid conducat homini, quid noceat: quod unum noſſe deberetis, ſi ſani eſſetis. Inſpice tantum hos, qui te cingunt, Modeſtine: viden' ut ipſo vultu quanti ſint prodant, quaeve ſit in ipſis auctoritas? Reſpice de-

inde te ipſum : pudeat neceſſe eſt te obscuritatis & egeſtatis tuae. Erubuiſti; nimis id quidem ſero, ſed nimis etiam jure meritoque. Aude, ſi potis es, aude, bone vir, cum aliquo ex iſtis te conferre: aude hîc in tuismet aedibus cum aliquo eorum de jure colloqui; vox haerebit faucibus illico, totoque contremisces corpore; nec tecum jam Vulpinum, aut Voconium compono; Rapidium in medium adducam (ſine me quaeſo, Rapidi, bona venia, quaedam de te dicere, non quod te praeceptorem meum longe majoris, quam me ipſum non faciam; ſed quò te magis diligo, eò familiarius de te loquor, & nomine utor tuo) virum longe his omni in laude minorem. Auderes igitur tu ea facinora cogitare, animoque tantum concipere, quae iſtum quotidie medio in foro audacter facere conſpicimus? At tu, qui talia damnas, nidum, quem vel aves habent omnes, quò te recipias, non habes: iſte vero qui facit, domum, fundum, gemmas, pecuniam comparavit; & adhuc eſt aetate media, multumque quò progrediatur deinceps, habet. Audiſti ipſum paullo ante maleficia ſua multa cum laude referentem, quae certe, ſecus ac tu, ſtulte, arbitraris, non modo non dedecus in Civitate noſtra, nec ſupplicium ſequitur, immo magno lucro auctant, ſuumque ſimul honeſtant auctorem. Meminiſti quid se Voconius, quid Vulpinus facere dixerint; audis diu jam quid ego ſequar: optimas has quippe artes, & egregia ſtudia nos qui novimus, appellamus: tu autem, qui illa ignoras, crimina, & ſcelera vocas; attamen iſta ipſa crimina, ut reipſa te redarguam, ea ſunt, unde divitiae, unde nomen, unde auctoritas noſtra manant. Repertus es tu modo ſordidus, pannoſus, nulliusque nominis, atque imi vere ſubſellii vir, qui nobis auctor eſſes, ut artes noſtras deſereremus, teq; ſequeremur scilicet, ut pulices rotundos patiamur, quorum morſibus probe tu variatum collum, & manus oſtendis, perque tabernas, inopes egenteſque ambulemus, eruditio-

tionem inauſpicato venditantes, ſupplicanteſque potentioribus, nempe ut vitam per vile obſequium perduceremus, uti vos facitis. Dii te perdant, Modeſtine, qui hunc perdidiſti. Sciſne quam paullulum vos inter & nos interſit? Audi, jam dicam, remque in pauca conferam. Vos vili obſequio fruſtulum panis a potentioribus iſtis vix extunditis: Nos integras auri maſſas per auctoritatem auferimus: verba veſtra, veſtroſque verſus nauſeantes iſti, & oſcitantes, quum quidem ipſis lubet, audiunt; Nos, ut loquamur, ut aliquid reſpondeamus, orant, obſecrant, muneribus, pecunia contendunt; vos denique iſtis ſervitis, nos imperamus. Non uxorem ducit quiſpiam, non nuptum ſororem, gnatamve dat, non vendit, non emit, non mutuatur, non moritur, quin noſtro indigeat conſilio, auctoritate, prudentia.

Enimvero hac via perducendus erat Camillus, non iſta abrupta & praecipiti, quae recta ad egeſtatem ducit. Nec tu etiam id cognoſcebas, Euſtachi, candido capite? Tu profecto primus Camillum impuliſti, quem poſtea hic optimus hoſpes tuus peſſum omnino dedit. Certe tu peccaviſti largiter, qui hunc elegiſti: hic impudentiſſimus fuit, ac peſſimus, qui id efficiendum ſuſceperit, quod ignorabat. Noti tibi nos jampridem eramus; cur ergo a nobis refugiſti? Eſto Rapidium improbabas, quod ab aliquibus nimis rapax, & improbus (in bonam id partem accipias, rogo te, vir amiciſſime) haberetur. A Voconio abhorrebas, tanquam (ut ejus inimici falſo praedicant) ab horrido, & feroci, nimiſque pecuniae avido; aequum id fortaſſe fuit, & ab iſtis ferendum. At cur Vulpinum non rogaſti, ut Camillum inſtitueret? Domus ipſa tanti viri eum erudiiſſet, vel ſilente domino, nec tam anxiam, tamque occupatam vitam egiſſet iſte. Poterat quoque, Euſtachi, tibi, filioque ſatis conſuli, ſi me paternum amicum non tantopere deſpexiſſes, ut inopis iſtius magis fides apud te valeret, quam nomen, & aucto-

ctoritas noſtra. En tibi nunc perverſi judicii merces, en coecitatis tuae fructus. Quid modo tali filio facias? Obiit is tibi jam, & sane expediebat non naſci. Sed ne te ad deſperationem videar adigere, accipe jam quid fidelis tibi, & certus amicus tanta de re tua conſilii dat. Ego quidem ita, Euſtachi, cenſeo: Libros omnes cujuſcumque generis ab aedibus tuis ſtatim amove. Modeſtinum ſibi res ſuas habere, atque hinc illico faceſſere impera. Camillum alicui noſtrûm emendandum, dolandum, exasciandum trade. Si ſex intra menſes (nec enim longiorem diem conſtitui placet) ſpem aliquam eſſe recuperandi adoleſcentis, e nobis ille, quem delegeris, dicet, tunc grates a te Djs immortalibus quammaximae agendae, quod filium tibi reſtituerint. Sin vero (ut ego vehementer ſuſpicor fore) deſperatas res nunciabit ille: ac Poeta, & Philoſophus obſtinate volet eſſe Camillus, ſuoque more Iuriſconſultus, non hoc noſtro: tunc vel eum in rus aliquod longinquum, & ſolum ablega, ut ibi agriculturae operam det; vel, ſi in urbe nihilominus eum retinendum cenſes, quod ego quidem improbo, amanuenſem alicui noſtrûm, vel ab epiſtolis illum diviti cuipiam deſtina, ut ita ſe & familiam ſuſtentet, tibique utique non inutilis ſit. Quam vero ſatius eſſet, eum tibi vel peſſimum, & rapacem, ut Rapidius eſſe dicitur, vivere, quam ut modo . . . Non ſivit ulterius eum progredi Rapidius: aſſurgens namque, ſellamque a ſe magno impetu removens, quid ais tu, maxima inclamavit voce, Blandidiane, quid ais? Jamdudum ego te, iſtoſque dicere mihi injuſte patior: ſed quando modum omnem exceſſit ſuperbia veſtra, & vocem mihi eſſe, & contumelias, quas in vos regeram, oſtendam. An me haec pati poſſe cenſes? atque adeo tu praecipue me, quem praeter caeteros diligere affirmas, mendaciſſime, injuriae exiſtimaſti opportunum, ut unum tantopere ultro laedendum, & traducendum cum ignominia ſuſceperis? Riſum aedepol & ſtomachum ſimul moves, quum

quum te, & infantiam tuam aperte ſpectandam nobis, egregie orator, proponis. Vix loqui, vix efformare verba potis es, vix quid dicas invenire, & audes nihilominus, bellua, te magnifice prae omnibus oſtentare, & criminari ſimul nos, quibus mehercule fucum facere non potes. Artes tuas belliſſimas, & arcana ſapientiae ita protuliſti, ut, qui ſemper ignarus minimique precii fueris, nunc in extrema ſenectute prorſus deſipuiſſe videre-re. Palpator, ſervili ingenio, levior quam pluma, omnium peſſime, & nequiſſime. Tu me damnas, flagitium hominis, ſubdole, mendax, impuriſſime? Rapacitatem mihi objectas: at, Dii boni, quis te rapacior? qui ſane omnium hominum quotquot ſunt, & quotquot fuerunt, es rapaciſſimus. Niſi te fortaſſe ea in re Vulpinus tuus aequat; cui tu ſubblandiris, cui faves; & quem magnifacere te quammaxime jure merito decet: Similis ſimilem ſcilicet, aſinum aſinus, latronemque latro diligis. Me quaſi furem jamdiu omnes culpatis, modeſti ſcilicet ipſi, & temperantes. Nec vobis in mentem venit cogitare, me quidem omnium, qui in hoc adeſtis convivio, parciſſimum, atque abſtinentiſſimum eſſe. Quis enim veſtrûm eſt, qui principum virorum fortunas patrimonio non aequet ſuo? Majorum ſcilicet virtute, Deûmque benignitate partas habetis opes, lupi, accipitres, domorum, ac patrimoniorum voragines. Euge Blandidiane! Euge Vulpine! Aediculas noſtras, & ſane anguſtum fundum, viginti annorum labore parta carpitis: & ego regias veſtras laudabo, argentique ſtrues, integrosque agros, quae in teſtamento veſtro erunt, quum in patris, avique non fuerint. Ego ſcilicet fur, ego cruce dignus, ego infamis; At cur? Ego dicam, quia tantulum furatus ſum, artique dedecori fui; nec ſatis, pro modo & opinione veſtra, divitias furando paravi. Tu vero, Vulpine, quando obtutu iſto minaci me ab loquendum invitas, immo adigis, meminiſſe profecto debes quae ſimul aliquando fa-

cti-

Digitized by Google

ctoritas noſtra. En tibi nunc perverſi judicii merces, en coecitatis tuae fructus. Quid modo tali filio facias? Obiit is tibi jam, & sane expediebat non naſci. Sed ne te ad deſperationem videar adigere, accipe jam quid fidelis tibi, & certus amicus tanta de re tua conſilii dat. Ego quidem ita, Euſtachi, cenſeo: Libros omnes cujuſcumque generis ab aedibus tuis ſtatim amove. Modeſtinum ſibi res ſuas habere, atque hinc illico faceſſere impera. Camillum alicui noſtrûm emendandum, dolandum, exasciandum trade. Si ſex intra menſes (nec enim longiorem diem conſtitui placet) ſpem aliquam eſſe recuperandi adoleſcentis, e nobis ille, quem delegeris, dicet, tunc grates a te Djs immortalibus quammaximae agendae, quod filium tibi reſtituerint. Sin vero (ut ego vehementer ſuſpicor fore) deſperatas res nunciabit ille: ac Poeta, & Philoſophus obſtinate volet eſſe Camillus, ſuoque more Iuriſconſultus, non hoc noſtro: tunc vel eum in rus aliquod longinquum, & ſolum ablega, ut ibi agriculturae operam det; vel, ſi in urbe nihilominus eum retinendum cenſes, quod ego quidem improbo, amanuenſem alicui noſtrûm, vel ab epiſtolis illum diviti cuipiam deſtina, ut ita ſe & familiam ſuſtentet, tibique utique non inutilis ſit. Quam vero ſatius eſſet, eum tibi vel peſſimum, & rapacem, ut Rapidius eſſe dicitur, vivere, quam ut modo . . . Non ſivit ulterius eum progredi Rapidius: aſſurgens namque, ſellamque a ſe magno impetu removens, quid ais tu, maxima inclamavit voce, Blandidiane, quid ais? Jamdudum ego te, iſtoſque dicere mihi injuſte patior: ſed quando modum omnem exceſſit ſuperbia veſtra, & vocem mihi eſſe, & contumelias, quas in vos regeram, oſtendam. An me haec pati poſſe cenſes? atque adeo tu praecipue me, quem praeter caeteros diligere affirmas, mendaciſſime, injuriae exiſtimaſti opportunum, ut unum tantopere ultro laedendum, & traducendum cum ignominia ſuſceperis? Riſum aedepol & ſtomachum ſimul moves,
quum

quum te, & infantiam tuam aperte ſpectandam nobis, egregie orator, proponis. Vix loqui, vix efformare verba potis es, vix quid dicas invenire, & audes nihilominus, bellua, te magnifice prae omnibus oſtentare, & criminari ſimul nos, quibus mehercule fucum facere non potes. Artes tuas belliſſimas, & arcana ſapientiae ita protuliſti, ut, qui ſemper ignarus minimique precii fueris, nunc in extrema ſenectute prorſus deſipuiſſe videre-re. Palpator, ſervili ingenio, levior quam pluma, omnium peſſime, & nequiſſime. Tu me damnas, flagitium hominis, ſubdole, mendax, impuriſſime? Rapacitatem mihi objectas: at, Dii boni, quis te rapacior? qui ſane omnium hominum quotquot ſunt, & quotquot fuerunt, es rapaciſſimus. Niſi te fortaſſe ea in re Vulpinus tuus aequat; cui tu ſubblandiris, cui faves; & quem magnifacere te quammaxime jure merito decet: Similis ſimilem ſcilicet, aſinum aſinus, latronemque latro diligis. Me quaſi furem jamdiu omnes culpatis, modeſti ſcilicet ipſi, & temperantes. Nec vobis in mentem venit cogitare, me quidem omnium, qui in hoc adeſtis convivio, parciſſimum, atque abſtinentiſſimum eſſe. Quis enim veſtrûm eſt, qui principum virorum fortunas patrimonio non aequet ſuo? Majorum ſcilicet virtute, Deûmque benignitate partas habetis opes, lupi, accipitres, domorum, ac patrimoniorum voragines. Euge Blandidiane! Euge Vulpine! Aediculas noſtras, & ſane anguſtum fundum, viginti annorum labore parta carpitis: & ego regias veſtras laudabo, argentique ſtrues, integroſque agros, quae in teſtamento veſtro erunt, quum in patris, avique non fuerint. Ego ſcilicet fur, ego cruce dignus, ego infamis; At cur? Ego dicam, quia tantulum furatus ſum, artique dedecori fui; nec ſatis, pro modo & opinione veſtra, divitias furando paravi. Tu vero, Vulpine, quando obtutu iſto minaci me ab loquendum invitas, immo adigis, meminiſſe profecto debes quae ſimul aliquando fa-

cti-

Digitized by Google

ctitavimus. Quae ut omittam, ſcis me noſſe ubi tu fidentem fraudaveris, ubi clienti infidelis fueris, ubi verbis conceptis ſciens, prudenſque libentiſſime pro pecunia pejeraveris, ubi in mendacio deprehenſus fueris. Urit hoc te; at patere, nam prior laceſſiſti veterem amicum, & ſocium, conſciumque rerum tuarum. Age vero, Blandidiane, complectere iſtum, complectere, dignus etenim eſt, quem ames, quem in oculis habeas; ex eodem nam furfure eſtis ambo: iſtumque tu potes, alterum te vere dicere. Miſerum me! noctes, dieſque vigilo, maximis conficior laboribus, libriſque hercule immorior, ut atri panis fruſtum uxori, liberiſque comparem meis, & me aſelli iſti ocioſi, ac reſides calcibus impetere audent! Nec de iſtis miror, nauci enim non ſunt, ſed sane lucrum coeno commixtum, & ſterquilinium merum. De te mihi, Voconi, prorsus novum accidit, & inopinum, qui me carum tibi, intimumque ſemper habuiſti. Nec injuria; nam pluries jam ad operam meam confugiſti, doctoremque me tuum, ac magiſtrum in egenis rebus tuis appellaſti. Et profecto tibi haud inutilis amicus fui: nihil mihi arrogo, verba tua profero, qui me modo tantopere contemnis, atque in me tot contumelias congeris. Impure, inhoneſte, ingratiſſime, fori labes! admiratus es toties sapientiam meam, & in caelum tuliſti laudibus, nunc accuſas, & loqui prohibes, invide. An veritus es, ne ea in te proferrem, quae modo, nictes, nutesque, ac miniteris quantum libet ut taceam, omnino proferam? Audite igitur vos, ad vos nam adoleſcentes convertor, quandoquidem ſeniores iſti & mori, & nequam ſunt, ut qui maxime:

Audite igitur praeclari hujus Jurisconſulti facinora . . . . Hic finis Rapidio loquendi, & mensae ſimul obambulandi (nam ita quae retuli deblateraverat) fuit. Stupentibus etenim caeteris, arrepto dicto citius e patris manibus ſcipione Voconius, in medium

dium proſiluit; & prae ira, latratus quoſdam inconditos, non vocem edens, in dicere paratum Rapidium fortiſſime per Deos impetum fecit: hominemque primo ſtatim impulsu afflixit, & proſtravit; ictus ingerens tanta celeritate, ut quot ille acceperit a commilitone ſuo, & conviva, nullo tibi modo, Panſute, referre poſſim. Deûm, hominumque fidem interea implorabat Rapidius (in quem Blandidianus, & Vulpinus quicquid e menſa poterant ejaculabantur) fractaque voce ejulans, gemensque uxorem ſuam miſeram, & miſeros filios dicebat; Patremque praecipue meum appellabat, & accuſabat ſimul, quod ſe ad ſicariorum latronumq; convivium invitaſſet. Hîc vidiſſes, Xaveri, quod in vi capta urbe evenire scriptores referunt. Nam Rapidii diſcipuli praeferoces illi quidem, & validi, in Blandidianum, & Vulpinum, quibus, malo ſenum fato, vicini erant, insurrexerunt; & quum capillamenta iis primum deterſiſſent, pugnis acerrime inceſſebant, & e ſellis repetitis ictibus proturbabant. Vulpiniani contra, & Voconiani, ad pugnam & ipſi accedentes, in Rapidianos, a quibus caſu menſa dividebantur, patinas, ſellas, cyathos hoſtiliter conjiciebant, haudquaquam ſemper certo ictu; nam ſaepiuſcule ſuos magiſtros imprudentes feriebant; qui, quum jam Rapidianorum vim ſuſtinere amplius non poſſent, veſtibus laceratis, nudis capitibus, lacrimisque oppleti humi foede jacebant, quum illi magnis animis, eximiaque virtute calcibus ſenes infeliciſſimos proculcarent. Profligato interim in altero cornu hoſte, Voconius haec inter occurrit, ſerum commilitonibus, ſed ingens auxilium: relicto inter Patris manus Rapidio, cui caput probe imminuerat, & ſanguine viri faciem, veſtesque largiter foedarat. Tum ingenti mugitu, pugnae ſignum dans, eodem illo ſcipione in Rapidianos uſus, illos in hoſtem converſos a tergo iterumq; iterumque affabre dolavit; at non impune tulit: nam ex iis unus corpore, rabie, & viribus longe praeſtantiſſimus in

Vo-

Voconium celeriter obverſus, ejus os paſſis ambabis manibus validiſſime percuſſit, & corpore in illum incumbens magno fragore in terram e ſella, in quam Voconius pugnaturus aſcenderat, dejecit. Conſcenderant interea menſam Vulpiniani, Voconianique proterentes omnia, & calcantes, ut magiſtris ferrent ſuppetias: & cum in Rapidianos incurriſſent, redintegrata in hoc cornu pugna eſt, ac recruduit inter adoleſcentes, qui rem ferociter, & vere militarem in morem gerebant. Ejulabat, maximosque gemitus parte alia edebat Voconius, cui e naſo, & ore ſanguis profluebat,male etenim impegerat cadens in menſae pedem. Aderant ei Blandidiani diſcipuli, qui extra pugnam usque ab initio abſceſſerant, ne ſcilicet cincinnos ſuos inter ſigna, ictusque, & arma ferrent. His tot, tantisque variis caſibus, clamoribusque, & vulneribus exanimatus Pater, veritusque, ne res in caedem poſtremo verteretur, vicinos convocarat, ruſticosque e rure, & ſervos, ut obſtinatam, calentemque tunc maxime dirimerent pugnam. Sublevatisque primum Blandidiano, & Vulpino, conquiſitisque eorum capillamentis, clam per horti maceriam obvolutis capitibus domum dimiſit, paventes, ac miſere identidem interrogantes, num Rapidianus quispiam suam animadvertiſſet fugam, ac fugientes inſequeretur. Tum Voconii curam ſuſcepit Pater pluribus adhibitis, eoque in culinam primum, repugnantibus acriter Rapidianis, magna contentione reducto, poſtea per poſticum dimiſit; linteolo per os medium conſtricto ad excipiendum ſanguinem,deformitatemq; oris celandam. Nec diuturna poſt Voconii diſceſſum pugna fuit: dilapſi etenim ſunt Blandidiani diſcipuli primum, poſt deinde cum Vulpinianis etiam Voconiani,ut vix Rapidiani ſupereſſent, qui plurima certe, & egregia illo die facinora ediderunt, viriliterque praeceptoris caſum ulti sunt: ad quem eos in cubiculum, ubi ille jacebat, adduxit poſtremo Pater, frementes adhuc, & minitantes, nec incruen-

cruentos. Jacebat in lectulo Rapidius, atque ei Medicus adſidebat, qui forte fortuna ſub pugnae tempus domum, ut ſolitus erat, advenerat. Is contuſum valide quidem Rapidium ajebat: ſed nihil periculi eſſe: nec ſanguinem, quo illum reſperſum videbamus, curandum eſſe; leviter enim ei cutem alicubi eſſe diſtractam. Iccirco eum paullo poſt Pater ſatis refotum, domum cum diſcipulis, vicinus etenim nobis erat, comitatus eſt: ſanctiſſime, quum rediit, adjurans, nil se deinceps cum eo hominum genere rei habiturum, qui, quum tantam dignitatem gravitatemque oſtentarent, tam revera bonarum rerum omnium ignari, tamque foedis moribus eſſent.

F I N I S.

Digitized by Google

JANUARII PARRINI
J. C. NEAPOLITANI
DIALOGI FORENSES
DECEM.

Digitized by Google

Digitized by Google

DIALOGI FORENSES

D E C E M.

I.

Blandidiani , & Palponii .

Palp. SAlve Blandidiane . Salve : Quid taces : Satine recte ? *Bland.* Haud male quidem , Palponi : ſed aliud quippiam eſt, quod me ſollicitum habet . Quid extimuiſti ? Parva sane res eſt , & prope contemnenda. *Palp.* Cur non extimeſcerem, quaeſo, quum te tacitum , moeſtum , curaque plane confectum offenderim ? At jam quicquid iſtuc ſeu magnae , ſeu parvae rei eſt , eloquere mihi . *Bland.* Dicam tibi . Cras mihi , ut noſti , denuo Dionyſii cauſa eſt agenda , in qua Caeſar , & Cajetanus adverſus me dicent . *Palp.* Quod tibi bonum , fauſtum , fortunatumque ſit : rurſus eos percelles , atque proſternes . Nonne omnia parata iampridem habemus ? Digeſſimus , diu jam eſt , quae duo Dionyſii Procuratores ſcripſerant , quaeque Modeſtinus , & Camillus ſelectiora , & acutiora , ut ipſi vocant , invenerunt . Nam quid modo te affligas ? *Blandid* . Audi reliqua , amabo te , Palponi : tunc me jure angi dicas faxo . Pranſus ego modo hîc in domeſtica porticu deambulabam , ut ſoleo, quum ecce tibi Carolus e Cajetani ſchola ad me venit, neſcio quid ſuae rei mecum acturus . Qua cito tranſacta , Heus tu , magnifice renidens, inquam ego, Carole , probene meditatus in nos craſtino die inſurget Cajetanus ? Ab arculis credo ſuis pigmenta omnia oratoria proferet , floſculiſque nos obruet , ac orationis nitore praeſtringet , indoctos ſcilicet homines , taliumque rerum ignaros . Hîc ille ,

ille, non hercle vero, inquit, magiſtro meo valde modo allaborandum fuit, ut quid contra Dionyſium diceret, inveniret; nam tribus verbis cras cauſam omnem expediet. Hui tribus verbis! repoſui; Hercle tribus, immo nec ſuis, ait ille. Tunc inſtanti mihi,ut quaenam tandem divina verba iſta eſſent, diceret, legem quandam ille protulit, eamque, controverſiam omnem affirmavit decidere. Dimiſi comiter hominem, atque aliquid, & nos ſorte inventuros, hilari quidem vultu diſcedenti dixi, quo Cajetani legem aliquo pacto retunderemus. Sed valde anxio, & ſollicito animo eſſe coepi, poſtquam oleum, & operam nos perdidiſſe intellexi. Nam & Modeſtinum, quum quid ſentiret de propoſita controverſia jam inde a principio ſciſcitatus eſſem,reſpondiſſe memini,contra leges Dionyſium noſtrum petere: indeque vix, atque aegre ut aliquid pro illo ſcriberet, addito ei Camillo, adduci potuiſſe. Nonne ergo digna videtur res, quae me ſollicitet? *Palp.* Porro digna: ſed ut animum ideo deſpondeas, ut ea de re actum jam eſſe putes, id mehercule Blandidianum non decet. Pluries jam, & neſcio an ſemper contra legum auctoritatem tuae pervicerunt artes: cur non & modo eadem ſperabimus? At, ita te Dj ament, quamnam legem dicebat Carolus? *Blandid.* Ne excideret hic ſtatim adſcripſi; lex eſt: Si Praedius = de in rem contradictione: *Palp.* Vah! Quid contradictio ad nos! At unde ea eſt lex? e Pragmaticis noſtris eſt, an e Regni Conſtitutionibus? *Bland.* Id vero nec Carolus dixit, nec ego de eo quaerendum cenſui, ne nos.... At ſi videtur, Modeſtinum advocemus, qui hanc rem nobis expediat. *Palp.* Quid tibi modo Modeſtino opus eſt? Unam vix legem nobis adverſari audis, & ad illum continuo, quaſi ad ſacram anchoram. Sane nimis ſuperbiet, ſi ad ſe & modo iri videat, nihilque nobis in nobiſmetipſis opis eſſe. Viſne hoc in vulgus manare? Vis eum tibi ſocium palam adjungere? Cui poſtea & pecuniae, nedum honoris magna pars concedi debeat.

Age

Digitized by Google

Age potius Blandidiane, age mihique auſculta, inſpiciamus nos, ecquid iſta tandem divina lex ferat: modo, credo de Caelo illam decidiſſe. Videbimus an conjectore ſemper indigeamus, &, veluti ad ſomnia fieri ſolet, obſcurorum interprete. *Bland.* Quando ita lubet, aggrediamur ad rem. En cape carthae fruſtulum hoc, ibi ſcripta lex eſt; legiſne ſcriptum hoc? *Palp.* Maxime. Sumamus ante omnia Regni Conſtitutiones, atque hinc inquiſitionem incipiamus. Hui, quam pulverulentae! *De .. De .. De .. De .. De ..* Hîc plane non eſt; Ter jam titulos omnes quibus = *De* initium eſt percucurri, & nuſquam = *De in diem contradictione* = apparet. *Bland.* Pragmaticas adi, ibi ſpero nos, quod quaerimus, inventuros. *Palp.* Sine eas hic e feneſtra prius excutiam, ne nobis ſpiritum pulvis intercludat. *De ... De ... De ... De ...* ut pereat nebulo ille cum ſuis titulis! *De ... De ... De ...* Fruſtra jam hinc petimus, quod alibi fortaſſe eſt, ſi modo uſpiam eſt. *Bland.* Pandectae, & Codex ſuperſunt, eos inſpiciemus: Si nec hos hunc ferre titulum inveniemus, in maximam malam crucem Carolum, Cajetanum, omneſque ſuperbos, & vanos ejus generis Jureconſultos mittemus illico cum ſuis legibus & Pandectis, quos tanti faciunt. At quid haec ſibi vult nebula! mane, mane quaeſo, ut reciprocare animam poſſim, quid agis? jam faceſſam hinc quantum poteſt. *Palp.* Horum quippe vel pulvis eſt incommodus: mihi quidem & acrem injecit tuſſim, & oculos tenebris obduxit. Hos nimis imprudenter & temere, rabie percitus arripui. At jam accedas licet: linteo jam omnis hinc abactus pulvis; accede; ego rem interea geram. *De ... De ... De ... De ...*, ut te Dj omnes, Deaeque perdant, Carole: Codex eum titulum non habet. *Bland.* Vide ſis Pandectas. *Palp. De ... De ...* Quid hoc, obſecro, eſt? Ebrius quippe ad te acceſſit ille, & plane vigilans obdormierat Carolus, quum hanc tibi legem, & titulum retulit. *De ... De ...* at at,

mane

mane mane: Eccum tandem = De in diem addictione = numnam hic fuerit titulus? certe = *De in diem contradictione* = nullus eſt. *Bland.* Si legem in eo quamdam = Si Praedius = reperies, is omnino erit. *Palp. Si . . . Si . . . Si . . .* Eccam, per Jovem, invenimus Blandidiane jam: Num Modeſtino indiguimus? Pluris jam nos facere debemus, et ſane pluris ſumus. *Bland.* Merito ſuperbis, Palponi, vir es. At recita legem, ut ſi quid ad nos videamus. *Palp.* En verba: *Si praedio in diem Bland. Manta* quaeſo, = *Si praedius* = non = *Si praedio* dicebat ille: vide ne erres. *Palp.* Erraverit ille potius, hic certe = *Si praedio* = ſcriptum eſt. *Bland.* Sequere jam. *Palp. Si praedio in diem addicto, ante diem venditor mortuus ſit: ſive poſt diem haeres ei exiſtat, ſive omnino non exiſtat, priori emtori praedium emtum erit* = *Bland.* Quidnam malum haec ſibi vult lex? ante diem, ſive poſt diem, haeres exiſtat, ſive non exiſtat! Nos quidem ludos facit: non tibi videtur hoc? *Palp.* Videtur profecto. At reliqua audiamus = *Quia melior conditio allata, quae Domino placeat, intelligi non poteſt* = *Bland.* Sane tu bella intelligi non vis. *Palp.* = *Quum is, qui vendat non exiſtat: Quod ſi intra diem addictionis haeres exiſtat, melior conditio ei afferri poteſt* = Quid ais praeceptor? *Bland.* Quid tu ais diſcipule? mihi res prorſus videtur inenodabilis *Palp.* At age, dic mihi, de die, an de nocte Laelius obiit, cujus de domo modo agitur? *Bland.* Circa mediam noctem. *Palp.* Gaudeo iſtuc; nam jam a nobis ſtabit haec lex. *Bland.* Quid ita, quaeſo? *Palp.* Nam haec = *Si ante diem venditor mortuus ſit*, inquit, *tunc priori emtori praedium emtum eſt*: Dionyſius, cui tu ades, nonne prior ſive emit, ſive empturum ſe domum affirmavit? Certe ibi jam pridem habitat. Et rurſus nonne, Laelius, cujus erat domus, ante diem, ut tu ais, mortuus eſt? Niſi ſi tibi media nox dies videtur. Quid ergo? quid Cajetanus ſomniatur? Vicimus magiſter; eja jam vicimus. *Bland.*

Probe

Digitized by Google

Probe hoc & acute ſatis ; placet. At nos de domo agimus, non de praedio, quod lex diſerte nominat. *Palp.* Hoc vero aliquo pacto explicabimus, vel enim ... vel ... *Bland.* Scine, Palponi, quid mihi modo in mentem venit? ut de lege mentio erit ab illis illata, ſtatim aſſurgam, & prior illam recitabo ; atque ubi = *praedium* ſcriptum eſt = *domum* = ſupponam. Quiſnam mihi non credat? Tu praeterea, noſtrique omnes tunc maxime temporis acclamabitis, ut prae ſtrepitu Cajetanus, Caeſarque, ſuique exaudiri non poſſint. *Palp.* Optime, optime, atque ita ſane faciemus, ſed neſcio quid lex de haerede dicit: excutiamus & hoc, audi amabo. *Bland.* Audio, dic jam. *Palp.* Hîc ſcilicet de haerede loquitur; *ſive poſt diem haeres ei exſtat, ſive omnino non exiſtat* = *Bland.* Extra omnem controverſiam hoc eſt; nam vix poſt mēſem, quod bene memini, Vincentius avunculi Laelii haereditatem adiit, non modo non = *poſt diem* = ut lex jubet. *Palp.* Egregie, egregie, ut nihil ſupra! optime legis mentem es aſſecutus, ut admirer profecto & in hoc ingenium tuum. At quum ſcriptum hîc ſit = *ſive omnino non exiſtat* = quid tunc ea vult? *Bland.* Nonne intelligis jam, Palponi, *diem unum* ſolennem in hac lege eſſe, in quo debet defuncti venditoris haeres exiſtere! eo quippe praeterito, jam non ultra haeres contra priorem emptorem poteſt agere. *Palp.* Nunquam ego ita diſerte, ita enucleate nec Camillum, nec Modeſtinum ipſum, quum domo huc meditati advenifſent, legem ullam exponere, atque explicare audivi, ut tu modo ex tempore executus es. *Bland.* Refer jam ſi quid ultra de haerede lex habet. *Palp.* En tibi in poſtrema lege rurſus haeredis mentio = *Quod ſi intra diem addictionis haeres exiſtat, melior conditio ei adſerri poteſt* = *Bland.* Nunc hercle vero mihi plaudo, nunc ſerio triumpho! viden, ut congruant omnia! repetit lex = *Si intra diem addictionis haeres exiſtat* = ut videas id eam inculcare, quod paullo ante expoſuimus, = *unum*

Digitized by Google

intra *diem* = omnino debere haeredem exiſtere. Sed Vincentius non modo non intra diem, ſed pene poſt menſem haeres extitit; ergo? *Palp.* Ergo viciſti magiſter. Sine tibi me centies manum deoſculari, magiſter, vere magiſter. Et ſane perplexa, & obſcura, ut quae maxime, lex eſt. *Bland.* Tenebricoſa quidem, fili. Quid autem illud de meliore conditione hic ſcriptum eſt? *Palp.* Apertum id quidem, & quod meo ipſe marte aſſequar ſine ope tua. Quum enim hîc de meliore conditione loquatur lex, cui dubium, quin illud ea dicat, quod vulgo omnes, nempe meliorem eſſe conditionem poſſidentis? *Bland.* Scite iſtuc, probo, & id pro nobis eſt; nam habitat in aedibus controverſis Dionyſius, & mercedem uſque ſolvit, ut nil prorſus contra ejus poſſeſſionem dici queat. At tandem evaſimus e ſcopuloſa iſta lege! tandem! At cujuſnam Imperatoris eſt, vide, *Palp.* Pomponii lex eſt. *Bland.* Novum ſane nomen, & inglorium! Hui pudet! Imperatoris Pomponii legem interpretati ſumus. Mallem Papiniani Imperatoris, aut Scaevolae; Sane gauderem. *Palp.* At quid hoc ad te? Hanc legem adverſarius proferet, non tu. Magnificum certe tibi fuerit, ab alio allatam legem ſtans pede in uno optime interpretari: quam vero legem ſeligant, ipſi videant. *Bland.* Recte mones. At jam rhedam mihi jungi volo, jubeſis: interea deambulatum huc in noſtram porticum exeamus: noſque magnifice iis, qui nos manent, oſtentemus.

II.

Vulpini, & Callentii.

Vulp. Occurrimus paullo ante Albino, & pallere eum, atque aegre incedere conſpeximus, Callenti, tuſſique ab alto graviter concuti, & vix magno labore excreare, ut facile intelligi poſſit, aud diu vitam illum eſſe produ-

producturum. Praeterea ſenex eſt jam, & nunquam proſpera eſt uſus valetudine. Itaque jam nunc ſerio agere, ac vigilare oportet, ejuſque veſtigare clientes, ne quis forte nobis diligentior tam copioſam haereditatem adeat. *Call.* Verum quidem eſt hoc. Nam & nos nudius tertius eum vix animam reciprocare poſſe vidimus, quum e foro pedibus, ſequente rheda, ut mos eſt, ſe domum reciperet. Sapienter igitur mones; res jam ſedulo eſt ſuſcipienda, jam circumeundum, atque Albini ambiendi clientes. *Vulp.* Maxime vero pervidendum eſt, ne nos hoc agere populus intelligat, nolo enim me avarum, & rapacem credi, atque in amici, & collegae fatum vota ſuſcipere, compendii ergo. *Call.* Veteres ſcilicet actores docendi ſuas partes ſunt modo, Vulpine: neſcimus nempe quo id pacto fiat, quum tot jam per annos id agamus, atque ita mehercule diſſimulanter & cate, ut neſcio an aliquis ſit, cui hoc ſuboluerit adhuc, praeter Voconium. *Vulp.* At uſque eſt cavendum: ſemel enim deprehenſi... *Call.* Ah! ne verere quaeſo; immo hoc potius age. Mercatores hos externos in tua vicinia praedivites Albini eſſe ſat ego ſcio: his jam admovenda eſt machina, nam largi ſunt, &, ut noſtrarum rerum ignari, nullo negocio circumducuntur. *Vulp.* Hi enimvero jam prope in tranſennam inciderunt. Diu jam etenim eſt, quum rete in eos tetendi. Mihi tuto credi jampridem cenſent, felicemque me inſuper in cauſſis eſſe, doctumque, & diligentem, ac probitate ſingulari. Habent jam, noſtri ſunt. Illud vero curandum, quod longe pluris eſt. Corpora aliquot conſilio Albinus regit, haec praeter omnia trahere ad me velim. *Call.* Et e Principibus nonnulli etiam Albini ſunt: ſed res indagine, Vulpine, indiget: cras ego tibi exploratam hanc rem dabo. *Vulp.* Nec nos ceſſabimus, impigre rem geremus; ut nos antea Albini haeredes audiat Voconius, quam Albinum mortuum.

Digitized by Google

III.

Vulpini, *Callentii*, *Ambroſii*.

Ambr. SAlvete plurimum, viri optimi. *Vulp.* & *Call.* Salve, & tu Ambroſi. *Ambr.* Quomodo vales Vulpine, rectene dormiiſti hac nocte? Nam tertium jam huc hodie advenio, nec tui mihi conveniendi fuit poteſtas; valde te enim occupatum ajebant, nec perbelle te habere. *Vulp.* Nec valeo ſatis, nec mihi ſomnum amicum efficere queo. *Call.* Quando tibi ipſe magnus es inimicus, ut ſomnus amicus ſit fruſtra edepol poſtulas. Prope ad auroram cum libris vigilas, & nondum exorto ſole ſub primum galli cantum ſurgis, & valere velles? *Ambroſ.* Ah! Quid agis, Vulpine. Nonne cogitas tot hominum ſalutem contineri tua? atque ex tui unius vita quamplurimorum pendere? reſpice te jam, & ſerio cave. Tua enim cautio noſtra omnium cautio eſt. *Vulp.* Quid caveam, amabo, quum negociis obruar, nec me quotidiana turba reſpirare jam ſinat? At quid tu, Ambroſi? Dic cito, ſodes; minime etenim nobis ocium eſt. *Ambroſ.* Oratum veneram, quod potes meminiſſe, de pecunia illa ſcilicet. *Vulp.* At fieri nequit. *Ambroſ.* Cur nam iſtuc tandem, obſecro? *Vulp.* Rem plane eloquar: tibi enim amicus ſum, ſed amicior veritati. Cauta creditori pecunia non eſſet; plus nimirum aliis jam debes, quam vendi aedes poſſent hoc tempore. *Ambroſ.* Ah! Quid ais Vulpine. Dimidio profecto plus valent, quam debeo: & rus praeterea obligandum praebui. *Vulp.* Scis me neminem fallere, Ambroſi; nec ſi quenquam aliquando, clientes unquam fas eſſet fallere. Rus iſtud tuum propter maternarum dotium hypothecam quaſi non eſſet, ne nomina. *Ambroſ.* Ut illud ego ne nominem? Quantacumque; obſecro, tanti fundi pars doti erit obnoxia? *Vulp.* Ita mihi quidem videtur Ambroſi, ne fruſtra ſis, & incaſſum excandeſcas. Male tibi

tibi credi puto; nec ego tui compendj cauſa illum, qui bona fide me rerum ſuarum omnium moderatorem & arbitrum conſtituit, decipiam. Dehiſcat mihi prius tellus, quam hoc faciam facinus. Viſne me adverſus animi mei conſcientiam reſpondere, ut improbi iſti faciunt vulgo: Et.... *Ambroſ.* At quaeſo te, Vulpine, rem melius perpende, vide... *Vulp.* Quid videam, ſat vidi jam. At cras tecum, quanquam acta res eſt; modo ad bibliothecam propero: vale. *Ambroſ.* Cras redeam, ut jubes, vale. Quid tibi hoc negotii videtur Callenti? Nec domus, mihi jam, nec fundus ſunt: abſtulit omnia, & e divite repente pauperem me effecit Vulpinus. Vah! Quid hoc rei eſt! diſrumpor miſer. *Call.* At tu nimius profecto, & plane importunus. Noſti hominem; nimis probus eſt. & valetudo modo eum effecit moroſiorem. Quid tibi vis dicam? non ita factum a te oportuit, ut factum eſt. *Ambroſ.* Hem! Praedixiſſes! At nihil mihi in te opis, Callenti? Lapſam rem, modo velis, potes reſtituere; ſcio. *Call.* Quid poſſim, quid audeam cum tam forti, & propoſiti tenace viro? *Ambroſ.* Aliquid cogita, aggredere, gratum me ac memorem ſenties, ipſique Vulpino aud male cedet haec res. *Call.* Novi ego largitatem tuam; ſed difficile factu nimis eſt, quod poſtulas. *Ambroſ.* Age jam, centum illi, quinquaginta tibi aureos praeſentes dabo; obſecro te, reſecroque, Callenti, ne me deſeras. *Call.* Nimis me in arctum cogis, & prope vim affers. *Ambroſ.* Scis me nec obaeratum, nec decoctorem eſſe. Deûm bonitate, ac majorum virtute dives ſum ſatis. *Call.* Novi hoc probe. *Ambroſ.* Pecunia modo praeſenti, eaque haud permagna ad exſolvendam fidem meam, indigeo. Quid ais? Dabiſne hoc perfectum mihi? *Call.* Quid dicam tibi aliud? Dabo: miſeret me quippe tui; honeſtum ſemper, ac liberalem cognovi. *Ambroſ.* At ne quae in Vulpino ſit mora. Nimis ego vereor ne... *Call.* Et hoc ego oneris in me ſuſcipio: ego tibi eum malaciſſabo,

bo. Cras primo mane huc propera, at cum pecunia; audiſtine? abi modo. vale.

I V.

Nicolai, & Franciſci.

QUò is, Nicolae, tamque propere? *Nic.* Sine me quò malus me vocat Genius ire. *Franc.* Non temere hoc quidem eſt. Age dic ſodes, quidnam hoc malae rei eſt, quod te agitat? Jam te aut ope, aut opera, aut conſilio juvabo. *Nic.* Ah! ne retine quaeſo, valde mehercule occupatum. Nec ope, nec opera, nec conſilio tuo modo opus eſt mihi. Linque per Jovem. *Fr.* Hoc ut tu a me impetres? Fruſtra tibi amicus fuero, & me inanem & inutilem prorſus appellare jure poteris, ſi modo te deſeram. Dic age, certum me, & tui amantiſſimum dicas ſaxo. *Nic.* Enimvero odio me enicas. At quando aliter a te nequeo avolare, accipe rem, ac dimitte. Praeſenti pecunia indigeo, ſi carcerem vitare volo: Laurentio illi mercatori, qui ad forum eſt, jamdiu debeo. Modo apud Judicem acta res eſt. Quid opus eſt verbis? Tercentum tantummodo praeſentibus aureis nummis res confici poteſt; quos expedire nulla ope poſſum, etiamſi omnia, quae habeo domi corradam, & vendam. Satine eſt tibi hoc, an me ultra retinendum cenſes? *Fr.* Malum pol iſtuc eſt: ſed cui mederi aliqua ope poſſimus. Ejus amicos adibimus, rogabimus ipſum: rem aliquam demum cogitando, conſulendo excudemus: quî aliquid aliquo pacto efficiamus; ne deſpera, neve animum deſponde jam. *Nic.* Nae tu hodie me ad furorem adiges, Franciſce. Quoties iſtaec me per triennium tentaſſe putas? Nec preces jam, nec amicos, nec Deos ipſos, ſi rogent, curet ille amplius; & merito quidem, argentum ſibi ſolvi vult, nec, quid ultra ſperem, eſt; At linque jam me,

me, ſine abeam. *Franc.* Mane vero mane: & quando iſte tuus tam durus eſt, tam inhumanus, certum tibi ego conſilium dabo, ut eum, Judicemque eludere, & fruſtrari, vel aliud integrum triennium poſſis. Exporge jam frontem, ac moeſtitiam inde omnem ac ſeveritudinem abſterge, & me audi. *Nic.* Exſpecto quid dicas. *Franc.* Novi ego magnum quendam virum, & omnium quidem Juriſconſultiſſimum, qui me pluries iſtiuſmodi creditorum moleſtiis liberavit: innumeroſque etiam novi, quibus ipſe anguſtiſſimis in rebus plane Deus fuit. Quem hominem Dj immortales! ad hunc propere cauſam deferemus; Quid? ut virum aſpicies, te ſalvum illico credes: nam vultu admodum certo eſt, & te ultro bonum animum habere extemplo, ne audita quidem re, jubebit, cauſamque alacer ſuſcipiet, & . . . *Nic.* Quid tu mihi cauſam, & Jureconſultum memoras? nulla hic cauſa eſt. Argentum ille bona fide credidit, debere me, ac ſoluturum certo die ſpopondi: jamdiu eſt quum dies ceſſit; quid ergo magnus iſte vir tuus efficiat, etiamſi Solon, etiamſi Lycurgus alter fuerit? *Franc.* Ridere me cogis, Nicolae. Tune quid ille poſſit, ſuſpiceris? Summum eſt profecto ingenium hominis, incredibilis doctrina, ac diuturna experientia. Ignoras quippe tu leges, earumque miram his in rebus providentiam. Ille rem tibi tribus verbis expediet. Judicem ſtatim adibit, Deorum, hominumque fidem implorans, & nil debere te Laurentio, immo hunc tibi debere aliquid ſancte affirmabit, clamabit, te potentia adverſarii de tuo jure dejectum dicet, & rem dicto citius in vado collocabit. Age eamus. *Nic.* Eamus, at quid ſperem neſcio. *Franc.* At habeſne decem ſaltem aureos, quibus hominem nobis primo ſtatim congreſſu conciliemus? *Nic.* Habeo vel quindecim. *Franc.* Eamus ergo, eamus.

V.

V.

Blandidiani, & Palponii.

OPportune mones Palponi; jamque res gerenda gnaviter nobis eſt, ne ſtatus nos dies inparatos offendat. Sed quot Judices in Aurelii cauſa habituri ſumus? *Palp.* Sex, ut opinor, niſi quid novae rei ingruat. *Bland.* Ex his duo jam pridem noſtri ſunt, Demetrius quippe, & Labanus, nonne & hi ſedebunt? *Palp.* Quammaxime. *Bland.* De reliquis jam cogitandum: cujuſnam moris tibi videtur Fabius? Is nam novus eſt, nec quicquam adhuc mihi rei cum illo. *Palp.* Superbus hercle eſt, nimiſque iracundus. *Bland.* Nempe noſter hic homo eſt, habeo virum: Cras aggrediar, atque ita tibi tres intra dies cicurem illum, & manſuetum reddam, ut non cognoſcas eumdem eſſe. *Palp.* Mirum iſtuc: at quid inceptabis quaeſo, magiſter: nec enim facile factu mihi videtur. *Bland.* Quod ſoleo. Palpo invadam, blanditiis obſideam, laudibus expugnabo. Quid ais? Ita illum magnificabo, caeteroſque prae ipſo contemnam, ut neminem aeque ac me amet ille, tantique faciat. *Palp.* Prorſus mirifice, atque ut Blandidianum decet. Sed quando illum cauſam docebis? *Bland.* Tunc ſane, quum ut me amet efficiam. *Palp.* Aenigmata loqueris. Amabit jam ille primo Congreſſu te, demus hoc: quid autem ad cauſam? *Bland.* Ut in meos incidet caſſes, ut me ſibi certum, amicumque arbitrabitur, extemplo ego bonum jus fovebo, ac adverſarios vel tacens pellam, ac fundam. *Palp.* At nihil in conſilio dices, nec orationem ſcribes? *Bl.* Faciam utrumque, ſed dicis cauſa, utque Aurelium preſſius emungam: id vero non mea, ſed Modeſtini curatio eſt. *Palp.* Quid ita? *Bland.* Nonne ei nudiuſtertius mandavi, ut quae ſibi viderentur perſcriberet? *Palp.* Memini: at ita contemtim, aliudque agens dixiſti, ut verear, ne oblitus ſit ille,

Bland.

Digitized by Google

Bland. Ut obliviſcatur ille ! Cras eum videbis , de more, tranſacta huc omnia afferre . Ea deinde , & quae Aurelius ipſe ad nos primum ſcripta detulit , more noſtro commiſcebimus , ac conturbabimus , pauca quaedam huc illuc, tralatitiumque aliquod e noſtris exordiis addentes ; ut nemo quantumvis malus animadvertere poſſit quid actum ſit . Atque ita & dicemus optime , & orationem edemus: Modeſtinum laudabimus , ut ſolemus , blandeque uſque excipiemus : ſed ab ipſa cauſa, a litigatore , a judicio , atque ab omni ejus rei curatione omnino , ut conſuevimus, removebimus . *Palp.* Sapientiſſime medius fidius . Nam & rem nullo labore expedies , & magiſtrum tetricum illum, & moleſtum peſſimam in rem ablegabis, ne obturbet, ſuaque te pro tuis ingerere divulget . Sapientiſſime medius fidius , ſapientiſſime !

Bland. Iſtuc autem ita fiet , Palponj : nunc reliquos Judices recenſeamus. Theodori quaenam indoles eſt? Humanus mihi, & non malus videtur. *Palp.* Eſt quidem ut praedicas , at cum uxore dies , noctesque litigat , id mihi amanuenſis ille ſuus retulit . *Bland.* Hinc ergo tragulam in illum conjiciemus : hâc ille ſine dubio apertus eſt , atque immunitus . Principio oſorem mulierum me praedicabo , multaque in eas maledicta ingeram ; Te deinde , Palponi , me auctore , diſſidium jam cum Julia tua parare dicam , ita perpetuo obgannit , ita ſemper turbas ciet , ita male te excruciat . Hic mihi ille lubens calamitates narrabit ſuas ; teque uti ſocium ejuſdem miſeriae diliget ſtatim , & amplexabitur . Res mihi poſtmodum in proclivi fuerit , & nobiſcum jam ſentiet Theodorus . At quid Camillus , & Eugenius , qui ſuperſunt ? Age narra mihi quae de iſtis habes. *Palp.* Hoc vero ſupervacaneum eſt , pace tua dixerim , Nam , quum e ſex Judicibus quatuor a nobis ſtabunt , quid ſolliciti de reliquis ſimus ? Nimium quidem id eſſet : & plane , quod tu tantopere ſoles prudentiſſime reprehendere , ultra id , quod neceſſe

 eſt ,

eſt, laborare. *Bland.* Id vero non nimium eſt, fili mi: ſi poſſem enim vel ſellas ipſas mihi conciliare, libentiſſime facerem. Nam ea maxime, ſive una potius vincendi certa via eſt, ſi Judices omnes, quique Judicum ſunt amici, ſervoſque etiam, & vicinos, ut ita dicam, efficias benevolos. En, ut id oblito tibi in memoriam reducam, en tibi Carolus, & Philippus, quorum in cauſſis meminiſſe porro debes quanta nos ſedulitate geſſerimus; quidve cum familiaribus, quid cum amanuenſibus, quid cum amicis eorum, qui illis intereſſe cognitionibus debebant, egerimus. Multo equidem illis argento, at multo nobis labore ſtetit victoria; ſed vicimus, quum victuros illos ne nos ipſi quidem ſperare auderemus. Nos, qui ſane quid clam actum eſſet nobis conſciebamus, pauca quaedam in Conſilio diximus, eaque haud valde per Jovem diligenter: ut valde ſtomacharentur qui aderant, nos tales cauſſas tam negligenter agere. Sed poſtea impenſe nos laudabant, manumque oſculabantur, noſque in caelum ferebant, quod tacentes, & plane dormitantes Franciſcum, & Caeſarem fori, ut eruditulí iſti dicere ſolent, columina, ſummoſque oratores cauſa dejeciſſemus; quum illi ſummo opere adnixi eſſent contra, totieſque vehementiſſime dixiſſent. Hae mihi fuerunt artes, eaedem erunt tibi: ita plurimae nobis victoriae ſunt partae, ita aeque multae & tibi parientur. Age ergo, age quod juſſi, dic jam hilariter de Eugenio, & Camillo ſi quid habes. *Palp.* Quam te tam cate ejuſmodi verba facientem audio lubens, praeceptor! Quae tibi ſapientia, quae ſedulitas, quod inigenum, Dj immortales! Plane Deus es. Edepol ſi nobis putida iſtorum juriſprudentia deeſt, ſi ventoſam iſtam eloquentiam, caeteraque ejus generis, ut par eſt, parvipendimus: at praeclare ſtamus animis, roboreque ingenii, ut viros fortes decet, acriter pugnamus. Sed jam ad rem. Eugenius probus, atque apprime doctus perhibetur vulgo, nec eum ulla arte falli ajunt poſſe,

ita

ita cautus, & tectus eſt undique. Eum ego ſemper odio habui; contemnere enim nos videtur, & aculeatis dictis ſaepe laceſſit. *Bland.* At ejus filius, qui in forum jam ventitat, nonne... *Palp.* Is profecto Fabricii gnati tui perquam eſt familiaris: habeo quid dicas: ea quippe recta ſemita eſt, venatum inde incipiemus. *Bland.* Optime Palponi: eja demum diſcipulum agnoſcimus! ſupereſt Camillus. Hunc ego nihili facio: Nam is Poeta eſt, & Philoſophus, & plerumque, dum maxime calet forum, cauſaſque defenſitant vehementius Patroni, verſiculos ſcribit, recenſque ſcriptos haud raro vel Modeſtino noſtro, vel alicui e ſuis aſſeclis ibidem recitat. Hunc vel per ipſum Modeſtinum aggrediemur; vel nos quaſi aeſtro perciti, & attoniti, ac magnum aliquod, Poetarum ritu, ſonantes, invademus. *Palp.* Habeo ego quoſdam Camilli verſus: hos memoriter homini recitabo, ita ſponte noſter erit: hoc enim pacto eum protinus dare praedicant manus, *Bland.* Euge ſerio iſtuc, Palponi. Hoc jam eſt magiſtrum, non diſcipulum ſe ſe gerere.

VI.

Laelii, et Caroli

Lael. Vidiſtine paullo ante Petrum hunc Joannis filium affinem meum in rheda cum Theodoro e principibus Civitatis? Sane ego rabie differor, qui illi repente indignus viſus ſum, cui ipſe vel ſalutem redderet. Nam & eum primus ſalutavi, & magnopere gaviſus ſum, ipſum eò jam dignitatis perveniſſe ut tali viro dexter ſederet, & quaſi pompa quaedam per frequentiſſima urbis loca in illius curru veheretur. *Carol.* Vidi equidem Laeli, & admiratus ſum: Nam, quum rectus ipſe & valde ſevero & occupato vultu ſederet, ille alter precanti, & verenti ſimilis totus in eum inclinatus, neſcio quae ingerebat. Me

 vero

vero Petrus aut non vidit, aut non vidiſſe ſimulavit: quod mirum non fuerit, quippe ei extraneus ego. De te vero quid dicam, aut cogitem non habeo, qui conſobrinam ejus in matrimonio habeas, ac illi ſemper affueris, ac omni eum ope juveris. *Lael.* Pol negliget ille me jam, nec pro affine habebit: Siquidem eum ſummates viri colunt, & obſervant: Nos ſcilicet Medici a tanto Oratore contemnimur. *Car.* Aufer iſtuc jam. Quid te ille contemnat, quaeſo? Nonne & ſenior tu illo es, & doctior: &, ſi haec quoque aliquid ſunt, ditior, & familia honeſtiore? *Lael.* Nihili iſta ſunt, o bone: nec enim uter doctior ſit, aut honeſtior modo inſpiciendum, ſed cui rei demus operam. *Lael.* Ergo tu medicinae, ille legibus addicti, cur alterum alter dedignetur, ac deſpiciat, plane neſcio. *Lael.* Hoſpes profecto mihi in noſtra Civitate videris, Carole; qui ejus mores prorſus ignores. Nam cui obſecro ignotum eſt, cuicumque doctrinae, cuicumque, & quantaecumque virtuti, & quibuſcumque moribus nunquam tantum apud nos tribui, quantum Juriſprudentiae? *Carol.* Scis me in hortulis meis pene ſemper deliteſcere, nec adire urbem niſi certis, ſtatiſque diebus officii ergo. Itaque rem ita eſſe, ut ratio ipſa monebat, putabam, utque mihi aequum rectumque videbatur: caeterum cur ita, ut autumas fiat, planiſſime ignoro. *Lael.* Cauſſam e Petro affini meo exquire, qui certe quare tantopere ſuperbiat, non invenio: indoctus enim plane eſt, ut qui maxime, atque e forenſi diſciplina, Rapidiique praeceptis, quem ſecutus eſt, tantum hauſit, quantum vix ad imum ſubſellium ſatis eſt. Novi ego hominem: & dejerare paratus ſum, eum (ut majora omnia taceam) nec latine, nec hetruſce quicquam ſcire: infans plane eſt, & rerum omnium ignarus: ac ſi unum, alterumque e Pragmaticorum faece Scriptorem percurriſſe eum dicam, plus ei tribuam, quam veritas poſtulet: & nos aſpernatur jam, & quiſquilias meras putat. *Car.* Et talis quum ſit, tam ferociter

tamen

Digitized by Google

tamen? & quod miremur magis, tanto hic in honore eſt? *Lael.* Cur non tumeat, noſque nihili pendat, quum hic videat nec medico, nec muſico, nec mercatori, nec philoſopho, nec architecto, nec mathematico, nec, quod longe pluris eſt, honeſto viro, nec alicui hominum generi eum haberi honorem, qui vel ignaro, vel inhoneſto Jureſconſulto? *Car.* Quando ita ſe res habet, Laeli, geminos natos meos, quos aliis in artibus erudiri juſſeram, primo quoque tempore Juriſprudentiam doceri imperabo. *Lael.* Quod tibi fauſtum, felix, fortu natumque ſit, quam primum impera.

VII.

Rapidii, et Lupi.

Rap. Quid ita malum nobis ſub ipſam jam veſperam advenis, & quaſi nil agendum ſit, tarde etiam nunc incedis. Nimis hercle diu te hodie expectavimus, Lupe, quum hic te illico poſt meridiem affuturum nobis pollicitus ſis: atque id ego a te etiam atque etiam opere maximo petierim. *Lup.* Audi ſane; nec me ... *Rap.* Quid ego audiam. Noveras quanta nos rerum urgeret moles, & quae expediri neceſſe eſſet paucis hiſce diebus negocia: & tam lente tamen! age jam quid ſtas? pallium cito, ac pileum pone, operique manum admove. *Lup.* Jure queteris, Rapidi; at me ruſticus quidam properantem retinuit, qui ne avaro, atque illiberali locatori conducti fundi pactam mercedem ſolveret, me adiit flens, ac ob creditoris minas vehementer perterrefactus. Ova mihi miſer, pulloſque gallinaceos & pecuniae etiam aliquantulum apportavit. Hunc ut deſererem ego? rem ſuſcepi; dumque ei adſum, dum rem in vado ſiſto, coepit adveſperaſcere: nec a Cornelii domo, quo mihi Judice convento opus fuit, quantum approperaverim, citius huc potui perve-

pervenire. *Rap.* Jam te ulterius non culpo: laudo immo ſedulitatem, & humanitatem tuam, qui & illi miſero opportune adverſus domini avaritiam ſubveneris, & aliquid etiam tu feceris lucelli. Agnoſco in celeritate etiam tua Rapidii diſcipulum: Euge, Euge! At non iſta ſibi modo tempus poſtulat. Noſtra jam propere aggrediamur. Ubinam, Lupe, inſtrumentum illud eſt contra nautam illum Surrentinum, qui vitulinam ſolet adducere? *Lup.* Adeſt, eccum. *Rap.* Quid ei faciemus, Lupe? res inextricabilis videtur, niſi inſigni aliquo commento eam reddimus explicatam. Sane diſertis verbis ſexcentos ab eo creditor ſtipulatus eſt, nullo nec pacto adjecto, nec conditione. Jam jam dies ſtipulationis cedet, & creditor lege aget.. *Lup.* Vel inter eos aliter poſt ſtipulationem conveniſſe, vel pecuniam, contra quam ſcriptum hîc eſt, non interfuiſſe, vel aliud quippiam ſimile objiciendum cenſeo. Interea aliquid.... *Rap.* Vulgata iſtaec, nimioque uſu trita; & quibus aegre jam a Judicibus creditur. Aliud excogitandum eſt, ſi nautam tueri volumus, nobiſque ipſis, quod maxime curandum eſt, conſulere. Num ſi aliud inſtrumentum producamus, quo ſatis ſibi jam factum creditor ſolenni ritu affirmet, callide id tibi, & magnifice factum videatur? *Lup.* Optimum iſtuc quidem: ſed haeret haec res; nam quo pacto ſolutam vere fuiſſe pecuniam, ut oportet, probabimus?. *Rap.* Ohe! quid tam es timidus, ſatis fuerit ſi receptam a ſe praeſentem pecuniam creditor ſtipulatione caverit debitori. Vel ſi tibi haec minus videntur tuta, quis vetat vel frumento, vel hordeo in ſtipulatione dicere, vel alia quapiam merce fuiſſe perſolutum? *Lup.* Hoc hercle arridet magis, idque faciundum cenſeo. At undenam gentium ejuſmodi inſtrumentum accerſamus, quod nec factum unquam eſt, nec adeo fieri potuit? *Rap.* Nimis cito diffidis, fili; diſce ex me virtutem veram: ſi factum id nunquam eſt, excudemus nos; hîc diſtractus fiet, ſi alibi contractum eſt.

Sed

Sed ad hanc rem, quam paro, Falſirone propere accito eſt opus: age, Lupe, Soſiam mittito, qui illum cito ad nos: Factum non factum, non factum factum efficiam, Lupe, tibi hac aſtutia. *Lup.* O magnum & verſatile ingenium! O veram, & reconditam juriſprudentiam! en eo, ut tibi tanto hoc in ſtrategemate ſubſerviam. *Rap.* Miſiſtine jam? *Lup.* Factum. *Lup.* At dixiſtine ut cito? *Lup.* quippini. *Rap.* Bene habet. Jam pecuniam nauticam devorabimus, cras hominem probe emungemus. Nunc de mercatore illo: hoc diu jam me torquet. Decoquere is vult, ut noſti, Lupe: ſed leges veretur, neve ſe in capitis periculum creditores adducant. Nunc ſalſo ſale, nunc vere acido aceto opus eſt nobis. Quid tu inciperes, quid opis huic homini afferres? *Lup.* Nunc enimvero ſerio diffido, Rapidi, nunc quid dicam, quid cogitem, plane non habeo. *Rap.* Excidit ergo tibi jam, quod in Veneto illo mercatore, tertius jam prope annus eſt, excogitavimus? *Lup.* Quid? non enim memini. *Rap.* Quum rationum tabulas ex integro ei conficiendas curavimus, eumque hoc pacto multorum late mercatorum, qui ſub idem fere tempus per Italiam decoxerant, creditorem iis tabulis ſcripſimus: ut quidem non dolo, ſuaque fraude, ſed aliena in eam illum calamitatem incidiſſe judicatum fuerit? Unde factum eſt, ut vix ſextula tunc creditores contenti fuerint. Meminiſtine an non? *Lup.* At at. Marcum illum fortaſſe dicis, qui inaures, armillaſque uxori tuae dono dedit, tibique aureos quincentum? *Rap.* Illum ipſum. Quid ſi eoſdem & modo conſuamus doctos dolos? *Lup.* Sed nulli modo mercatores, quod quidem ego noverim, decoxerunt: baſis, praceptor, deeſt, rei ſtabilimenta corruunt. *Rap.* At nos, ſi haec obſepta eſt, alià ingrediamur vià. Nec qui patrimoniis eluerint jam foris quaerendi ſunt nobis; ſat multos apud nos decoctores habemus. *Lup.* At valde amicos hos oportet eſſe homines, ne nos prodant, &

res

res fiat palam. *Rap.*Horum domi copia eſt, ne quaeramus foris; Albertum, inquam, Fabium, Marcellum, Clementem, alios quamplurimos, quibus nos quidem prora, & puppis ſumus. His ego facile, ut illud se debere ſtipulentur, quod perſoluturi ſint nunquam, perſuadebo. Eorum tantum nomine indigemus: nam & notiſſimi decoctores ſunt, & nobiles, ac ſumtuoſi; nullo negocio ut quivis credat hos mercatore noſtro indiguiſſe, pecuniamque, & exoticas merces ab illo accepiſſe. Tabulas ſcite conficiemus, ut omnia perbelle congruant: conquerique eum jam nunc de ſuorum debitorum fide palam faciemus, ut scriptum quod ſit, teſtium quoque, ſi fuerit opus, auctoritate ſuffulciamus. *Lup.* Mirifice pol iſtuc, & quod omnem mentis captum superet; ſed vide quaeſo, ne nimis, ultraque iſtorum hominum fidem iis creditum videatur, reſque inde labet nobis, & pateſcat fraus. *Rap.* Haud inſulſe mones: itaque praevidenda res eſt, ne nobis importune negocium faceſſat aliquando. Graphica modo aliqua nobis fallacia opus eſt, quî rite hanc expoliamus, atque explicemus rem; Quid ſi . . . non placet. Hoc fortaſſe erit callidius . . . Fiet ut . . . *Lup.* Haeres magiſter jam. Quid ſi mihi auſcultes diſcipulo? *Rap.* Et lubens quidem. *Lup.* Si fures noctu ad eum veniſſe, magnamque abſtuliſſe auri argentique copiam ſimulemus, atque inde fabulam hanc incipiamus, ecquid mali erit? *Rap.* Euge! conſilium placet, at eo dolato parumper utemur, ſi videbitur. Unum quippe mutatum velim. *Lup.* Qu id? *Rap.* Nempe ut vel tu ipſe, qui excudiſti, verum id credas. Ligurem inſtitorem illum ſuum, noſtine, quaſi clam domino, ut aufugiat facile data pecunia efficiemus; quod & creditum facilius fuerit, quam illud de furibus & praterea externum hominem, atque egentem .... *Lup.* Egregie vero egregie, ut nihil ſupra! *Rap.* Tunc demum noſter Deûm hominumque fidem clamabit, omniaque illum ſua fugientem abripuiſſe, flens gemenſque affirmabit. Poſtea tabu-
las

Digitized by Google

las producemus, remque tribus expediemus verbis. Actum jam hoc porro eſt: paucos intra dies opiparae ſane, lautaeque vindemiae nobis erunt, Lupe. *Lup.* Dii nos ſervatos volunt, qui tanto dant ingenio pollere. At vide ſis hoc quod mi de Flaminio mandaſti: en tibi Dionyſii Judicis manum: quid tibi videtur? *Rap.* Ipſiſſima porro eſt: ſi hercle ipſe viveret Dionyſius ſuam omnino affirmaret. Hoc vero cras, quas in foro turbas! rem judicatam afferemus. Hoc vide, ut Scribae manum quoque mirifice prorſus imitatus ſis! Papae! Quid autem illud, quod tolli de Pauli teſtamento juſſi! *Lup.* Factum; illudque adſcriptum quod volueras. *Rap.* Laudo: O factum diligenter! Demetrio, Laurentio, Petro ſcripſiſtine dicas jam? *Lup.* Eccas ut imperaveras: & ſane ridiculum fuerit, quum debitores ſeſe repente e creditoribus a te effectos cras audient. *Rap.* Ridiculum plane; at me, qui vir ſiem, cognoſcent.

VIII.

Dionyſii, Laurentii, et Leonis.

Dion. SAlvus ſis Laurenti; unde is? *Laur.* Prope hinc a Fabio Judice. *Dion.* Eò nos properamus. At multine mortales apud ipſum ſunt? *Laur.* Plures pol quam opus eſſet. Si nemo ſit, unus eſt ibi Voconius, qui pro ſexcentis eſt. *Dion.* Probe hoc quidem, laetor; nam hunc ipſum quaerito. Haud parva res veteris amici illic mihi eſt agenda; centies jam condictus dies, at ſemper fruſtratus eſt Voconius; nunc teneo hominem, effugiet nuſquam. *Laurent.* At tu ſi ſaperes, alium tibi adverſarium quaereres, hunc nolles conventum. *Dion.* Nam cur, obſecro? *Laurent.* Hunc Leonem interroga: is tibi rem explanabit. *Leo.* Ego vero nec quid dicam, nec quid cogitem, nec quid audiam ſcio amplius, ita me elin-

elinguem, ita truncum, ita ſtupidum reddidit modo Voconius. *Dion.* Te ne ille! miror profecto: at, quicquid hoc rei eſt, narra ſodes. *Leo.* Vereor ne tibi ominoſum ſit, amice, in nos hodie incidiſſe, qui pulſi, victi, fugatique ab illo paullo ante ſumus. Itaque ſi me audies, in alium diem rem iſtam dilatam voles. Furit ille hodie, & plane tonat. *Dion.* Luditis vos hercle me hodie. *Laur.* Nec ludimus amiciſſimum hominem, nec jocandi modo nobis eſt ocium. Quid tibi vis dicam! Nulla ſane aeque violenta unquam procella caelum miſcuit, quam hic modo agit Voconius, qui nos ita modo magnis clamoribus obruit, ut nec cauſam dicere, nec adeo loqui datum ſit. *Leo.* Humanam ego vocem nunquam tam valide non ſonantem, ſed tonantem audivi. *Dionyſ.* Novi hoc, & neminem in foro tam firmis lateribus, & majore pulmone eſſe jampridem ſcio. Caeterum indoctus apprime eſt, nec quid loquatur ſcit, linguaque utitur ſane plebeja, & foeculenta; oblatrare ſolet, non dicere cauſam, aut quicquam ad rem. *Laur.* Quid tu mihi doctrinam, quid cauſam, quid linguam praedicas! In apertiſſima re ita facile elapſus eſt, ita magnis clamoribus, ita turbato, inverſoque egit ordine, ut nec quid in controverſiam veniret intelligi potuerit, nec qua de re quaereretur. *Dion.* Non liquere adhuc ergo pronunciatum eſt, remque amplius quaerendam. *Laur.* Immo contra. Nos cauſſa prorſus cecidimus, ille de nobis, immo adeo de juſtitia magnificum, & ſane baſilicum egit triumphum. Judicem probum illum quidem, & ſatis doctum, ſed imbecillum parvique animi, ut noſti, plane obſtupefecit. Tercentum adhuc tonat ingenti ore Scriptores, qui ſuam tuentur cauſſam, noſtramque proſternunt; quum tibi vero, ac pro amicitia affirmare poſſim, omnia illum excudiſſe, integroſque auctorum ſuppoſuiſſe audacter locos, nec unquam nos meliore cauſa, ac firmioribus fundamentis Judicem adiiſſe. *Dion.* Pro more iſtud. Sed Scriptorum lo-
cos

eos falſo eſſe dictum oportuit : nam id quis non illico crederet, quum pluries jam in magnis ille judiciis fuerit mendacii convictus. *Leo.* Quid tu nos cenſes mutos, aut tardos ? Clamavimus & nos valide, Judiciſque fidem imploravimus; libri, oravimus, ut ex ejus bibliotheca proferrentur: at quid ? Scin quid proficiebamus ? Quaſi quis, furente Auſtro, in litore cum valde ſtrepentibus pelagi undis voce contenderet. Fruſtra ſemper fuimus. Itaque odio victi tandem diſceſſimus, ne ramices pro cumulo rumperemus. Cauſſam in Conſilio agendam denuo curabimus; eamque ſoli; ac ſine adverſario antea per domos Judices docebimus. At jam valeas, Dionyſi; alia nobis agenda. *Dion.* Abite jam, & valete: Ego quidem quò intenderam non eo jam. Nolo turbine hoc modo circumagi: cras rem alio pacto expediendam curabo.

IX.

Antonii, et Camilli.

AUdiſtine, Camille, quod Mariae huic in vicinia accidit, cujus nuptias ſuperiore anno tanto ſumtu fieri meminiſſe debes ? quippe ibi tunc mecum affuiſti. *Cam.* Memini id quidem : at quid iſti modo evenerit, neſcio. *Ant.* Indotata repente effecta eſt, quum magna dote nuptum iverit: unde eam vir odio habere coepit, & quotidie maledictis inceſſit, nec amplius una cubat, licet ea ſit ex ipſo jam praegnans. *Cam.* Mirum profecto narras. Nam & amare eam ex animo videbatur, & ſane liberalis aderat forma, ut id fieri facile crederes. Numnam ergo chaſmate fundus dotalis periit; vel flumen aliò tranſtulit, vel alio quopiam majore caſu eſt abſumtus ? *Ant.* At nihil horum, o bone, ſed inopino, & inſuperabili quodam fato. Nam neſcio quo pacto ex improviſo effectum eſt, ut nihil ei frater ex paterno teſtamento deberet. *Cam.*

Derides pol me Antoni. An hoc fieri aliquo modò poterat, ut ex paterno patrimonio nil gnatae deberetur, quum filius tantis opibus abundaret? Sane inauditum hoc & incredibile. *Ant.* Nec derideo, nec rem incompertam profero. Porro egomet heri medio in foro, quum plurimi adeſſent Patroni, Voconium audivi hoc neſcio cui diſerte ingenti voce narrantem: quum ſua factum opera impenſe gloriaretur, quod Claudius iſte Mariae vir, uxorem quidem haberet praeſentem, dotem vero ſperatam, & pactam nec modo, nec unquam. Plaudebant qui aderant, hominemque admirabantur. *Cam.* Glorioſus quippe, ac ventoſus eſt Voconius; & probabile eſt, ea illum ſui magnificandi gratia effutiiſſe; nec enim id mihi videtur fieri poſſe. *Ant* Factum fruſtra infectum efficere cupis Camille. Res hercle ita ſe habet, idque Medicus etiam nobis Claudii dixit, atque omnia turbari perpetuis clamoribus in ejus aedibus propter eam rem. *Cam.* At quomodo id factum, nihil ne noſti, Antoni? *Ant.* Neſcio, niſi quod ibidem in foro leviter inaudivi, neſcio quod pervetus atavi, credo, aut abavi teſtamentum a Voconio repertum, ac prolatum, unde ille ſororis actionem omnino peremerit, & paullulum quid a fratre ei dari debere dotis nomine contenderit. *Cam.* At tunc nos audiebamus, Patris teſtamento dotem filiae conſtitutam. *Ant.* Patris autem voluntatem nihili prorſus faciendam idem Voconius praedicabat, qui & ingens aes alienum vivus contraxerat, & nil ipſe paraverat: indeque effici, ut nec dotem legare poſſet, nec adeo teſtamentum condere. Rationes, legeſque ipſe addebat, rectene, an perperam, ignoro. *Cam.* Leges iſtas & rationes apageſis a me; cui quidem ſatius fuerit in latrones, quam in Voconium, ejusque fatales porro inextricabileſque laqueos incidere.

X.

Digitized by Google

X.

Vulpini, et *Lucii*.

Vulp. HEus tu Luci Luci, jamne ades? *Luc.* Jam nimium diu adſum hîc, here, ante oſtium, ut quum expergiſcereris praeſto adeſſem. *Vulp.* Optime atque ex more hoc. At quid ais? Dies ne jam eſt? *Luc.* Dies! Immo meridies jam: ut aegre conſultorum turba diutius in bibliotheca retineri poſſit. *Vulp.* Anne ii, quaeſo, norunt dormire me? Vah! Stulte! Libris invigilare me dictum oportuit. *Luc.* Factum iſtud: & te integram inſuper vigilaſſe noctem diximus, quo Theodoro probe meditatus ac paratus adeſſes, cujus cum Marcello res centum amplius millium paucos intra dies apud Judicem erit agenda. *Vulp.* Merito quidem amo te, mi Luciole: ita lepide, ita amanter, ita ſapienter uſque mihi operam praeſtas. At oh! oh! oh! ſomnus me etiamnunc graviter urget; quam vellem, vel ſolidum menſem obdormire. *Luc.* Quam rem agis, obſecro te, here? Plus jam decem horas dormiiſti, & ſomniculoſus es adhuc? Surge jam age, ſurge: non decet oraculum Civitatis tamdiu quieſcere. *Vulp.* Recte mones. Cedo jam veſtimenta. *Luc.* En tibi parata omnia. *Vulp.* At ſcine quid te modo velim, Luciole? *Luc.* Ni dixeris, neſcio. *Vulp.* Age te propere modo ad bibliothecam: ter, quatuorve inde, ut tibi in manus temere venient, libros cape, quaſi eos ego... *Luc.* Teneo; quaſi iis tibi conſultis opus eſſet. *Vulp.* Euge! *Luc.* Jam eo. *Vulp.* Scitus hic, & plane callidus eſt, meiſque moribus, ac rationibus ſane quam opportunus. Caeterum ego mihimet plaudo, & neminem in foro adhuc aeque, ac ego ſum, nec fortunatum, nec catum ſimul & prudentem fuiſſe arbitror, cui tot ſimul bona deorum benignitate, ac induſtria mea obvenerunt. Pauper a paupere prognatus patre, diu inops, egenſque, repente

te dives, orator, nobilis, ac magnus Jureſconſultus mea unius ope effectus ſum. Alios quamplurimos vigilare, miſere laborare video, anxieque ſeſe gerere, ut vel oratiunculam concinnent, vel legem quampiam interpretentur. Ego vero ingenio fretus meo, ac probe ſutis ſutelis, ſummus orator, graviſſimuſque Juriſconſultus dictum factum emerſi, nullo quidem labore; *Luc.* En tibi libros; vide quam craſſos omnes, & corpulentos! at quidnam tecum ipſe ſolus? Sanus ne es? *Vulp.* Admirabar egomet modo fortunas meas, mihique plaudebam. *Luc.* Et merito id quidem: Nemo enim ex magnis iſtis Oratoribus majore in admiratione eſt, nec cuiquam magis creditur, quam tibi. At quid agis, ſurgeſne hodie, an non? nonne tibi dixi ab innumeris expectari te? & modo, quum me libros ad te ferentem conſpexerunt, quaſi paſſerum, aut columbarum pulli omnes ab ore pendebant meo, quidve ageres, & quando demum exires, ſolicite rogitabant. Ego neſcire me quid facturus eſſes, aut quid omnino facere poſſes, dicere; niſi quod te vehementer occupatum viderem. *Vulp.* Optime quidem, & prudenter. I ergo jam rurſus ad illos, meiſque verbis abeant jam nuncia, ocium mihi modo non eſſe: poſt meridiem, ſi lubeat, redeant, me tunc ipſis operam daturum: Id mihi quidem vehementer moleſtum eſſe, ſed invitum id facere: adde & tu ſi quae vis, quaeque in rem videbuntur; Patriciis praeſertim, ne ſe contemni ſuſpicentur. *Luc.* At non belliſſime hoc a te fieri, arbitror: tribus poſt horis dimitti homines, here! aegre id patientur, & ſatis modo id frequenter a te fit, pene tertio quoque die. *Vulp.* Non iſtaec tua curatio eſt. Scio ego quam rem agam: Age jam abi, quod imperatum eſt quam blandiſſimis potes verbis exequere.

FINIS.

Digitized by Google

JANUARII PARRINI

J. C. NEAPOLITANI

BELVEDERIUS SIVE THEATRUM

AD MARCHIONEM

BERNARDUM TANUCIUM

SERENIS. FERDINANDI REGIS NOSTRI

In regendo Regno a Conſiliis

VIRUM EXCELLENTISSIMUM.

Andreas Belvederius, *Janus Vincentius Gravina*, *Gregorius Calopreſius*, *Xaverius Pansutus*.

Bel. MIHI quidem porticus haec peropportuna videtur, ubi conſidamus: nam late Mergellinam oculis ſubdit, ac fere nihil ex amoeniſſimo proſpectu detrahit, & adſpirantem Zephyrum egregie una omnium excipit. *Grav.* Optime iſthuc, Belvederi: quare ſi tibi idem videtur, Gregori, jam pulvinos accerſamus. *Calopr.* Immo, ut anni tempus eſt, ipſo in lapide ſedere commodius arbitror; nam & ſerius incaleſcit lapis, & ruſticari vere mihi videor, ubi urbanas conſuetudines inverto. Gaudent enim homines, naturalem libertatem, unde ſocietas eos deturbavit, quacumque tandem ex parte repetere. *Grav.* Jam prope neceſſarium nobis effeciſti, ut ſuper ſaxo ſedeamus, ne ſoli aut homines non eſſe, aut priſcae libertatis obli-

liti videamur. *Bel.* Me veto non ita parce ſervitutis taedet; ut ſolum tam parva hac in re eam contentus ſim repudiare; ſed, veluti communem illam ſervitutem numquam ſervierim, pro libero me hic omnino geram, urbis atque urbanorum oblitus. *Cal.* Quippe apud ſe unuſquiſque liber eſt: nemo enim vetat domi ut velis vivere, dummodo ſocietati non officiatur. Aſſueſcimus verò ſervituti adeo, ut ne ſoli quidem nos in libertatem aſſerere audeamus; ſed veluti ſpectante populo loquimur domi ac gerimus pleraque. *Grav.* In longam nimis & difficilem quaeſtionem nos pertraxiſti, frater, ab hoc ſaxo & ſedilibus, cui explicandae nec tempus modo, nec locus ſatis opportunus eſt. Sinas quaeſo proſpectum hunc ocioſe nos contemplari, quo affirmare auſim neque amoeniorem, neque pulchriorem eſſe alibi. *Cal.* Iſthuc tecum libenter faciam, Vincenti: nec enim oram facile invenias, qua aeque delecter; quam quoties contemplor, renovatur toties mihi atque redintegratur voluptas: & quum in plagam Olympicis olim ludis dicatam ingredior, unde ad haec loca apertus rectuſque eſt proſpectus, ſtatim ex imo pectore ſuboriri ſentio laetitiam, curaſque omnes concidere. *Bel.* Unde plane prudenter noſtri homines mihi videntur per aeſtatis calores Mergellinam & Pauſilypum prae omnibus aliis locis habere: nam hic ſub ipſum meridiem, quando ubique caletur maxime, collis hic ſuperſtans primo adumbratur, domos inde ac litora ſaluberrima umbra occupat. Opacae valles & facundiſſimi colles pone ſunt, pomiferis arboribus quaquaverſum conſiti, unde umbra decidit, Zephyrique afflat levis aura, facileſque aſcenſus praebentur. Et mare domos leniter alluit, & quaſi ante ipſa cubicula obſtrepit: perque ſinus, privataſque etiam piſcinas ſe ſe abdens mirifice hominum voluptatibus inſervit. Utque rem tribus verbis abſolvam, nuſquam hoc tempore anni tot ſimul op-

per-

portunitates ad ſuaviter agendam vitam invenias. *Cal.* Hinc mirari licet quid potiſſimum ſequantur, qui, hac amaeniſſima ora poſthabita, aeſtivis menſibus oppoſitas his circum Pompejos & Herculaneum villas incolunt. Ibi namque campeſtri ſitu aeſtuoſae ac pulverulentae ſunt viae, praeduriſque lapillis infames. Sole quinetiam perpetuo tractus ille aduritur: nam orientem primo mane a dextera excipit, medium diei efficientem a fronte, veſperi demum uſque ad occaſum transverſis radiis perpetitur. Ipſe praeterea Veſevus, aduſtis rupibus imminens, minaci atq; horrido adſpectu, fumumq; perpetuo emittens contriſtat oculos tam prope ſpectantium. Quid vero? nec ſinus ibi, nec actas mare praebet, ſed nudo atque infelici litore ſtrepens vix ſinit, quum malacia eſt, cymbas appellere. *Grav.* Nolim te, dum Mergellinam nimio ſtudio perſequeris, ineptos imitari oratores, qui aud ſatis ſuos ſibi heroes videntur laudaſſe, niſi, inſtituta comparatione, complures prae illis poſthabuerint. Stet quidem ſuus Mergellinae ac Pauſilypo vetuſtus honos per aeſtatem praecipue; ſed quis verno & autumnali tempore Pompejorum ac Herculanei ſalubritatem, & opportunitatem non admiretur? Mihi autem, frater, pulcherrimum hunc Cratera intuenti, quem merito delicatum Cicero vocat, ſane non id potiſſimum in mentem venit, ut collium molliter aſſurgentium amoenitatem & proſpectum, ſummamque ubertatem admirer, Veſevumq; bicipitem, qui veluti totius orae imperator longe ſuper omnia caput extollit; verum quaſi in magno quodam theatro humanarum rerum viciſſitudinem, hominumque adeo ipſorum fatum conſidero. Haec etenim ipſa nova undique, ac recens aedificiorum facies, veterum admonet, atque ea omnia concidiſſe, & in nihilum eſſe redacta teſtatur, quae Graeci quondam, Orbiſque dehinc terrarum domini Romani frequentiſſima, incredibili ſumtu, ac regali prorſus magnificentia poſue-

 re.

Digitized by Google

re. Ut mihi non fortuito accidiſſe videatur, ſed ſapienter comparante Natura, ut horum locorum adſpectus ad theatri formam hinc atque hinc continenti litorum & collium complexu porrigatur. Prochyte autem, atque Inarime Typhoeo nobilis, & Virgilio Homeroque memorata, aud lato intervallo diſſitae latius a meridie oſtium praebent: & Capreae, quae nobis a fronte aſſurgunt, arcto freto a Minervae promontorio disjunctae, veluti orcheſtrae ac ſcenae locum ſuppeditant. Et profecto magnae aliquando in hoc theatro fabulae tragoediaeque actae ſunt. Unus nobis Tiberius plura ejus generis argumenta ſufficiet, tantum ut vel ſaevitiae vel libidinum ejus recordemur. Illhinc praeclaras illas epiſtolas conſcribebat crudeliſſima illa vulpes, primoribus Romanorum extremas neceſſitates indicentes. Illhic cum ſpinthriis, & piſciculis egregius Imperator de Republica conſultabat. Late per haſce iſtas oras explicabatur aſſidue regius ille, atque adeo Sejani faſtus, & ſalutantium atque ambientium turbae, iis ipſis qui colebantur, intolerandae. Quid ſi nos animo dextrorſum vertemus? Nero ſtatim ſubibit animum, feraliſque illius imago noctis, qua infeliciſſima mater, vix fallacis navigii inſidias elapſa, per Baulorum litora pavens animi, trepida atque incomitata pedibus villam petiit, ubi paullo poſt ſanguine ſuo filii immanitatem explevit. Miſenus autem celeberrimae ſtationis admonet, & Aniceti inſimul & claſſis, magnorum Imperii motuum ac malorum aud ſemper expertis. Triumvirorum quinetiam foedus, & diviſum tres inter homines terrarum Orbem eaedem illae cautes teſtantur.

Cal. Docta equidem, & vera loqueris, frater; atque ardore iſto tuo ac dicendi impetu prope effeciſti, ut me modo non apud Mergellinam in Panſuti villa, ſed in theatro quodam eſſe crederem. Sed nimis longe theatrum iſtud tuum capeſſis: quotus enim quiſque eſt,

qui

Digitized by Google

qui modo haec intuens in tantarum rerum recordationem delabatur ? Unam hîc locorum pulchritudinem , criſpatas undas, afflantemque Zephirum mirantur homines , plane nulla tam vetuſtarum rerum ſuſpicione . *Bel.* Nec vero antiquis, & vetuſtate obliteratis indigemus : ipſa etenim vita hominum , urbanaeque viciſſitudines , quae ante noſtros oculos quotidie obverſantur, nativum quoddam & Naturæ theatrum praebent , unde nobis tragoediae & comoediae affatim ſuppeditantur . Quid enim ? Nonne ſummatum ac principum virorum crudelitas , cupiditates , ambitiones , irae crebras tragoedias inſtruunt, iis quae in theatro docentur longe utiliores ? Quippe non Poetae induſtria , non scenarum illecebrae, non hiſtrionis ars quicquam veritati addunt, ſed ipſamet veritas ſine fuco & fallacia conſpicitur . Minuta vero civium negotia , amores , tricas , mutuaſque fraudes , an quiſquam inficias ire poterit , feſtiva ac omni ex parte abſoluta praebere comoediarum argumenta ? Unde mihi hiſtoriae eo praeſertim nomine utiliſſimae humano generi videntur , quod veluti collectio quaedam tragoediarum ſunt , dum Regum & clarorum virorum facta cum bona tum mala referunt, unde innumera in utramque partem exempla poſſis colligere . *Cal.* Sapienter omnino Belvederi . Quum vero Philoſophi ſumma negligentia haec homines plerunque viderent quaſi inutilia praeterire , vel oſcitanter & raptim veluti per tranſennam conſpicari, egregium ſane conſilium amplexati ſunt, ut per voluptatis illecebras ad tam utilem obſervationem illos converterent . Ideo cœperunt, informia illa ac rudia ſpectacula, queis delectari vulgo homines intelligebant, ad eam paullatim formam redigere, ut pro muſto, plauſtris, inconditoq; cantu ac tripudiis , ſeipſos , vitam , moreſque ſuos graphice deſcriptos in qualicunque illo theatro conſpicerent . Mirum vero eſt, quanta alacritate ejuſmodi ſpectacula , cognita eorum dulce-

cedine, Graeci amplexati ſint: nec ea in vulgus tantum laeta fuere, ſed gravioribus etiam viris propter utilitatem accepta. *Bel.* Ex his vero ſpectaculis tragoedia proxime ab initio majeſtatis ſatis induit, Deoſque ac Reges in ſcenam non indecore protulit, non ſententiarum pondere, nec magniloquentia utique orbata, ut in Æſchyli tragoediis, qui paullo poſt Theſpim fuit, videre eſt. Comoedia aberravit aliquanto diutius a ſcopo, & vix Menandri demum atque Apollodori Diphilique aevo optimam, omnibuſque numeris abſolutam formam eſt aſſecuta. *Gr.* Non hoc tibi facile dederim, Belvederi; tu etenim antiquam comoediam, mediamq; ſimul adſpernatus, ad novam continenti curſu nimis ſane celeriter progreſſus es. Vetus autem comoedia vere comoedia dici meretur, nam veritatem ipſam in ſcenam referebat, non ea quae deinde nova dicta eſt, quae ſimilitudine quadam, ac verborum fuco tantum valet, non veritate. Prodeſſe illa vetus quidem populo mire poteſt, quod corruptos uniuſcujuſque mores traducit ac notat, ut ad emendandos homines ſola mihi vim habere videatur: quos neque admonent ſatis, nec excitant longe petita exempla, quae in nova comoedia proponuntur. *Bel.* Quid? Noſtros modo mores priſcam comoediam ferre poſſe arbitraris, Gravina, quum ipſa Graecorum libertas illam non tulerit? *Grav.* Modus quidam adhibendus eſſet, & publica authoritate in comoedia certorum hominum notanda eſſent vitia, levia illa quidem & modica, ne ſi crimina proferrentur, accuſatoris ac delatoris vicem ſcena ageret. *Cal.* Enimvero niſi alias ob cauſas repudiandam veterem comoediam cenſerem, vel unum ſane ſatis eſſet, ut diris omnibus devoveretur. Ea namque virtutem ipſam aggreſſa eſt, quum Socratem, cum perpetua Athenienſium infamia, ad cicutam adduxit. Proinde, ea poſthabita, Belvederi, ut ingreſſus eras ad theatri ini-

Digitized by Google

initia jam redi. *Bel.* Philoſophorum ſcilicet tecum laudabam prudentiam, qui ſpectaculorum dulcedine ad humanae vitae obſervationem populum converterunt, tragoedia & comoedia in urbem adducta. *Gr.* Serius id aliquanto, quod ad comoediam ſpectat, factum eſt. Nam comoediam multo poſt tragoediam in urbem adduxere Athenienſes: quum enim haec adulta jam floreret, illa pene in cunis vagiebat: idque ex utilitate factum eſſe reor, quum longe utiliorem jure exiſtimarent ſapientes tragoediam populo eſſe, quam comoediam. *Bel.* Athenis quidem ita actum eſt ut memoras; verum ſi ab Epicharmo, caeteriſque Siculis principia comoediæ velis repetere, coaevam hanc tragoediae fuiſſe fateberis: nam Epicharmus vetuſtiſſimus poeta fuit, & Theſpi aequalis, plurimaſque ſcripſit fabulas, quas ab Apollodoro Athenienſi in decem volumina redactas eſſe Porphirius teſtatur in vita Plotini. Utilitatem vero parem mihi utrique videtur ineſſe, & tantum pro populorum indole alteram alteri fuiſſe praelatam. Nam Siculi Regio imperio aſſueti comoedia magis gaudebant: Athenienſes vero in libera viventes Republica statuque populari tragoediam ſuſpiciebant, in qua Regum ac Tyrannorum interitus, graveſque calamitates, ſaevitiamque ſimul, & triſtia imperia conſpicebant; unde major uſque in eorum animos libertatis amor, ac tyrannici dominatus odium irrepebat. *Cal.* Si vero mihi libere quod ſentio inter nos dicere licet, longe majorem atque uberiorem fructum a comoedia, quam a tragoedia colligi puto. Non enim eodem nunc pacto animos hominum afficiant Tyrannorum ſaevitia, inceſtus, parricidia, hujuſque generis atrocia facinora, tranquille ſub Regio dominatu late quieſcentibus populis: quibus vix e Perſarum aliorumque barbarorum hiſtoria, Graecorumq; primorum temporum annalibus, tyrannicae impotentiae ſpecies ſuppetit; unde

nullo

nullo acriore affectu circa ea homines modo ſtimulantur. Ubi vero privatorum quotidiana; vitia, & domeſticarum perturbationum, vitaeque communis ſpecies oculis obverſatur, magnopere laetantur, indeque unuſquiſque ſumit quae in rem ſuam ſunt, & ſe meliorem alieno exemplo conatur efficere, *Exemplum ex aliis capiunt, ſibi quod ex uſu ſiet*, ut ait ille. *Grav.* Bene quidem haec a te frater dicta arbitror: nec inficiari poſſem, longe utiliorem apud Graecos liberoſque populos tragoediam fuiſſe, quam apud nos eoſque populos, qui ſub Regibus vivunt. Attamen non ideo fruſtra fuerit mortalibus, ſummae fortunae mala, triſteſque curas introſpicere, queis aſſidue cruciantur iſti rerum domini, quorum ſors æque fortaſſe a privatorum ſorte diſtat, ac a beatitudine. Si ergo minus hodie conſequetur tragoedia, ut ſuperbos Tyrannos odio proſequamur, quippe ea generis humani peſte Dei beneficio caremus, fortes certe nos & magnanimos efficiet, purpuramque, & magnos comitatus, auratoſque currus, & ſplendida illa omnia impedimenta, quæ principum virorum fortunam ornant ſimul & onerant, tragoediæ beneficio non admirabimur; contra in obſcuro pauperem vitam degere, nullum aut certe malorum minimum ex illa nobis comparatione videbitur. Tragoediam vero poſt comoediam ponere, quod tibi neſcio quare arridere viſum eſt, idem ſane fuerit, mea ſententia, ac prae ancilla reginam poſthabere, aurumque & gemmas contemnere, meraſque quisquilias ſequi.

Cal. Sane decet tragoediarum authorem pro tragoedia dicere: at mihi, pace tua dixerim, ſtat eadem ſententia. Difficile enim eſt, populum, quem praecipue reſpicit theatrum, a recepta atque inſita opinione ad eam mentis ſanitatem avocare, ut excelſum illud faſtigium ſollicitudine atque angoribus anxium arbitretur, & non potius ob potentiam, rerumque omnium affluentiam felix atque

que beatum. Nec tibi facile dederim, fortes, ac magnae fortunae contèmtores a tragoedia homines effici, quippe potius frangi eos animiſque dejici neceſſe eſt. Quid enim? Quum videat Philoctetem prae dolore ejulantem, mortemque expetere, omni publicae privataeque rei cura poſthabita, nonne intolerandam quamdam rem eſſe dolorem ſibi perſuadeat populus, tantum virum imparem illi fuiſſe conſpiciens? Quum Ajacem, propter erepta ſibi Graecorum Principum judicio Achillis arma, furere videant, & errore mentis percitum pecoribus primo, deinde ſibimetipſi manus inferre, nonne contumeliam, aemulique gloriam graviores quaſdam ac acerbiores res eſſe vulgo homines affirment, quam quae ferri poſſint? Hercules ipſe, quem omnium mortalium fortiſſimum fabulae perhibent, nimis ſane dejectus, lacrimans, fractuſque inducitur ab Euripide ob caedem conjugis ac liberorum: quod illum maxime dedecere videtur. Atque ita per prope omnium tragoediarum argumenta diſcurrens, graviter affici fortitudinem, ſpirituſque hominum minui ac cadere debere fatearis neceſſe eſt, quod perturbationes & calamitates ne magnis quidem viris tolerabiles eſſe videant. Quis etenim fuerit, qui tam de ſe ipſo magnifice ſentiat, ut animo ſe majore ac firmiore eſſe credat, quam Philoctetes, quam Ajax, quam Hercules, quam reliqui heroes, quorum aerumnas tragoedia explicat? Quum vero imperatores, ac ſummos duces auro gemmiſque praefulgentes, ac pro arbitrio quicquid in mentem venerit imperantes & efficientes ſcena paſſim inducat, profecto qui Regiam potentiam, excelſumque illud faſtigium propter tragoediam averſetur ac fugiendum exiſtimet, neſcio quam facile invenias, frater.

Grav. Humana omnia vertere in utramque partem poſſumus, Gregori; ſed ſapientis eſt, optimam ſemper interpretationem ſequi, quod tu minime facis. Quum

enim funeſtas & atroces rerum converſiones proprie ſibi vindicet tragoedia , Herculiſque aliorumque regum ac heroum miſerabile ſpectaculum ideo inducat, ut ad moderationem & modeſtiam revocet eos, qui rerum ſuarum ſucceſſu elati ita res ſuas conſtabilitas arbitrantur, ut omnino mutari non poſſint ; tu invertis omnia, & corrumpi ac deijci mortalium animos hujuſmodi ſpectaculis affirmas . Praeterea ſatius eſſet, hoc potius pacto philoſophari , atque ita diſſerendi initium ſumere, ut tragoediae utilitas appareat; Profecto vexari acrius quam te videas alios , ſuave tibi eſt, & tuorum certe malorum oblivifceris . Hinc ſi pauper quiſpiam in theatro ſedet , moerere deſinit ſimul ac Thelephum Herculis filium nudum ac projectum in scena intuetur. Lippum mire ſolatur Iſiphus, quod hic prorſus, ille nonnihil videat . In morte filii quem non ſedabit Niobe tot liberis ſimul orbata ? *Bel.* Antiquum obtinetis morem: atque ego plane mirabar, tamdiu vos inter vos ſine contentione aliqua egiſſe . Mihi vero ambo , ut fit , contentionis ſtudio videmini praetergreſſi veritatem . Etenim, quod ingreſſus eram dicere, ſi tempora, nationumque indolem diligenter expendamus, maximaſque ſtudiorum, ſententiarum , atque adminiſtrandarum rerumpublicarum mutationes ; non ipſam tragoediam inutilem aut noxiam modo eſſe intelligemus: verum aliqua ex parte populos in eam conditionem, vertentibus temporibus , adductos fuiſſe , ut delectari magis ab ejuſmodi ſpectaculis, quam juvari ac doceri poſſint . Comoediam vero eandem ſemper populo utilitatem attuliſſe in aperto eſt, poſtquam a Menandro & Apollodoro eorumque aequalibus (rejecta , quod felle, ac nigro ſale nimis redundaret, vetere comoedia, indeque media etiam expulſa , vix a vetere diverſa) in eam formam, quam admiramur adhuc & ſequimur , redacta fuit . Non vero ut his de rebus diſputaremus ad Mergellinam con-

Digitized by Google

convenimus ; ſed Panſuti ſalutandi , exhilarandique ſimul animi gratia , & curas , ſi quae ſunt , amoliendi ; quare arbitror , ſi vobis idem videtur , aliò convertamus orationem , ne pro ocioſis negocioſiſſimi hìc agamus . *Gra.* Nequaquam ſane ; nam, quandoquidem ad hunc ſermonem nos caſus quidam detulit, non alienum reor, his de rebus potiſſimum nos inter nos , ut coepimus , loqui : præcipue quum ſæpius ego te de tragœdia ac comœdia diſputantem Belvederi audire fruſtra concupierim ; Romæ namq; vitam ago, in patriam raro admodum remeo, & valdè quidem brevi commoror . *Bel.* Nimis blande hoc Gravina ; nam quid me audias, quæſo, qui acutiſſime ac doctiſſime de tragœdia ipſe ſcripſeris., & graviſſimas idem edideris tragoedias : quum ego ne literam quidem hiſce de rebus unquam ſcripſerim , & vix quaedam ab experientia edoctus ad uſum tranſtulerim . Sed hæc omittamus . *Cal.* Nec ego tibi aſſentior : nam me etiam , qui a theatro ſum omnino alienus , delectari hoc ſermone fateor . Sed Panſutum reor expectandum , cui vel injurato , quae ejus probitas eſt , deferendam decernendi facultatem cenſeo , an incoepta ſequamur , vel alia omnia.

Gr. At, ut diei tempus eſt, egredi ipſum e bibliotheca jam pro more aequm eſſet . Nimis jam cauſis datum & Foro, ut cras probe meditatus optimus Judex in XXIV. virûm conſilium eat . Interpellemus jam hominem , ne villam potius viſuri, quam dominum , huc adveniſſe videamur . At ipſe jam commodùm egreditur : salve Panſute . *Bel.* & *Cal.* Salve & a nobis . *Panſ.* Salvete & vos viri optimi, mihiq; amiciſſimi . Quam vellem quidem vos excipere venientes potuiſſe , & veſtris ſermonibus uſque a primo mane interfuiſſe : sed lapis quem volvo utrumq; ademit , ſatiſq; mihi fuerit , ſi reliquias excepero . *Gr.* Integra ſane omnia tibi ſervavimus , nam vix quædam deſultorio ritu delibata nobis ſunt de tragœdia & comoedia : *Panſ.* Papæ !

 Opti-

Optime iſthuc quidem , mihique acceptiſſimum : pergite igitur viri magni , me maxime attentum auditorem habebitis . *Grav.* Audiemus porro alternis & audiemur , nam hîc collatis symbolis res agitur , nec philoſophorum more ſcholam eſt hodie noſtrûm quiſquam explicaturus . Tu autem quid ais Belvederi ? Quid tibi velle Panſutus videtur? *Bel.* Mirum ni , & ipſe tragoediarum ſcriptor , tecum ſentiat . Obtemperabimus itaque , ut pro Gregorio quoque reſpondeam , voſque in Provinciam veſtram ſequemur, & quaſi praetoria cohors vobis erimus . *Cal.* Recte ais. *Gr.* At nunquid poſt Horatiam tuam aliud quid commentatus es, Xaveri? Ne nos cela , quaeſo, amantiſſimos tui . *Panſ.* Eſt profecto quippiam , ſed rude adhuc & impolitum ; verum taceſis ea de re , Vincenti , ne quis in Forum alterum hoc crimen noſtrum adducat , & a Juriſprudentia ad Poeticam nos prorſus deſciviſſe criminetur . *Grav.* An quod laudi tribui aequum eſt , quum ſubſecivas horas perire tibi non pateris , idne tibi vitio verti ? Perverſum hoc profecto & iniquum , noſtriſque hominibus plane peculiare . *Panſ.* Noſtris nos legibus vivere oportet , tibi romanis licet , quae nullum in juriſconſulto reſpuunt ornamentum . *Grav.* Ne te vero indoctorum inepta maledicentia a propoſito dimoveat: clament , reprehendant quantum volent , nihili pendas : aequiores ſane Judices , doctos & eruditos viros habebis , quorum hîc quidem ingens eſt copia . Sed quid hoc eſt quod te in manibus habere dixeras , obſecro ? *Panſ.* Quoniam omnes reip. romanae status , ſive converſiones pro tragoediarum materia mihi ſumſi , poſt Horatiam , Bruti facinus, naſcenti reip. oppido neceſſarium , ſibi domuique ſuae funeſtum pertractandum ſuſcepi . Nam ni filiorum ſuorum ſanguine naſcentem libertatem ille ſanxiſſet , orbitate ſua poſthabita, ſane tunc Romani in Regum poteſtatem recidiſſent . Inutile fortaſſe his temporibus argumentum , ſed mihi in ro-

ma-

Digitized by Google

mana republica, ob aſſiduam romanorum ſcriptorum lectionem, ut ita dicam, viventi, admodum jucundum.

Grav. Eodem nos reducis, Panſute, unde nos paullo ante tuus adventus abduxerat: nam Gregorius in tragoediam vehementer invectus, nullius illam modo utilitatis populo eſſe diſſeruit, mutato quippe rerum ſtatu, regiaque poteſtate, gaudentibus populis, ferme ubique firmata. *Panſ.* At modo non utique populo ſcribitur tragoedia, ſed gravibus doctiſque viris; potiuſque ut fortibus exemplis adverſus ingruentia firmentur animi, quam ut vel hunc vel illum reip. ſtatum expetant homines; quod aggredi ineptum mihi & perniciofum etiam videretur. *Calopr.* Alia itaque erit noſtrorum temporum tragoedia, penituſque ab antiqua illa laudataque diversa. Tunc enim communis populi utilitas Poetae proponebatur, nunc vix paucorum oblectatio. *Bel.* Nimium elevas, Gregori, tragoediae dignitatem, & immerito quidem: nam ſi quid eſt docto fortique viro dignum, id, meo quidem judicio, tragoedia eſt, quae magnarum nobis viciſſitudinum, & perturbationum, magnarumque itidem virtutum exempla ſuppeditat, unde nobismetipſis majores efficimur, & mirifice adverſus humana obfirmamur. Porro tragoediae nihil aliud ſunt, quam imagines quaedam humanarum cladium, quibus ſubinde reſpublicae ac regna affliguntur, Deo hoc pacto ulciſcente gravia & atrocia ſcelera, innocentes autem & indigne oppreſſos praeſenti ope ſaepe eripiente: unde ad virtutem excitantur animi, & vitia execrantur: Quod vel ſola bonarum tragoediarum lectione unuſquiſque noſtrûm experitur: nam ſi probe agantur, tunc vero ita commoveri omnis generis auditores videmus, ut ſane admiremur. Meminiſti enim, Gregori, quos gemitus lacrimaſque Horatia Panſuti noſtri excuſſerit, quum in scenam venit, utque animos omnium pupugerint triſtes illi vereque tragici eventus.

tus. *Cal.* Id tibi fortaſſe potius debetur quam ipſi tragoediæ, qui actores ita affabre inſtructos in ſcenam miſiſti, ut quicquid dicerent aut agerent, non fictum eſſe & imitatum videretur, ſed ipsa veritas. Nec tamen abnuerim, Horatiam ipſam ita exornatam a doctiſſimo authore prodiiſſe, ut scenæ noſtræ ac theatro mirifice conveniret, excitandiſq; affectibus apta eſſet, quod in aliis vulgo tragoediis ſecus eſſe conſuevit. *Bel.* Italicarum tragoediarum omnium fere haec indoles eſt, ut magna quidem cum admiratione legantur, agi vero prorſus nequeant: nam dum noſtri Graecos adamuſſim imitantur, quid modo aures oculique requirant ignoraſſe videntur aut neglexiſſe. *Grav.* Omnes uno ictu a theatro detruſiſti noſtrorum hominum tragoedias, Belvederi, quod ab humanitate tua alienum quammaxime eſt: & praeterea tam adverſos ſuis, perverſique judicii Italos non reor eſſe, ut ſi quid forte eos in ſuorum poetarum tragoediis, offendat, repudient illico omnia: & ſimul veterem illam Græcorum ſuavitatem atque doctrinam, præ inſulſitate neſcio qua noviſque ac popularibus opinionibus, omnino poſthabeant. *Bel.* Legent & admirabuntur ſane Itali ſuorum hominum tragoedias, ſed his in theatro non plaudent; nauſeantes immo, in scena ſolos relinquent actores, graeco more tragoedias agentes. Omnium loco, ut uno exemplo rem expediam, tuae nobis erunt tragoediae, quae quidem graecas ita in omnibus imitantur, ut illis merito aequiparentur, ſeu rerum ac ſententiarum gravitatem reſpicias, ſeu ordinem & oeconomiam: at, dabis hanc amiciſſimo homini veniam, ſi quam illarum docere populum velles, cavea tibi extemplo vacaret, & vix paucos, qui graeca admirantur, auditores habiturus eſſes. *Gr.* Sed mihi tunc illud veteris tragici uſui eſſet, pluris ſe nimirum unius Socratis judicium facere, quam Athenienſium omnium. Adeſſent modo mihi docti ſapienteſque viri,

viri, nil omnino de multitudine ſollicitus eſſem. *Bel.* At illi & multitudo frequens aderat, & philoſophi omnes duce Socrate. Sed quum tragœdia populum ſive multitudinem præcipue reſpiciat, aud optimo conſilio ille a theatro excluderetur, & ad paucos res referretur; quod eſſet Gregorio manus vinctas dare. Omne punctum tulit, ut mihi quidem videtur, Panſutus noſter, cui Horatiam docenti accepiſti fortaſſe, omnes omnium ordinum frequentiſſime adfuiſſe, ita ut, quamvis plus vicies acta eſſet, Civitatis tamen deſiderium non potuerit explere. Immo, ut quod paullo ante dixi experientia inniti videas, Horatiae chori, ad Graecorum ſcriptorum normam doctiſſime ac nitidiſſime elaborati, quamquam Carapella, qualis vir Deum immortalem! modos feciſſet, eoſque optimus cantor ſuaviſſima voce in actuum intervallis caneret, exploſi a cavea fuerunt ac repudiati, ut poſtremo omitti illos prorſum neceſſe fuerit. *Grav.* Si ſcriptores etiam corrumpi, ubi mores populi in deterius labuntur, neceſſe eſt, fruſtra litteras colimus, & antiquitati, veterumque diſciplinis incubamus. Doctos profecto viros decet, imperitorum erroribus obſtare, non uno eodemque veluti flumine a vulgi opinionibus abripi. *Bel.* Optime iſthuc quidem: ſed modo non de ipſa agimus tragoedia, quae retinenda prorſus eſt, ſed de eam ſcribendi diſponendique modo. Ut ſi quis veſtes nunc ad inſtar veteris Graeciae Italis, Galliſque ſumendas ſuadendum ſuſciperet, & ab his nationibus reſpueretur, huic ſane objiciendi jus non eſſet, nudos hos populos vitam agere malle, quam priſcis illis indumentis uti. Nam neceſse quidem eſt, ut veſtibus utantur homines ad frigus arcendum, ac tolerandum calorem: neutiquam vero æque neceſſe eſt ut Perſarum aut Aegyptiorum morem ſervent, quum ſuus unicuique genti temporique mos ſit, & vetuſtas nihil authoritatis circa hujuſmodi habeat, quae

quae ab arbitrio hominum pendent, nihilque revera ad res ipſas pertinent. *Gr.* At mihi haec ſtat animo ſententia, quantum in tragoedia ſcribenda a Græcis abſcedimus, tantum ab optimo ſcribendi genere nos abeſſe. Ideoque ut popularem plauſum omnino deſpicere me ac repudiare oſtendam, jam in latinum e vernaculo ſermone tragoedias meas coepi vertere, ut, ſi qui velint, doctis eas viris perlegendas præbeam, vulgus ab iis utique ſegregem. *Bel.* Optimo id quidem conſilio; nam & jambis longe aptior latina lingua quam noſtra, & neſcio quid gravitatis inde tuis accedet tragœdiis. Ego quidem de noſtri theatri conſuetudine loquor, omniumq; modo cultarum nationum more. Nec is ſum qui in omnibus rear populo obſequendum, immo obſiſtendum plerunque; ne vel mira quaedam & abſurda admittantur, neve a priſcis ac receptis tragoediæ legibus deerretur ad vulgi admirationem captandam. *Panſ.* Id ſi poetae omnes ſuperioris praecipue ſeculi ſervandum cenſuiſſent, tragoedias modo aliquot non haberemus & comoedias tot monſtris refertas, ut veriſimile ab jis prorſus exulet, & naturalis rerum curſus negligatur. *Bel.* Hiſpanae pleræque hoc vitio fabulae laborant: nam tragoediam Hiſpani non habent: in illis vero mera miracula earum authores ſequuntur, ut auditores in admirationem conjiciant: unde fit, ut quantum acuminis & inventionis laude hujuſmodi comoediae praecellant, tantum in Naturae veritate, communique ſenſu ſervando deficiant. *Grav.* At, qui tuus eſt erga veritatem amor, nullas unquam majore plauſu acceptas in theatro confitearis neceſſe eſt, quam ejuſmodi fabulas: ita ſcilicet eſt populus iſte tuus, Belvederi, egregius, ſi Diis placet, fabularum judex. Cæterum ab hiſpanis ad gallos quoſdam poetas morbus hic pervaſit, atque per Italiam quoque aliquando vagatus eſt. *Bel.* Praeterito nempe ſeculo, quando omnis pene eloquen-

tiae

tiae laus a noſtris regionibus abfuit, corrupta prorſus antecedentis ſeculi eruditione, &, ut ita dicam, caſtitate. Modo vero etiam ab imperitis hujuſmodi monſtra damnantur, vetuſque noſtris ingenium rediit, qui nil modo niſi exquiſitum & perfectum ferre poſſunt. *Panſ.* Si defectum eloquentiae tantum praetergreſſo ſeculo tribuis, tibi maxime aſſentior: nam per centum prope annos nec poeta nec orator bonus apud nos floruit: qui tunc, Marino duce, id loquendi genus amplexati ſunt ac schematum indolem, ut nemo hoc tempore eorum ſcripta ſine riſu, vel ſtomacho potius legere valeat. Non vero adeo egregiorum poetarum ſterile ſeculum fuit, quin complures ejus generis Italia tulerit. Quis enim eo ab numero ſegregabit Marchettum, Redium, Chiabreram, Magium, Menzinum, Baragnam? *Cal.* Quoad doctrinas vero caeteras, nec acutiores profecto Philoſophos unquam, nec clariores Mathematicos aetas ulla tulit, ac illa. Unus enimvero Galilæus pro omnibus eſt, quem Orbis potius ornamentum quam unius Italiae dicere jure poſſis. Quin etiam Borrellus, Turricella, Magalottus, Vivianus, compluresque alii, qui Galilaeum audierunt, ingentem ſibi famam pepererε. A qua etiam diſciplina phyſicarum experientiarum authores Florentiae, Mediceis principibus mire adjuvantibus, exorti ſunt, viri plane omnibus numeris abſoluti: ita ut ſi eadem diutius in Italia conſuetudo tenuiſſet, neſcio an aliquid Gallis, Britanniſque inquirendum in phyſicis atque inveniendum reliquum fuiſſet.

Gr. Si hunc Caloprefium ſinetis in provinciam ingredi ſuam, jam longum vale theatro tragœdiæq; dicamus oportet, ita nos per latos philoſophiæ campos ſpatiari coget, nec ſinet ad inceptum ſermonem revertere. Quare, Belvederi, quod nobis pollicitus es, exequere, meis mihi tragoediis relictis, qui eas eo ornatu quamprimum prodire ſatagam, ut eas

 ne-

nemo, præter doctos & eruditos, eaſdem eſſe omnino cognoſcat. *Bel.* De iis vero ideo mihi aliquid dicendum cenſui, quia inter optimas ejus generis eſſe reor, eaſque praeterire, opus quippe doctiſſimi atque amiciſſimi hominis, piaculum duxi. Caeterum & complures tragoediae italico ſermone a doctis ſane viris conſcriptae, atque ipſa adeo Triſſini Sophonisba eodem ac tuae premuntur fato, nam theatrum ingredi vetantur, & lectioni doctorum ſolummodo virorum idoneæ ſunt, non aliud equidem ob vitium, quam quod ſunt nimis Græcae, & Graeco non noſtro theatro opportunae. Immo ipſius Sophoclis, atque Euripidis tragoediae, quas principem inter omnes obtinere locum docti indoctique fatentur, mire nunc frigerent, ſi quis eas noſtro in theatro docere vellet: unde minor illorum imitatoribus pudor ſit, ſi ut praceptoribus eveniret ſuis, ita & ipſi a ſcena explodantur. *Calopr.* Linque igitur Graeciam, Belvederi, quandoquidem ea nihil ad nos; & ad ſcribendas noſtro more tragoedias aliquid affer: ut ſi frater alias fortaſſe ſcribendas aggredietur (nam Panſutus ad meliora jam ſponte ſua acceſſit) ita novas tragoedias adornare poſſit, ut & populo placeant. *Grav.* Ne verere, frater, ne verere: nam me nunquam a propoſito nec populus, nec cujuſpiam authoritas abſterrebit. Aveo quidem noſſe quae Belvederius noſter his de rebus ſentiat, mirifice enim ſuavitate ejus & acumine delector: caeterum mihi emenſum jam eſt curriculum, neque hoc aetatis decet ad nova inſtituta quacunq; de cauſa deflectere, mihique ipſe adverſari. At ſi lubet, Belvederi, jam ad ea, quae ex te audire cupimus, perge: nam Panſutum idem velle pro certo habeo. *Panſ.* Rem, ut ajunt, acu tetigiſti. *Bel* Quid ego, quod vobis novum accidat, viri doctiſſimi, dicam? Sane veſtrûm uterque (nam Caloprcſius aliò & fortaſſe ad majora vertit animum) quantum caeteros in

hoc

hoc graviſſimo poeſeos genere, quippe in tragoedia ſcribenda, antecellat, abunde oſtendit, ut vos pro optimis authoribus, quos alii imitentur, jure merito proponerem. Proinde omittenda mihi prorſus ea cenſeo, quae vos docere alios ſoletis, ne vere vaſa Samum inferamus. De veteri autem theatro tot jam ſummi viri ſcripſerunt, ut nil prorſus dicendum ſuperſit: cui non dictus Hylas! De noſtro quædam dicemus, quandoquidem ita fert ſermo, itaque vos velle animadverti. Theatro quidem, quo Graeci Romanique uſi ſunt, nos plane caremus: novumque hoc, quod publicum vocamus, inter inventa poſterioribus temporibus reponendum aud immerito videri poſſit: quippe quod tragœdorum ac comoedorum vice cantores & cantrices tantum habeat, nec diurnum, ut olim, ſed nocturnum ſpectaculum ſit, nec ibi drama, niſi dicis cauſa, ut jureconſultorum formula utar, repraeſentetur, ſed unis cantionibus res tranſigatur. Privata vero theatra, quæ in civium ſaepe aedibus ad tempus excitantur, in quibus tragoediæ modo & comoediae aguntur, nullam muſices mixturam habent, nec ipſae per hiſtriones aguntur, ſed a liberis, honeſtiſque ſæpe etiam viris, unde Atellanis ac Praetexatis fabulis ſimiliores ſunt, quam veteribus tragoediis, & comoediis, quae ſine muſicis adjumentis nunquam actae ſunt: ita ut ars ſcribendarum Comoediarum ars muſica apud veteres vocata ſit. Id verumtamen ita fiebat, ut drama actores unice occuparet, muſice vero actorum dicta ſuavi quadam & opportuna modulatione fulciret, atque adjuvaret, gravia nempe gravibus modis, tragica ſeveris ac flebilibus, laeta dulcibus; ut pronuntiationis leges tantum ſuggereret muſicus, verba autem ipſa nec frangeret, nec loco moveret, nec veluti turbine quodam involveret, ut modo fit. Tunc denique vere drama agebatur, & docebatur: nunc luſciniarum, ac paſſerculo-

 rum

rum ritu cantatur , tanto inſuper cythararum , lyrarum ; tybiarum , tubarumque etiam aliquando ſtrepitu ac ſonore , ut verba exaudiri non poſſint , verſuſque ac poetae ſenſa omnino evaneſcant . At , ſi vobis ita videtur , de publico theatro , tragoediiſque quae in eo canuntur ſint dicta ſatis : ad domeſticum tranſeamus .

Grav. Profecto veriſſime a te dictum cenſeo ; nos publico theatro modo carere : nam de quo locutus es , ad exercitationes muſicas pertinet , non ad tragoediae comoediaeque theatrum . Vix in privatorum aliquando domibus tragoedia vel comoedia prope ad veterem illum morem agitur , ſine ſocco quidem & cothurno, ac hiſtrionibus, mediocrique ſane apparatu ; verum ut ibi agatur fabula , non cantetur : quod quum in theatro fit , mihi abſurdum admodum videtur ; nihil enim tam vero ac genuino docendarum fabularum mori adverſatur , quam cantilenae iſtae , quae nec exaudiri verba ſinunt , & ſatietate , ac perpetuis repetitionibus auditorem exanimant , non ſolum ut fabulae nexus ignotus uſque ſit ſpectatori , ſed ut prorſum ſententiae , ipſaeque ſermonis veneres , ſi quae ſunt , ſuffocentur ac pereant . Unde magnum mihi operae precium facturus ille videatur , qui theatrum illud vetus modo apud nos excitaret , & per hiſtriones , tragoedias ac comoedias doceret , ita tamen , ut nec tibia, nec lyra , nec aliud quid , quod ad muſicen pertinet , in eo theatro ne pictum quidem conſpiceretur : quod poſt Cornelium & Racinum magno plauſu in Gallia fieri audio . Irent hoc pacto ad eunuchorum & cantricum illecebras hauriendas , quibus muſica cordi ſunt : prudentes autem viri ad theatrum accederent , ubi priſcae ſapientiae praecepta admirarentur , dignamque viro voluptatem haurirent a graphica morum imitatione , variaque hominum fortuna. *Cal.* Atque ego quidem , quid haec noſtra praeclara ſcena caeterorum in animis pariat , adfirmare

non

non auſim : de me autem ſincere fateor , nunquam hoc me theatrum ingreſſum eſſe , quin mollior inde atque infractior exierim . Hoc fortaſſe mihi propter ſenectutem accidit, reique inſolentiam: verum nequeo satis in animum inducere , levius inde affici cincinnatos iſtos noſtros adoleſcentes , matronaſque , amores , & voluptatem vultu ipſo ſpirantes: in quorum imis, ut ita dicam, viſceribus theatralia illa pila , & venenata jacula penitus haerere admodum eſt veriſimile .

Panſ. Porro haec , quae Italiam invaſit , theatri corruptela aud ita multo poſt dimidiatum ſuperius ſeculum a Parmenſibus , Mantuaniſque Regulis orta eſt , qui talium ſpectaculorum novitate ac dulcedine pellecti, ultra omnem modum voluptates ejus generis incredibili ſumtu amplexati ſunt : unde praecipue Mantuanorum Principum perniciem profluxiſſe hiſtoriae teſtantur . Ab his initiis Veneti ac Neapolitani theatri principia invenias: quod annis vix quinquaginta ita invaluit., ut neminem e patriciis beatiſque iſtis invenias , qui aliud aliquando fuiſſe , aliudque & modo eſſe debere theatrum ne ſomnietur quidem . Eunuchi interea , pudendum genus hominum , ac mulierculae , arcanorum ſcilicet muſicorum callentes , maximis praemiis unde unde accitae ad theatrum conſpurcandum accedunt , plebemque pariter ac patricios , matronaſque praeſertim vocum illecebris oblectant , nulla poetae & poeſeos cura, quae muſicis ubique loco ceſſit: & quæ olim muſices domina fuerat & regina , nunc ancillae ipſamet ſubſervit ſuæ, pluriſq;aut minoris aeſtimatur, quantum ad muſicen modoſq; videtur aptior. Quod magnis viris ſcribendae ad veterem normam tragoediae curam omnem ademiſſe mihi videtur : quum vix intra domeſticos parietes viderent aliquem tragoediae locum eſſe , nec unquam in publicum prodire poſſe . *Cal.* Non equidem temere

Pla-

Digitized by Google

Plato & veteres ſapientes, muſica re rempublicam contineri arbitrati ſunt, & ſi quid in illam novi irreperet, mores inde hominum neceſſario affici atque converti. Hinc profecto fateamur neceſſe eſt, noſtrorum morum corruptionem a praeclara iſta muſice, quae modo, noſtrorum praecipue hominum labore & ingenio, ſuas omnes vires exeruit, atque a muſico iſto theatro prognatam eſſe. Nam venenatae muſices illecebrae incidunt nervos virilis animi, praeſertim in tam molli ſpectaculorum genere, quibus jam nil niſi meri amores exhibentur. Unde mirari licet, eos, penes quos earum rerum poteſtas eſt, id minime adhuc animadvertiſſe, frangiq; permiſiſſe martios Italorum animos, quos ad majorum ſuorum imitationem per gravia & mere militaria ſpectacula excitare debuiſſent. *Grav.* Sapienter & vere id a te dictum, frater. Nam non omnia ſpectaculorum genera omnibus aeque civitatibus conveniunt. Perſis, aliiſque ad omnem ſervitutem dejectis per Aſiam Afiicamque populis libenter dederim, ut mollibus atque effeminatis ſpectaculis acre ſervitium ac turpe ocium oblectent. Europae vero populos ad gloriam natos ad ea adhortarer ſpectacula, quibus Romani praecipue uſi ſunt, quibuſque maxime hominum animi firmantur. Spectacula etenim, quae magnorum fortiumque factorum ſpeciem praebent, paullatim in ſpectatorum animis robur quoddam, ac celſitudinem excitant, vitaeque contemtum prae laudis cupidine pariunt: unde ſcenicorum heroum aemulatione ſpectatores gloriae ſtudio incenduntur, atque ad patriae regiſque amorem excitantur. *Bel.* Id Romani vel per gladiatorum lanienas conſequi aggreſſi ſunt, Hiſpanique deinde per taurorum pugnas: quae omnia Dei O. M. ope ab univerſa jam Europa expulit humanitas: forteſque viros eadem docuit, ratione fieri, non cruentis atque inhumanis hiſce ſpectaculis. Ideo ad tragoediam ſatis eſt ſi convertantur

tur

Digitized by Google

tur homines, unde & animi magnitudinis, & cujuſcunque virtutis ſemina hauriuntur. Verſent modo diurna nocturnaq;manu, ut Horatius ait, optimarum tragoediarum exemplaria homines, & ad fortium factorum imitationem eos ferri videbimus. Nec vero muſicen, quoad ipſos mores attinet, repudiandam omnino cenſeo: ſed ea eſſet adhibenda, qua Graeci uſi ſunt, virili illa quidem & gravi, quae homines erigeret atque excitaret, non molliret atque dejiceret. Haec vero extra noſtram aream ſunt: videant quibus ea curatio eſt.

Cal. Ejus igitur generis theatrum muſicis exercitationibus potius quam tragœdiis docendis dicatum merito dicere poſſumus. Ideo hujuſmodi ſeculo concedamus, noſq; eò referamus, ubi utilis ſimul & jucunda tragici poetæ opera eſſe poſſit: quod a Belvederio noſtro expectamus. *Bel.* Id porro illud theatrum conſequetur, quod e veteri tragoedia ingentium vitiorum ac virtutum exempla retinebit: caſuſque graves & repentinos, regiaeque fortunae mala, rerumque magnas converſiones in ſcenam inducet: ita tamen ſcenas actuſque temperet, ut uſui prorſus conveniant; vitamque moresque eo artificio moderetur, ut & perſonis congruant, & communi hominum ſenſui non adverſentur. *Grav.* Communis vero ſenſus omnium temporum eſt ac nationum, ut eadem apud Graecos olim & Romanos rationi conſentanea viſa ſint, quam Gallis modo Italiſque eſſe videantur. *Bel.* Et verum iſthuc eſt, & magno nihilominus indiget temperamento, Gravina: nec enim quae magno plauſu Græcum theatrum excepit, ferret modo noſtrum, quando mores nedum populorum, ſed et regum ipſorum immutati, ac ſane inverſi ſunt. Nam quis Peleum nunc ferret, ſceptro caput Menelai Regis ſe percuſſurum minitantem in ſcenam induci; vel Andromachen Hectoris uxorem vinculis in ipſa ſcena a Menelai ſatellitibus ita conſtringi ac trahi, ut

vix

Digitized by Google

vix modo cum ſicariis & latronibus agi mos ſit ? Quæ Euripides, atque alia his ſimilia induxit, quoniam Trojanorum temporum mores referebat, qui a noſtris longe lateque diſſentiunt. Quae ab ipſo poetarum parente Homero defluxiſſe patet: apud quem, ne ad alia divertam, iſthaec ipſa Andromache, Hectoris viri ſui necem flens, inter alia ad Aſtianactem puerum converſa ait, nunquam poſthac, o fili, ſuper Hectoris patris genua ſedens, medullas ac adipem arietum comedes. Quae maxime decorum lædunt, & ridenda prorſus noſtris temporibus. *Panſ.* Quid? modo plauſum iri ipſi Virgilio cenſes, ſi aliqua Regina in ſimilem ac Dido caſum adducta, ea querelis admiſceret, quæ ſatis indecore Phoeniſſam illam dixiſſe Maro fingit?

. . . . Si quis mihi parvulus aula
Luderet Æneas .

Temporum haec ſunt, nec imitanda. Sane pro certo habeo, aliter nunc locuturos fuiſſe Euripidem, Homerum, Virgilium, ac tunc locuti ſunt; ut iis optime quadrare cenſeam quod de Lucilio dixit Horatius

. . . Sed ille,
Sì foret hoc noſtrum fato dilatus in aevum,
Detereret ſibi multa, recideret omne quod ultra
Perfectum haberetur . . .

Belv. Praeterea cui credis ſpectatori apud nos probatum iri, ſi ab uno eodemque actore integrum pene actum, quod factitatum in veterum tragoediis, abſumi videat? Immo ſerio poetas noſtros cavere moneo, ne quem actorem, qui ſolus ſcenam teneat, diu ſolum loquentem inducant, ſed admodum breviter, ne contra veriſimile peccent, faſtidiumque pariant ſpectatoribus. *Panſ.* Apud Gallos vero poetas alia conſuetudo invaluit, ut quum duo pluresq; perſonæ in ſcena ſint, altera viginti vel triginta verſus proloquatur, altera dein prope totidem, ſenſa ſenſibus oppo-

Digitized by Google

ponendo, reponat, atque ita; ut adverſi oratores olim ſolebant, quaſi ad clepſydram alternis dicant, quod declamatorium, ac nimis meditatum videtur. Quid in Rodoguna, quæ inter optimas Cornelii tragœdias? Nonne Cleopatra diutiſſime ſola pluries declamat: & tam multa inſuper loquitur, ut plus quingentos verſus in ea tragoedia una pronunciet? *Bel.* Id ſcilicet communis ſenſus in Gallia fert, apud nos autem reſpuit. Sed ut ad Graecos redeam, quis libenter modo videat, chorum vel mulierum, vel ſenum, vel nautarum, inter reges principeſque viros in ſcena verſari, deque omnibus, quae eveniunt aut eventura ſunt, modo inter ſe, modo cum actoribus ipſis loquentem? *Grav.* Sublato autem choro truncatur nobiliſſima atque utiliſſima tragoediae pars, nempe, qui ſententiis denſus eſſe debeat, & ſapientum judicium de his quae eveniunt continere; qui ſi abeſt, muta quaedam & manca res erit tragoedia, in qua nec poetae loqui datur, ut in epico poemate, nec actores philoſophari par eſt, ſatis in agendo occupatos, & a philoſophorum ſtudiis plerumque alienos. *Belv.* Parce admodum ſententiis uti debere tragoediam reor, ne ideo chorum deſideres, quod unum fortaſſe Sophoclem Euripidi praetulit; nam res ipſa docere nos debet & eventus, non conquiſita verba, & floſculi, ut ita dicam, orationis: judiciumque de his quae evenerunt longe ſatius eſt a ſpectatoribus ferri, quam a poeta aut choro, ne auditorum ingeniis diffidere videare, aut declamatorium quid in ſcenam inducere, ubi actio ipſa regnare debet, eademque docere. Nam, ut aliquo e notioribus tragoediis ſumto exemplo utar, quid in regnandi libidinem aptius quibuſcumque verbis dixerit Philoſophus, quam quum Agamemnonem in ſcenam Euripides inducit, propter imperandi Graecis nimiam cupiditatem, filiam mactantem? Aut quum Cornelius in Rodoguna Cleopatram proponit,

Digitized by Google

quæ alterum ex filiis primùm ferro ſuſtulit, deinde, quod alterum necare nequiverit, ſemetipſam hauſto veneno interfecit? Num quidquam hoc facto dici efficacius aut excogitari poteſt? Chorum vero, ut eo redeat unde digreſſa eſt oratio, ſi quis retinere velit, per me ſane licet, dummodo a ſpectatorum oculis auribuſque illum ſubducat, & in extremam actuum partem, veluti quid a dramate diviſum, conjiciat, legendum quidem, utique non conſpiciendum aut audiendum.

Illud vero in tragoedia quammaxime retinendum eſt, quo ipſa nimirum conſtituitur, ut bellorum calamitates, aularum perfidiam, diſcordiæ, peſtes, ingentiumq;irarum aeſtus, atque libidinum, odiorumque perverſitatem ſpectanda proponat poeta, regnandique deteſtetur injuſtam atque infinitam cupiditatem, idque horrendis exemplis ſanciat. Deterrendi quin etiam ſunt in tragoedia ab inſanis amoribus homines, quum nulla ex omnibus perturbationibus vehementior ſit, quam amoris furor, idque magnis cladibus doceri, atque inculcari debet. Atque huc veteres in Medaea praecipue reſpexere, cujus amor ad foedam demum perturbationem mentis delapſus, impudentiæ, flagitii, coedis furenti foeminae cauſam praebuit; quae, accedente inſuper ira, nullum denique exhorruit nephas. *Panſ.* At prorſus diverſa noſtri modo theatri indoles eſt, quod niſi drama amorum oblectamentis infarcias, friget, & omnino repudiatur. Amores autem ad bonum morem plerumque deflectuntur, ut ſaepius eos virtus, quam vitia comitentur, atque optima inde proveniant. *Bel.* Sane ita Gallorum praeſertim theatrum fert, in quo dum veteres hiſtoriae referuntur, recentes tamen illorum populorum mores proponuntur ſpectandi. Nec negaverim cuncta in eo modeſte, quod ad hoc attinet, ac pudice agi, ita ut delectationem amores habeant, impudentia atque obſcoenitate careant. Sed pravam diſci-

pli-

plinam auditoribus proponere haud ſapientis reor . Nam ſeſe amoribus dedent ſane homines , exemplis illis vehementer adacti ; virtutem vero ac moderationem minime ſervabunt , quae poeta in ſcena nullo negotio ſervat , atque exhibet ; at eadem in auditores minime transfundere poterit , qui transverſi agentur quò humana eos natura , perturbationumque impetus impellit. Satius ergo fuerit , omnes amorum illecebras a tragoedia exulare , ne , dum ea mortalibus magnis exemplis utilis eſſe conatur , eadem ſubvertat , moreſque corrumpat , quo quidem nihil abſurdius excogitari poteſt . Quod ita accipi velim , ut Poeta , ſi quando ita res ferat , hujus quidem perturbationis mala , inſanorumque amorum incendia patefaciat , ut perterrefacti, ab iis quantum poteſt abſtineant homines ; teneros autem affectus , amorumque doloſam dulcedinem omnino vitet , ne inducantur exemplis auditores , & parum in poſterum praevidentes , in eum adducantur locum , ut omni conſilio ac ratione deſtituantur . *Gr.* Vel inde tantùm , te Græcum theatrum admirari palam eſt : ab illo namq; amor prorſus exulat , niſi quatenus ad patefaciendum ejus furorem pertinet . *Panſ.* Hoc ab omnibus Graecae tragoediae ſcriptoribus eorumque deinde imitatoribus ſancte ſervatum eſt , quod patet nedum ab Euripidis tragoediis , qui , quod nimis ſeverus , mulierumque oſor habitus eſt , minus ea in re authoritatis habere videri poſſet , ſed & Aeſchyli , Sophocliſque itidem ; ut colligere inde poſſimus, illius theatri conſuetudinem amores non pertuliſſe ; quum paſſim a recentioribus poetis , quos theatri corruptores appello , perperam ſane in amoribus nodus ipſe ac tragoediae nexus conſtituatur . *Bel.* Caeterum , ne rejectis amoribus humanitatem ipſam a theatro expuliſſe nos videamur , optime parentum in liberos amor , horum in illos pietas , fratrumque praeterea mutuus amor a tragoedia

Digitized by Google

probatur, amicorumque praecipue fides atque conſtantia: quae, ſi a docto humanorumque affectuum perito viro tractentur, ſane magnos animorum motus progignent, nec frigida & ſtataria quaedam res erit tragoedia. Addat, ſi opus fuerit, poeta uxorum in viros, ſponſarum in ſponſos amorem, ſed parce ac prudenter, atque ita ut graves caſus ſequantur; ejuſmodi enim affectus nec bonis moribus adverſantur, & non leves inde turbae poſſunt, animorumque commotiones, acerbique eventus provenire. Quod in Horatia videre eſt, quam ſine lacrimis nemo legere, meo quidem judicio, poteſt, ſine gemitu vero, animique aegritudine in theatro ſpectare nec ſapientibus licet. Vera loquor, huicque Civitati notiſſima.

Cal. Expulſis vero a tragoedia amoribus, quid praecipue in ea ſequendum a poeta dicis, Belvederi? Nam aliquid potiſſimum eà comprehendi neceſſarium duco, ne vagetur, & quo conſiſtat non habeat. *Bel.* Scopus hujus mihi poematis videtur Principum ac potentium virorum vita in conſpicuo poſita: unde in ſpectatorum animis magnae fortunae exſecratio, terrorque ac miſeratio a repentinis cladibus ſuboriatur: quod mihi aliis verbis dixiſſe Theophraſtus videtur, quum tragoediam definivit heroicae fortunae ſtatum. Nam quum talium virorum, veluti in tabula, conſpiciendam vitam proponit poeta, eam miſeriarum, aerumnarumque ob aegritudinem, ambitionem, avaritiam, crudelitatem, refertam oſtendit, incertoque fortunae aeſtu perpetuo jactari. Atque ita tamen tragoediarum ſcriptor hos aeſtus, immaneſque auſus, ac ſaevas fortunae vices, malis regibus principibuſque viris proprias, in ſcenam inducat, ut oſtendat, & reipſa doceat, quocumque in ſtatu magna vitia a ſummo numine acerrime vindicari. Praeterea non fortunam ſolum coecam, ut vulgo ferunt, eſſe; ſed magnis exem-

plis

pliſ patefaciat , & ipſos plerumque coecos eam efficere quos nimio favore complexa eſt : unde illi magno faſtidio & contumacia efferuntur , ceteroſque homines contemnunt : porro ut nihil inſipiente fortunato intolerabilius fieri poſſit. Atque hinc etiam videre eſt , cur ii , qui commodis antea moribus eſſe videbantur , proſperis rebus , imperioque praeſertim ac poteſtate immutentur ; unde , ſi quod ad caetera inutilis tragoedia eſſet , vel uno hoc efficeretur utiliſſima, quod tales viros magnis malis , & calamitatibus plerumque affici docet . *Cal.* Id quidem , Belvederi , in theatro ſaepius fieri , quam in hominum vita conſpicimus ; quum malos ſceleſtoſq; rerum potentes omnem pene vitae curriculum inoffenſum feliciter emetiri ſaepiuſcule videamus , atque e caſibus iſtis tuis , repentiniſque cladibus feliciter evadere. *Bel.* At infelices non exitus vitae , ſed vita ipſa efficit : ut ſatis ſit oſtendere , in angore ac moleſtia malos potentes viros vivere , & perpetuo graviſſimarum ſollicitudinum turbine agi, quod philoſophi omnes docent ; ut eos non admirentur , nec beatos arbitrentur ii , quibus medicina tragicis hiſce ſpectaculis eſt paranda . Quis enim , ut a tetra hac perturbatione iterum exemplum capiam , ambitioni ſanus inſerviat , atque ambitioſos felices putet , quum non ab umbratili aliquo philoſopho audiat , verum oculis ipſe ſuis videat , ſpe ſollicita , trepidoque uſque metu , veluti magnis vorticibus illos jactari ? Aeque enim immodico & noxio affectu ob nimiam bonarum rerum expectationem mortalium torquentur animi , quum ad ſpem eriguntur : ac quum praeſentium malorum , aut imminentium formidine ad deſperationem dejiciuntur . Magnum igitur operae precium feret quiſquis haec mortalibus , ſpectaculorum voluptate condita , patefaciet , quos inanes rerum ſpecies obcoecant ; illudque inſuper eventibus ipſis eos doceat ; nempe quod , ut nihil eo homine miſerius atque infelicius eſt , qui magnis ſaeviſque iſtis affectibus ſervit , ita

ne-

nemo beatior illo, qui ſaevientem aeque, ac blandientem fortunam aſpernatus, modicis contentus vivat, & in quacunque vitae conditione poſitus nihil plus nimio velit, atque omnibus humanis caſibus paratus, cuncta ſapienter moderetur. *Calopr.* Habemus jam quid praecipue in tragoedia ſequamur, quod mihi mirifice arridet, nec jam Platonis ſententiam magni facio, qui tragoediam, ne nimis hominum animos afficeret ac perturbaret, a ſua republica eliminandam cenſuit. Sed cujus hominum generis, cujuſque potiſſimum nationis facta, quove demum modo in ſcenam produci ſatius ſit, aveo ſcire. *Bel.* Principes ſummateſque viros tantummodo reſpicit tragoedia, quae, ſicuti comoedia privatorum hominum mores, ita illorum ipſa imitatur. Itaque ubi ejuſmodi conditionis homines in ſcenam venient, tragoedia erit, ubi vero tenuiores, comoedia. Unde lepidiſſime Plautus in Amphitryone, quum Jovem, Mercurium, ipſumque Amphitryonem Thebanorum imperatorem in ſcenam induceret, atque una ſervos quoque mediocreſque viros, poſtquam illam, tragoediam a praeſtantiori parte appellaſſet, ſpectatorum deinde gratia novum vocabulum procudit, ac jocoſe & vere Plautine tragicocomoediam eam dixit, addita ut meminiſtis, ratione, his ſi recte memini, verſibus:

Nam me perpetuo facere ut ſit Comoedia,
Reges quò veniant, & Dj, non par arbitror.
Quid igitur? Quandò hîc ſervus quoque partes habet,
Faciam hanc perindè, ut dixi, Tragicocomoediam.

Unde aperte docemur, perſonas tantummodo quae tragoedia, quae comoedia ſit definire. Mirum autem eſt, quam late erraverint quidam ob feſtivum hoc tragicocomoediae vocabulum, praeſertim quum ita eas omnes tragoedias vocitarint, quae laetum exitum haberent. Dummodo itaque Reges principeſque viros in ſcaenam producat, tragoediam

diam conficiet poeta, cui ceterum ad ſcribendum patent & tempora & nationes omnes; eaque ipſa ita immiſcere ac invertere poteſt, ut nulla hiſtoricae veritatis ratione habita, geſta uti libet, utque magis dramati congruant referre valeat: nec enim ad hiſtoriam diſcendam in theatrum conveniunt homines, ſed ad actionem ſpectandam. Ita Graeci poetae factitarunt, atque ita & nos agere aequum eſt. Raro enim in hiſtoria inveniet poeta quod per omnia ſequi poſſit, ut immutare, addere, & demere de notiſſimis quoque factis plerumque debeat, ſiquidem cupit ſuis partibus drama conſtare, affectibuſque ac eventibus ſpectatores afficere. *Grav.* Paſſim hoc apud Graecos tragicos invenias. Aeſchylus enim, ſecus ac in recepta fabula eſt, Prometheum ad tartara fingit a Jove adactum; Sophocles Aemonem atque Antigonem fato fungi jubet: Euripides vero vitam iis reddit, & matrimonio inſuper jungit; in quo, quod ad imitationem animadvertendum cenſeo, ſibi ipſi adverſatur, quum aliter finxiſſet in Phoeniſſis. Apud Sophoclem in AEdipo tyranno Jocaſta vitam laqueo finit, apud Euripidem uſque ad praelium gnatorum Etheoclis, & Polinicis vitam producit, ac tunc demum ſuper filiorum corpora pugione ſe interficit. Inter Aeſchylum, Euripidem, & Sophoclem de Electra ingens eſt diſcrepantia: de Oreſte itidem, de Agamemnone, de Clytemneſtra mira inter eoſdem poetas varietas occurrit: quod ſane nemo iis vitio vertit: immo & Seneca eos ſecutus eſt, quum in Oedipo Jocaſtam manus in ſe ipſam inferre fingit dum Oedipus excoecatur; at eandem poſtmodum reviviſcere idem jubet in Thebaide ad filiorum certamina. *Panſ.* At Graeci argumenti, illorumque praeſertim temporum fabulam nemo modo aggredi, me quidem authore, volet: nec enim ſatis belle mores illi in ſcenam inducentur, & ab illis moribus omnino diſcrepare,

ut

ut in hiſtoria , neſcio an poetæ liceat. Nobis vero, apud quos hiſtoria certis conſignata eſt monumentis, atque omnibus nota eſt, negatum utique reor, facta contra receptam conteſtatamque veritatem proferre : namque id & veriſimile tolleret , cui nullus , cognita veritate , locus ; & a ſpectatoribus reſpueretur, qui pro certo habent aliter eveniſſe rem ac fert poeta . Quod Jano Vincentio noſtro in Claudio ac Papiniano apprime ſervatum eſt , immo & in ipſo Palamede , graeci argumenti Iliacorumque temporum tragoedia : & mihi praecipue , argumenta tragoediarum e Romanis hiſtoriis ſumenti, advertendum fuit, ne dum Graecorum licentiam, quibus obſcura fabuliſque referta hiſtoria erat , imitor , doctorum indoctorumque cenſuram merito ſubirem . Quicquid ego igitur ex ipſa hiſtoria ſumſi, ſincere retuli , reliqua ita finxi ut veritati congruerent , eique , moribuſque Romanis ne minimum quidem adverſarentur. *Bel.* Optime id ab utroque factum, ut & a Triſtino: nec enim ferendus eſſet qui Romam a Carthaginenſibus captam, Scipionem in Africa ab Annibale fuſum fugatumque , Sophonisbam volentibus Romanis Maſiniſſae nuptam , & hujuſmodi contra receptam veritatem fingeret, ut inde atrocem aliquem caſum tragicumque affectum eliceret.

Cal. Satius ergo fuerit, ut tragicus poeta totam ipſe fabulam cudat; nominaq; & tempora ad lubitum fingat, ut nec in hiſtoriam peccet, nec quædam neceſſario ſequatur, quae in notae fabulae ſtructura deberet. *Bel.* At ea fabula pene nihil auditores afficeret, qui totam rem prorſus ignorant, nec perſonarum indolem , mores , facta , immo nec nomen noſcunt. Quod minus plane offenderet ſi heros ipſe tragoediae ſaltem notus eſſet, reliquarum partium perſonæ ignorarentur, quarum caſus & calamitates parum auditores afficerent, ad herois caſum atque cataſtrophem unice reſpicientes. *Cal.* Quod ſane ſecutus videtur clariſſimus poeta Maffeius

in

in ſua Merope, cujus vix nomen in vetere hiſtoria exſtat, caetera ipſe opportune finxit, atque ita adornavit, ut obſcuram & ignotam hiſtoriam amplecteremur quaſi notiſſimam: affectus praeterea aud contemnendos elicit; etſi omnium pene perſonarum notitia caremus. *Gr.* Non ignotum quidem tragoediae argumentum Maffejus tractavit, immo ab ipſa antiquitate notiſſimum. Meropen namque ab Euripide primum graeco theatro exhibitam aetas abſtulit. Eandem vero tragoediam ab aliis poſtremorum temporum poetis inſtauratam nemo plauſu proſecutus eſt. Exortus tandem eſt Maffeius, qui illam in Italicum theatrum adduxit mire exornatam, atque ab omnibus ſummis laudibus exceptam. *Bel.* Nam eo pacto ſcenam moderatus eſt Maffeius, ut & parum a Graecorum conſuetudine diſceſſerit, & illam prudenter ad populares receptoſque apud nos mores accommodaverit. Ideo in privatis Ciſalpinae Galliae theatris ſaepe illam inſtauratam audivimus, plaudentibus omnibus. *Grav.* Amiciſſimi viri meritas laudes audio libens, quibus & me vehementer fateor aſſentiri. Sed nec Romae, neque hic Neapoli eundem tragoediam illam plauſum conſecutam eſſe miratus ſum, quum a nonnullis in ſcenam prolata fuerit.

Belved. Quid ego de ea tragoedia ſentiam peculiari libello conſignavi, quem vobis legendum dabo, ne modo ea res diutius nos moretur. Stylus profecto Maffei, ut id modo obiter dicam, humilior eſt tragica magnitudine, ut ſaepe eum comico ore loqui videas, raroque admodum pauliſper aſſurgere; Quod & pleriſque noſtris poetis, qui tragoedias ſcripſerunt, ipſique adeo Triſſino, tragoediae, Epicique pariter poematis poſt Graecos Romanoſque ſine dubio parenti, objici jure poteſt. *Grav.* An tumidos eſſe, & meras ampullas ac verba ſeſquipedalia loqui jubes poetas, Belvederi, qui ter-

Digitized by Google

ſum , politumque, & maxime naturae conſentaneum ſcribendi genus damnas ? *Belv.* An in me cenſes dictum , *Dum vitant ſtulti vitia , in contraria currunt* ? A ſocco ego plurimum diſtare cothurnum debere cenſeo ; ſed non fanaticos eſſe tragicos debere poetas , tumidoſque dico , ut me male inſimulas , Gravina . Tu vero cauſam tuam agis , ideoque excandeſcis , nam de te ipſo profecto narrabatur fabula , quum de Maffei caeterorumque ſtylo eſt facta mentio . Nam tu , qui longo intervallo omnes aequales tuos latina eloquentia ac puritate vincis , idem Hetruſcae linguae veneres , atque ornamenta contemnis , neſcio an recte . Quod ſi Sophocles , atque Euripides , immo ſi ipſe Plato aut Ariſtoteles aliique primarum gentium Graeci ſcriptores in ſua lingua feciſſent , AEgyptiorum aut Phoenicum linguam tantummodo admirantes , numquam porrò tam eos Graecia ſuſpexiſſet , atque ut optimos ſuae linguae authores commendaſſet . Nec in Sophocle , & Euripide (nam AEſchylus utroque grandior eſt) quidquam praefractum aut tumidum, & cothurni majeſtate indignum offendas , ſed electo ſemper, gravique ac ſublimi dicendi genere magnos illos affectus , horrendoſque caſus ab illis depictos videas . A quorum norma ſi qui deerrant , comoediam illos potius a tragoediae perſonis agi ac doceri velle contendam , quam vere , omnibuſque numeris abſolutam tragoediam ſcribere . An , amabo , aliud eſſe cenſes , pulchre ac poetice tragoediam ſcribere , quam optimis ſententiis , verbiſque lectiſſimis minimeque vulgaribus ſcribere ? Horatiuſque ipſe , quem tu tanti merito facis , omnis fuci in ſcribendo inimiciſſimus , poetam ab eo , qui verſus tantummodo facit , ſedulo ſegregat , atque illi tribuit os magna locuturum , prae hujus ore , qui ſermoni propiora fundit : nec minus diſerte quid in hoc tragoedia a comoedia differat in Arte docet , atque ipſe quid una-

unaquaeque res requirat abunde oſtendit, quum Odas longe aliter ſcripſit quam Sermones & Epiſtolas. *Grav.* Naturam ego cumprimis, immo unice ſequendam reor, quae certe uno eodémque prope ſermone Reges, duceſque uti docet, ac reliquos cultioris ingenii viros: nec ulla in gente principum virorum pecularis lingua exſtitit a caeterorum linguà diverſa. Pure, & emendate loqui ſat eſt, planeque, ut intelligat lector aut auditor, caetera pueris & rhetoribus relinquenda. *Bel.* Si iſthaec de latina lingua diceret te coram quiſpiam, ſane ſerio excandeſceres, & ſcutica horribilique etiam flagello inſectandum arbitrareris; ac purum tantum ſermonem, & perſpicuum in tenui humilique ſcribendi genere ſequendum merito diceres; eundem verò ſine diligenti verborum & ſchematum electione, ambituque, verborumque ſublimium circuitu, caeteriſque ornamentis, quibus tu egregie quidquid latine ſcribis exornas, vel in oratione ſcribenda, vel in majori quacunque te exornanda prorſus non ſufficere. Nunc, quia Etruſcam linguam infra ſtudiorum tuorum gravitatem uſque a prima aetate ratus es, omnia in ea velles negligenter nullaque adhibita cura agi: quum contra, te dignum ac ſtudiis tuis eſſet, quod tot jam magni viri effecerunt, ſatagere, tantundem elegantiae & ſplendoris noſtrae linguae accedere a latinae majeſtate, quantam a graeca Latini ipſi conſecuti ſunt. Et, ut preſſius rem agam, Bucolica porro ac Georgica longe aliter Maro eſt executus, ac AEneida, qua nihil majus ac ſublimius ulla umquam natio vidit, quamvis extrema poemati acutiſſimi auctoris lima defuerit. Atque apud nos Dantes Aligherius facem praetulit primus, quo pacto magna graviter ac ſublimiter ſcribi deberent: quem poſtmodum Jo. Caſa in leviori argumento (liceat id mihi te coram, Gregori, dicere, qui Caſam poſt

Digitized by Google

Quatuormanum tuum tantopere exornaſti) & Galeacius Tarſia : ac Taſſus poſtremo, horrore illo antiquitatis prudenter mollito, in magnis ſane rebus ſecutus eſt : cujus poemate nihil rotundius, gravius, atque elegantius Etruſca lingua habet . *Gr.* Vulgi nobis . . . . *Calopr.* Taceſis , Jane frater, precor, nec tu his de rebus in Belvederium noſtrum dicam ſcribas : nam bene memini quoties contentionis aeſtu abreptus , Virgilium optime poeſi litteriſque conſuluiſſe dixeris , quod teſtamento cremandam Aeneida juſſit ; ne ſcilicet inde ad Taſſi poema ad illius imitationem , quantum quidem in Chriſtiano poemate fieri potuit, efformatum, ſuſtinendum , ac laudandum authoritas accederet : te unice Homerum admirante , atque Areoſtum , quem alterum Homerum appellare ſoles . Audiamus modo Belvederium, quod tu maxime cupere viſus es . *Gr.* Uti rogas, frater . Caeterum in ea me ſententia manere confirmo, quam voce ac ſcripto pluries dixi : nec enim calore quodam , ut quaſi me excuſares modo innuiſti , ita aliquando ſentire ſoleo , ſed magnis pluribuſque adductus rationibus . Modo vero , ut tibi obſequar, juri meo cedam ac ſilens, lubenſque Belvederium audiam . *Bel.* Gratias tibi maximas habeo , Gregori , quod me a tam acri & pugnaci adverſario liberaris, praecipue ne & ad Panſutum noſtrum ea demum progrederetur contentio , quem ego , quum luculentiſſimis atque ornatiſſimis verſibus Horatiam ſuam ſcripſerit , ad ſublimitatem vere tragicam perveniſſe reor , tum graecorum & latinorum omnis generis authorum imitatione , tum Etruſcae linguae elegantiis ac munditiis mira diligentia conquirendis . A qua laude cur Italos abſtrahere Gravina noſter , aliique complures docti viri tantopere ſatagant, plane neſcio : niſi cum Graecos in caeteris tantum imitandos nobis proponat , in cothurno verò , ac ſublimi dicen-

di

di genere, in quo tantum illi excelluerunt, omnino cenſeant deſerendos. *Panſ.* Ne me innoxium, quaeſo, Belvederi, Gravinae noſtri ſtomacho objicias, quem ego adeo impenſe veneror & ſuſpicio, ut errore potius ductum me, quam ratione videar ad ſtylum, quem tu dilaudas, ſequendum, quandoquidem tanto viro aliter videtur. Caeterum ſuum unicuique ingenium ſtylum efficit: & per omnes cultiorum temporum aetates, diſſidentes inter ſe oratores ac poetas invenire eſt de optimo ſcribendi genere: ut ſibi ſuoque ingenio quemque relinqui optimum ſit. *Calopr.* Compendii ergo faciamus quicquid ea de re dici in utramque partem poſſet, & ad reliqua progrediamur. Dic age, Belvederi, aliquid de inſtruenda ipſa tragoedia, certoque gyro concludenda, quod auditoribus, ut nunc ſunt mores, maxime probatum iri cenſes, ita tamen ut ab artis praeceptis non abſcedatur. *Bel.* Quod unus interrogas, agnoſco ingenii tui indolem, qui ab omnibus doceri te, etiam ignariſſimis, non aſpernaris. Verum, quod me, ut de tragoedia apud hos viros diutius loquar, incitas, id enimvero non pro amicitia noſtra a te fieri arbitror. Quid enim? Doctos cumprimis vis doceam ipſe quammaxime praeceptoris indigens. *Grav.* Nobis immo gratiſſimum accidet, Belvederi, nam pro Panſuto audacter idem affirmo, ſi quae te, theatri omnium conſenſu apud nos reſtitutorem, vel lectio, vel obſervatio, vel experientia docuit, ea nobis ſane volentibus tuo more libere expedias; nec enim me acti ſermonis poenitet, quamquam fuerit inter nos aud levibus de rebus ſaepe diſſenſio. Perge igitur; vere genialem mihi ac felicem hunc diem effice. *Bel.* Breviter, quando jubes, nulloque ſervato ordine, ſi quae mihi ſuppetent, dicam: ſed rem ita aeſtimetis rogo, viri doctiſſimi, me potius, quod more receptum eſt, & cum plauſu excipi ab auditoribus experien-

rientia docuit, referre, quam quid ego hiſce de rebus ſentiam, quaſi Rhetor quidam aut Grammaticus, pronunciare.

Eligendam ante omnia hiſtoriam dico, quae theatro conveniat, quaeque commode agi & per ſcenas explicari poſſit. Nam quae ſpectatorum oculos ſubire, & ordine quodam per veriſimilia temporum ſpatia explicari nequeunt, ea in theatrum numquam admittenda cenſeo. Unde ea argumenta prorſum proſcribi debent, quae male produci ac oſtendi in ſcena poſſunt; quantumvis enim tragica ſit actio, tragicuſque exitus, niſi quae fiunt per ſcenas & intervalla partiri, ac ſpectatoribus patefacere valeamus, nequaquam ea ad argumentum tragoediae ſeligemus. *Gr.* Quid igitur de Pompejo Petri Cornelii dicemus? In ea namque tragoedia nedum in ſcena hiſtoria non explicatur, ſed prorſus omnia, quae ad heroem pertinent, extra ſcenam geruntur: ipſoque Pompejo, qui numquam a ſpectatoribus conſpicitur, in ipſo tragoediae initio in navicula interemto (ut nunciatur) caetera mire figere videntur, atque ad alios omnes potius ſpectare, quam ad Pompejum. *Parſ.* Neſcio quid de ea tragoedia dicam, Gravina: quae tamen, ſi iſthoc & alio quopiam non levi vitio maxime laborat, graviſſima tamen inter Cornelianas habenda eſt, quod vel prima ſcena abunde probaverit. *Bel.* Longioris otii eſſet & hanc, & alias Petri Cornelii tragoedias in trutina modo ponere, quod mihi non tribuo: vos hoc praeter omnes optime praeſtare, quum lubet, poteritis. Ego interea meum penſum exequar.

Electo argumento, electoque aliquo ſummmae dignationis viro, foeminave, quò cuncta in tragoedia referentur, illud ab hiſtoria ſumemus, quod illi congruat, caetera ita fingemus, ut acta omnia quae perſonis affingimus, ab eorum recepta fama atque opinione non diſcre-

crepent : Quis enim ferret Achillem , qui formidinis expers perhibetur fuiſſe , formidoloſum aliquando in ſcenam induci , aut Meſſalinam pudicam , caeteraque hujus generis ? At ſi minus nota erit , aut prorſus nova inducetur perſona , qualem eam principiò eſſe finximus , talem ad imum uſque ſervabimus . *Grav.* Aud laudandus itaque Euripides in Helena : quod eam inducit pudicam, & ob amorem conjugis Menelai, quem per ſummum notiſſimumque flagitium , hoſpitem ſecutura , deſeruerat , Theoclymeni amorem aſpernantem . *Panſ.* At ibi poeta , ut meminiſti , Gravina , pro more a recepta hiſtoria recedit , fingitque , Helenam a Menelao non ſua ſponte , ſed Junonis dolo abſtractam fuiſſe , ut ita ibi Tyndaridis pudicitia , & conjugalis amor conſtare videatur . *Bel.* Id vero peſſimum in Graecis tragoediis occurrit , quod Deos humanorum ſcelerum ſaepe ac flagitiorum authores inducunt, utque heroas ſuos excuſent , impie Deorum numine abutuntur. Veluti apud eundem Euripidem , quum Pallas Minerva ad Rheſi necem impellit Diomedem , & Ulyſſem , atque interim , ſe Venerem eſſe ſimulans , Paridem decipit, ne illos a caede patranda, excitato ad arma exercitu, prohibeat. Nec abſimile facinus eadem Pallas apud Sophoclem admittit in Ajace flagellifero. Et Juno ipſa alibi aud leviter peccat , quum tetrum & lamentabilem illum furorem ultro in Herculem ob vetus odium impingit. Verum aliquid ſimile in noſtro theatro moliri profecto nefas eſſet , idque quam longiſſime a noſtra debet abeſſe conſuetudine, atque in omnibus ſive tragoediis, ſive comoediis a poetis repudiandum.

Grav. Quod praecipue ſervandum in iis dramatibus reor , quae ſacra apud nos vocantur ; ob ſummam enim ſupremi Numinis reverentiam, nemini hujuſmodi ſacrilega licentia danda eſt . Et , quando huc deflexit oratio , libe-

bere inter nos dicam, numquam aequo me vidiſſe animo Chriſtianos heroes in qualicumque ſcena traduci: & porro plura quam opus eſſet hujuſmodi argumenti dramata circumferuntur, non a doctis omnia viris conſcripta. Mihi enim videtur, Chriſtianam ſanctitatem ſcenam non ferre, maximeque tantam virtutem abhorrere a leviſſima hiſtrionum arte. *Panſ.* Ad pietatem ſcilicet mortalium erga Deum excitandam accommodata talia drammata ſunt. *Grav.* Sed infelici plerumque conatu ejus generis tragoedias (nam comoediam Chriſtianam prorſus reſpuo) maximis etiam ingeniis viri, nedum poetarum vulgus, ſunt aggreſſi. Una pro omnibus Theodora nobis Cornelii ſatis ſit: quae, quod ad ipſam Theodoram pertinet, nive ipſa & glacie frigidior eſt, nec virtutem eam praeſefert atque conſtantiam, quam ſane admiremur; neque innocentis virginis fatum, ab inimiciſſima & furente muliere properatum, miſerationis ſatis ac terroris parit. Quin etiam, ut Gallicis moribus nimis importune ſubſerviret Cornelius, Chriſtiani argumenti tragoediam amoribus (quibus profecto non erat illic locus) undique implicavit, ut vix Chriſtianam eam eſſe una alterave ſcenà agnoſcatur. *Panſ.* Atque illud in hac eadem tragoedia maxime offendit, quod ibi Marcella Proconſulis uxor inducitur, quae Theodoram, Dydimumque ſua manu dicto citius ſingulis ictibus, quod vix validiſſimo Centurioni attribui potuiſſet, interficiat: deindeque, aud paucis Placidum allocuta, in ſemetipſam ferrum convertit, ſeque occidit, quod neſcio an veriſimile omnibus videatur, adſtante praeſertim cum armatorum globo ipſo Placido, Theodorae ultra quam dici poſſit, amante: quem ſubito obſtupuiſſe atque obtorpuiſſe in ipſo dilectiſſimae virginis diſcrimine admodum videtur incredibile. *Grav.* Et ne aliquid in hac tragoedia, quod improbari poſſit, omittamus, vehementer videtur improban-

bandum, quod Placidum repente expergefactum, ſanguine undantem ob lethale vulnus ſibi ipſi inflictum, ac tantum non animam efflantem in ſcenam invexerit Cornelius, patrique nonnulla acriter pluribus verbis exprobrantem. Quapropter jure merito peſſime ab auditoribus, quum acta fuit, illa excepta eſt tragoedia. *Gra.* Quicquid autem ea de re ſit, ego hujuſmodi ſacra dramata doceri niſi inter Sacerdotes, dicataſve Deo virgines neutiquam ſinerem, ſi aliqua ejus rei poteſtate fungerer: nam caeteris, delectationem aut riſum in theatro captantibus, hujus generis dramata offerre, indecorum, & fortaſſe non omnino a crimine alienum arbitrarer. At haec iis quibus a D. O. M. ſacrorum cura demandata eſt, relinquamus. *Cal.* Addendum tamen huc cenſeo, quod maxime eſt conſentaneum, ne ſomniis, auguriis, aut portentis noſtras inquinemus tragoedias: quae omnia veteri theatro conveniebant, a noſtro diſſentiunt, in quo ne minima quidem ſuſpicionis nota haerere debet, paſſim immitti a Deo ſomnia mortalibus, aliaque temere offerri, ut futura portendantur, praecipue in prophanis tragoediis, Regibuſque ac ducibus rem agentibus. *Panſ.* At ſi quae tragoedia veterum temporum acta referat, aud abſurdum reor ea quoque ſomnia parce proferre, quae illis temporibus & hominibus congruunt. *Belv.* Non vero a Deo immitti talia ac portendi (praeſertim quum ſomnia ac prodigia eventus confirmat) fingi poſſe videtur illis ipſis temporibus, ſine aliquo ſapientiſſimi numinis contemtu, qui nihil temere agit, nullaq; de cauſa. Ideo prudenter a te illud parce eſt additum, Panſute. *Panſ.* Sed Deum ipſum O. M. ſomnia aliquando, futura vere praeſagientia mortalibus immiſiſſe ſacrae literae docent: unde non omnino ſomnia a tragoediis, aliiſque gravioribus poematis exulabunt. *Bel.* Acri ſane judicio iſta indigent, nec paſſim admittenda: nec quiſquam modo (ut quicquid

Digitized by Google

ad divina pertinet hoc loco exhauriamus) in cujuſcumque temporis & argumenti fabula Deum aliquem de machina ferret , deſperatis jam rebus omnia in vado ſiſtentem , Jovemque , aut Apollinem in medium repente exiſtere , qui nodum inextricabilem poetae ſolveret . Omnes itaque nexuum ſolutiones poeta in ipſa actione collocet , non divinum numen accerſat , ut veteres aliquando factitarunt . *Grav.* Quod & ego ad illud aeque pertinere arbitror , quum fabulae ſubverſio , ita enim cataſtrophen latine dici par eſt , in aliquo repentino caſu ponitur, quem ſpectatores ne ſuſpicari quidem poſſunt , quod ſane Deos de machina alio pacto eſſet in theatrum inducere , & longe minus etiam ferendum . Hoc fortaſſe commiſiſſe doctiſſimum Maffeium alicui videri poſſet , quum, jam elata ſecuri a Merope ut filium Aegyſthum ſibi ignotum interimeret , in ipſis interioribus regiarum aedium porticibus repente concubia nocte Polydorus a nemine expectatus ſupervenit , qui gnatum matri patefaciat , illumque ſubtrahat certae morti . *Bel.* Pluribus hoc ego etiam , quod innuis , Gravina , proſecutus ſum in eo libello , quem de Merope ſcripſi . Ideo , ut hunc vitet ſcopulum, futurorum eventuum ſemina diſſimulanter ſerere ſcriptorem dramatis oportet , unde ea progignantur , quae extremam afferant converſionem . Hinc imperite a quibuſdam poetis quiſpiam in poſtremo actu inducitur , vel epiſtola aut anulus repente producitur , unde tricae omnes diſſolvantur , & ad plaudite per ignotas nec praeviſas vias perveniatur . Anulum primus in ſcenam ad egregie ſolvendum fabulae nexûm intulit Plautus , ſive potius Diphilus ille fuit , ut videre eſt in Curculione : quem deinde late imitati ſunt boni , malique poetae , & Maffeius ipſe in Merope , de cujus praecipue anulo plura dici poſſent , ſi mihi modo vacaret . Interno omnia filo regere ac intexere opus

eſt,

eſt, ut quum ad finem ſpectat fabula, neceſſariò, atque ex ipſis antea praeparatis eventibus nodus ſolvatur. Praeterea riſu ac laetitia, niſi falsà, carere debet tragoedia, ſed omnia ſerio agenda, & ad luctum & moerorem trahenda, ita vero, ut vel poſt ingentem malorum formidinem diſſipetur ſubito procella atque in tutum omnia redeant, vel, quod frequentius evenire velim ad ſcopum tragoediæ aſſequendum, omnia in fine prolabantur, ac veluti ruina quaedam conſequatur: quae eò gravius ſpectatorem percellent, ſi, in laetum eventum falſò inclinantibus rebus, ex improviſo, ſed ex praecedentibus cauſis, cuncta ruant, ac admirationem, lamentabilemque affectum progignant: ut lacrimans, animoque commotior ſpectator exurgat; domumque redeat. Nec probandi ii poetae videntur, qui, patefacto jam dramatis nexu, reque vel conſtituta, vel in praeceps deducta, aliis inſuper ſcenis tragoediam onerant, quae toedium ſpectatoribus pariunt, nihil jam de ipſo nexu ſollicitis. Quod in Cornelii Pompejo, de quo paullo ante ſermo eſt habitus, videre eſt. *Calopr.* Ad cataſtrophen, ut graecum verbum latine uſurpem, nam latinum vix habemus, nos jam deduxiſti, Belvederi, quum de inchoanda tragoedia ne verbum quidem adhuc dixeris, unde te initium ducere par fuerat. *Belv.* Nonne vides, verecundius me his de rebus loqui, quod adſunt viri in omni doctrinae genere excellentes, & in theatri præcipue veteris cognitione vere ſummi? Verum quoniam ſententiæ & opinionis meæ voluere & ipſi eſſe participes, loquar, ac vobis exponam quoad potero, quid hiſce de rebus ſentiam. Profecto ſi aliis coram ſermo hic mihi incidiſſet, nonnulla ſedulo, quæ artem reſpiciunt, dixiſſem, quæ modo ne excidant mire fatago. Sed, ut tibi monenti obſequar, Gregori, ita tragoediam inchoandam cenſeo, ut inſtare actionis exitus videatur, utq; ita jam a principio vereantur auditores,

ne illud accidat, quod imminere jam, aut potius videant adeſſe. Scenas inde conſequi rationi eſt conſonum, quibus praeterita cuncta, quae ad rem faciunt, explicentur, ut ne tempus quidem labi ſpectatores ſentiant, & interim omnia tacito lapſu, ac reipſa ad converſionem ſive cataſtrophen, quando eo vocabulo nos uti potius quam latino Caloprefius author eſt, quæ meta eſt tragœdiæ, præparentur. Maxima quidem ejus poetae laus erit, qui a prima ſcena ad exitum, quamminimum temporis intervallum faciat, paucisque eventis rem concludat & finiat: quum interim per plurimas ſcenas (in quarum ſerie ac partitione praecipue ars elucet, maximumque eſt operae pretium, ac longe a noſtro, quod ad hoc attinet, Graecum theatrum ſuperatur) de præteritis pariter ac de inſtantibus per idoneas perſonas ad ſpectatores ſenſim docendos, eorumque praeparationem, quantum opus eſt, proloquatur. Quo fiet ut brevi & paucis res conficiatur, nec in extremo dramate properabunt fruſtra actores intempeſtive, atque agitabuntur, ut rem impeditam extricent atque expediant.

Calopr. At quum nonnulla ac fortaſſe majora in ſcena agi nequeant, quo pacto de iis docendos ſpectatores a poeta cenſes, ne quid ignorent, quod ad rei ſummam requiratur. *Belv.* Ea ipſi actores inter ſe dicent, prout res ipſa feret: & ſi quid ab eis ignorari debet, veluti ſi res ſit referenda, quae extra Urbem, aut aedes ubi res agitur accidiſſe fingatur, tunc nuncios adhibere ſolet poeta, qui rem narrent. Sed, praeterquamquod ſemper hoc frigide & ſine affectu fit, aud minimum ea in re peccari ſæpe comperi a poetis, qui nimis multa nunciis narranda committunt, quique prudentius, ut mea fert ſententia, ſe ſe gerant, ſi per ipſorum actorum aliquem opportune rem patefaciant. Quod quidem prope neceſſarium

rium eſt in comoedia , in qua res privatae nuncium non admittunt , & omnia ſunt ab actoribus exequenda . *Panſ.* Nullum ego nuncium plura majoriſque ponderis referre in alia tragoedia memini , quam refert Achoraeus in eodem Cornelii Pompeio : qui nec ipſi ſemper Cleopatrae refert , ſed & ejus pediſſequae aliquando , ut ſpectatorum gratia potius ea ultro illum referre, quam Reginae palam ſit . *Grav.* Profecto neces ipſa Gnei Magni tragoediae argumentum explere non poterat , nec in ſcena peragi : ideo omnia ibi per nuncios explicavit Cornelius.

Calopr. Verum ſi ita tragoediam ſcribere liceret , jam ipſa, Epos potius eſſet quam tragoedia , in qua vix pauca narrari , omnia autem agi oportet . Ideo , quando tot tantique ponderis obſtant quominus optima tragoedia efformetur , longe minus operoſum negotium comoediam exiſtimo quam tragoediam , in qua , ne tertio quoque verbo labaris periculum eſt , & tot praecepta tantaque cum cura ſunt ſervanda . Nec ideo quod operae precium , tantis exantlatis laboribus, conſequatur poeta ſatis perſpicio : qui ſi horrore ſimul , ac miſeratione , qui ſcopus tragœdiæ perhibetur, animos ſpectatorum perſuderit, omne punctum tuliſſe dicitur , quarum rerum nulla habet , ut mihi quidem videtur ,, utilitatem , ſed nonnihil etiam animorum tranquillitati fortaſſe officit . Unde ſi tragicum theatrum utilitate , ut decet , metimur , nihil quidem eo magis noxium mortalibus eſſe reor , quod perturbationes excitet atque accendat , quas ſedare , ac extinguere , ſi poſſibile fuerit , debet philoſophus . *Panſ.* Rurſus ad Platonis ſententiam relaberis, a qua merito diſceſſiſſe videbare . Sed , pace tua dixerim , magnum operae pretium eſſe poteſt in excitandis interdum perturbationibus . An , quaeſo , ut magni philoſophi , non poetæ alicujus, aut rethoris authoritatem in medium adducam , an damnandus tua ſententia tragicus ille

ille poeta, qui, ut Plutarchus refert, Alexandrum Phaereorum tyrannum tam vehementer ad miſericordiam commovit, ut ille, qui tot innoxios cives crudeliſſime interfecerat, lacrimans propere ſeſe a theatro proripuerit, ne, ſi diutius maneret, a ſaevitia credo deſciſceret? Nulla profecto cauſa eſt, quamobrem cum Platone tuo tantopere exhorreas, Calopreſi, ſi commoveri videas in theatro homines: nam affectionibus, ac perturbationibus vita hominum continetur, et ſi qui iis carere poſſunt, prorſus ſunt ad ſocietatem inutiles. *Grav.* A legislatore enimvero, iisque qui reipublicae praeſunt, unaquaque in civitate ad bonum rectumque ordinandum eſt theatrum, ne futiles noxiaſque perturbationes pariat, ſed tales, quibus civitas indiget, unde mutuus amor, majorque ac flagrantior erga patriam Regemque, & demum inter omnes cives bonorum ac malorum conſenſus progignatur. *Belv.* Ad ſolam utilitatem ſi omnia trahas, Gravina, jam frigeat oportet theatrum, cujus prima, media, & extrema fortaſſe ſolà delectatione conſtant: qua deficiente doceri renuent homines, & incaſſum poeta Sophiſtas meros, ac Philoſophos in ſcenam inducet. Laboribus profecto ſcatet vita hominum faſtidiiſque, a quibus ſi nulla per jocos, jucundamque ceſſationem relaxatio datur, nimis acerba ac prope intolerabilis erit vita: otii nam fructus, ait ille, non contentio animi eſt, ſed relaxatio. *Panſ.* Sane temperanda res eſt, ut dulci utile admiſceatur: delectatio namque levis res eſt, ſi ab ea omnem utilitatem ſegreges, & utilitas ſola contemnitur, ac praeterea populi captum excedit. *Cal.* Et delectari ego nolim & doceri, ubi periculum ſit, longe plus detrimenti a vehementi commotione animi ſubnaſci, quam ea ſint bona, quae tragicus poeta pollicetur. *Gr.* Hoc eo nimirum redit, frater, ut tragoediam contemnas, quod conſueviſti. Sed ſi ea vera ſunt quae paul-

lo

Digitized by Google

lo ante inter nos ſunt pro veris habita, ſruſtra a te contemta fuerit tragoedia, quae certe poſt Epicum poema primum locum in univerſa poeſi obtinere nemo eſt qui inficietur.

Belv. Nec enim horrore tantum & admiratione utilitas tragoediae terminatur, ut Gregorius videtur ſuſpicari; ſed mirifice cumprimis ea quoque valet ad erigendos ad maxima quaeque animos, hominesque quodam modo ſeipſis majores efficiendos. Quid? quod in tragoedia ſeriò philoſophari decet poetam, non ut tanquam praeceptor doceat, nimis enim doctam tragoediam populus non probat, ſed ita ut ipſa quae eveniunt, quaeque e re ipſa dicuntur, normam ac regulam vitae morumque praebeant. In conſerendis autem ſermonibus praeterea, qui ſane vires ac robur ſunt poetae, non affectiones ſolum tractantur, ſed & omnium magnarum rerum ſemina jaci poſſunt: ut non contemnendam inde domum ſupellectilem ſpectator adducat. Quot, quaeſo, ut quae in Graecorum tragoediis egregie dicta ad mores vitamque hominum regendam abunde ſuppetunt omittam, quot, inquam, in Petri Cornelii tragoediis, graviſſimi ac lectiſſimi poetae, civilis ſcientiae, qua ille vir maxime antecelluiſſe fertur, documenta ad uſum colligere poſſunt ii, qui in aulis, Regumque conſiliis verſantur? Et ſi Panſutus noſter Sejanum aliquando, ut diu jam meditatur, exequetur, nuſquam aularum corruptelae ac mala, propoſito Tiberianorum temporum exemplo, nitidius tamquam in ſpeculo conſpicientur. Nimius eſſem ſi quae in hoc poematis genere utilia occurrunt exequi vellem: illud tantummodo dicam, nec magnos viros, nec patriae amantes cives fieri, nec majorem aliam virtutem in gente ac populo aliquo aliunde aeque ſuboriri poſſe, ac a bonis tragoediis. E theatro enim ſive boni ſive mali mores facilli-

Digitized by Google

lime in vulgus diduntur ? Et merito Ludovici magni clariſſimi Gallorum Regis effatum a doctis viris laudatur, qui ſe multum Petro Cornelio debere palam aliquando profeſſus eſt, quod is a jocularibus rebus ac a ſcurrilitate Mulierii, aud contemnendi comoediarum ſcriptoris, Gallos ad virtutem bellicam, ad gloriam, ad fidem erga regem, atque ad amorem patriae, propoſitis tragoediis, revocaſſet. *Cal.* Recte iſtud: ſed idem Cornelius tragoediae ſeveritatem nimis mollivit crebris amorum illecebris, eoque praeterea ſcribendi genere uſus eſt, ut tumidus ac declamator potius, quam caſtus & elegans poeta videatur. *Bel.* Jam minora haec, & modica: ſed ſua cuique nationi indoles eſt tum quod ad linguam & poeſim, tum quod ad mores: ideo nec Italos de Gallicis poetis integrum judicium ferre poſſe reor, nec Gallos, modo praeſertim de noſtris poetis niſi male ac temere plerunque definire: quum, poſt Menagii, Regnerii, aliorumque his ſimilium aevum, linguae noſtrae indolem vereneſque prorſus ignorent. Sua cuique placent; & ut ob bellicae gloriae praerogativam tanta uſque contentio eſt inter omnes cultiores gentes, ita & magna propter literarum nomen aemulatio inter eaſdem ſemper exiſtet. Ego omnes Europae populos pari caritate complector, nec mihi Italus Gallo accepti, autor Gallus Hiſpano aut Britanno, & Germano. Stet interea, ut ad nos Galloſque redeam, duarum cultiſſimarum nationum laus. *Panſ.* Italis vero tribuere nemo dubitet, & ſcripſiſſe, & inveniſſe priores prope omnia quam Gallos: atque eloquentiae praeſertim laude ante omnes Europae populos inclaruiſſe: ut prope vagientes in cunis eloquentes eos eſſe vel ingratiis dixerit ipſe Budaeus in opere, quod de Aſſe, poſt Leonardum Portium tamen, conſcripſit. *Bel.* Cui vero laudis praerogativa debeatur, aliarum gentium judicium eſto, & prae-

ci-

cipue poſteritatis . *Grav.* Britannos autem & cum Italis & cum Gallis multos jam per annos de poetica etiam laude bellum gerentes omittis Belvederi ; at vellem . . . . . *Bel.* Britannice neſcio , Gravina , ideoque poetas illos ignoro : docti ſane & acuti illi quantumvis fuerint ; linguae profecto barbarae & inelegantis ſonum nunquam effugient. *Grav.* At tuae fuerit elegantiae & Britannorum linguam addiſcere , ut jure merito de illorum poetis ſententiam ferre poſſes . *Calopr.* At hoc , ut pro ambobus reſpondeam , prope infiniti laboris eſſet : nam ſi quomodo Britanni , ita pariter Suevi & Sarmatae , aliique populi poemata pangerent , aut alia ejus generis conſcriberent , ita Italos Galloſque neceſſarium eſſet , earum quoque nationum linguas ediſcere , ſumma quidem temporis jactura ſequeretur : & dum barbare loqui diſceremus, ſcientiae nobis prope omnes eſſent, doctrinaeque deſerendae . Si quid ergo hoc in genere poſt tot ſaecula aliae gentes proferent, fruantur quidem ipſae quae protulerunt, quum nobis ſatis abundeque ſit, ea tantum ex iis noſcere ſi quae ad Philoſophiam ac res Mathematicas , aut Hiſtoriam pertinent , in humaniorem aliquam linguam verſa , caetera popularibus ſuis libentiſſime relinquentes . *Panſ.* Valde tibi aſſentior, Gregori; dum enim in brevi hoc vitae humanae curriculo tot jam rebus linguiſque nobis operam dare neceſſe ſit , quid amabo fuerit , ſi tam ingens praterea ab externarum linguarum authoribus laboris incrementum accederet ? Graecos Latinoſque, qui ſuperſunt, ſcriptores evolvere vix valemus , ac trium linguarum authores , quae a latina exortae , elegantiae nitoriſque laudem meruere : ut aequo animo caeterarum gentium eloquentia ac poeſi careamus . *Grav.* Quoad reliqua vobiſcum ſentio , quoad Britannos vero ſcio vos , qui veſter in liberales artes amor eſt , de ſententia deceſſuros , ſi

quaedam eorum poemata guſtaretis ? *Cal.* Adoleſcentibus, Jane , noſtris ea curae erunt , nobis verò in hoc flexu aetatis non item . Sed jam nos idem , qui tragoediae amore incendit , Belvederius ad comoediam quoque ducat , ut exhilaretur tandem animus , tragicorum eventuum horrore ſatis perſuſus . *Bel.* Ad delicias tuas nos vocas : & quaſi de arcana quapiam re , me de comoedia diſſerere jubes . Omnium manibus Hiſpanae , Gallicae , atque Italicae teruntur omnis generis comoediae , quotidieque non in Urbibus ſolum , ſed & in oppidis ac pagis aguntur paſſim , ita ut de iis loqui ſane intemperantis hominis ſit , qui male otio ac loquendi facultate abutatur . *Grav.* Verum ſi optimae tragoediae laus (ſi cui tamen debetur) cui potiſſimum recentiorum tribuenda ſit in incerto adhuc eſt , neſcio an comoediae ſcriptorem poſt Graecos Latinoſque unum praecipuum optimumque ſeligere poſſumus , quem ſequi ac imitari poetas noſtros velimus . Innumeris prope comoediis Italia ſcatet , ut earum numerus vere iniri nequeat , & quotidie eduntur novae a doctis paſſim atque indoctis authoribus , ſed cui palmam deferamus non liquet . *Belv.* Nec operae-pretium eſt hoc definire , nullius enim intereſt . Sed , ſi quod ſentio , dicere audeo , haud dubitem affirmare , Gallos Mulierio ſuo palmam delaturos , Hiſpanos Vegae , Calderoni , aliiſque ſuae comoediae ſcriptoribus , nos Cecchio aliiſque noſtris : nam nemo ita aliarum nationum ac linguarum acquieſcit authoribus , ut ſuos longe non praeferat . Cujus judicii cauſa illa videtur eſſe , quod in ſua comoedia unaquaeque natio ſe ipſam veluti pictam in tabula conſpicatur , in aliena non item : ideoque externas contemnit , quia (ſuorum ſcilicet morum gnara , alienos ignorat) parum eas Naturae retur ac veritati congruere . Hiſtoriam enim morum comoediam ego appellare ſoleo : atque inde factum ac fieri cenſeo , ut to-

co-

comoediae conſcriptae ſint , totque novae in dies conſcribantur ; nam ut late variae ſunt , quà pravae quà rectae , hominum conſuetudines , novique mores ſenſim quotidie in Civitates omnes irrepant , ita ingens inde ac nova uſque poetis comoedias ſcribendi materies ſuboritur . Atque illa mihi comoedia optima eſt , quae mores hominum melius deſcribit ac traducit, non enim aliò hoc poema ſpectat ; & ſi quod in vulgari vita ante omnium oculos agitur , graphice in ſcenam producat , prudentique nexu implicet , ac mediocribus affectibus condiat , elegantiaque ſermonis exornet , nihil ultra habet quò progrediatur . *Panſ.* Sed hoc vix artificis opus eſt , nec ſi id tantum praeſtabit poeta , optimam illum comoediam ſcripſiſſe dicam . Eſt porro aliqua comoediarum ſcribendarum ars , ut eſt ſane in tragoedia . *Belv.* Quidni , obſecro ? Sed tenui filo res lepide ducta , & veriſimili in omnibus ſervato , optima fiet Comoedia , in qua quidem omnes perſonas deceat quod agent . *Panſ.* In nimis pauca artem haud contemnendam conjeciſti , Belvederi , quam fuſius aliquanto explica nobis : nam dies theatro dicatus , non tragoediam tantum ornare , ſed & comoediam debet . *Bel.* Ineptire me vos hodie cogetis , quum quae omnes qui adeſtis plane calletis , dicere me unum imperatis , quaſi ſolus ſciam . Caeterum quamplura quae in conficienda tragoedia recepta ſunt , eadem in conſcribenda comoedia valent : unum enim idemque artificium eſt , & qui perſonarum & ſcopi (quae admodum diverſa ſunt) tragoediae ac comoediae memor erit , iiſdem praeceptis ambas affabre conficiet . *Grav.* Jam rectam ingreſſus es viam , Belvederi : quare ne gravere , quaeſo , deſiderio noſtro , ut occepiſti , usque velificari . *Bel.* Pudet ſane me coram tantis viris notiſſimas res proloqui . Sed quo me vertam ? Obſequendum quidem eſt . Omnia quippe,

ut quae occeperam proſequar, in theatro ad ſenſus reducenda, quippe qui ſunt optimi imperitorum magiſtri: nam cujuſcumque generis drama agendo docere debet, non philoſophorum more, praecipiendo. Quinetiam omnia in theatro ad fabulam referri debent non ad ſpectatores; nam hi, quoad rem quae agitur, perinde ac ſi non adeſſent, habendi: ut in tabula pictor omnia ad argumentum quod exequi ſtatuit refert, nihil ſane ad ſpectatores, quamvis & in tabula, & in theatro omnia eorum cauſa fiant. Quod non dixiſſem niſi Plautus ſaepiuſcule ab hac regula receſſiſſet riſus captandi gratia, & ab actione fabulae ad auditores ſermonem convertiſſet: ut aud raro eadem perſona modo uti Amphitruo, modo ut hiſtrio loquatur, nunc Thebis ſit, nunc Romae. Quem errorem nonnulli poſterius imitati ſunt, ſatis ſe tutos eſſe rati Romani Comici authoritate. At ego quidem veteres comoediarum ſcriptores, nempe Ariſtophanem, qui porro ſale nigro quidem, & acumine praecellit, immo Plautum & Terentium diurna ac nocturna manu verſare jubeo illos qui ad hoc ſtudium appulere animum: non quia ſolam veterum authoritatem plurimi faciam, ſed quod nemo quidem melius ac prudentius ea in re ſe geſſit, ita ut illi mihi ſoli vere comoediam ſcripſiſſe videantur.

Cal. Quandoquidem te, Belvederi, ita ſentire video, libere ego quoque affirmare auſim, mihi etiam ſemper viſum fuiſſe, nunquam in aliquo ſequentium temporum Comico tantum leporis & elegantiae immo & veritatis fuiſſe, quantum in Plauto, atque Terentio. *Grav.* Graecorum ea laus eſt, cujus participes illi fuere, qui rudi Latio Graecas artes intulere: praecipueque laudandus Plautus, qui aerumnas inter & paupertatem ſuopte ingenio principem locum inter Comicos tenuit: quum Terentius ſummatium virorum amicitia ſubnixus, & politiſſimis eorundem inge-

niis

niis adjutus, ocio abundavit. *Bel.* Valde a Danielis Heinſii judicio diſſentis, qui Horatii authoritati innixus longe Terentium Plauto anteponit. *Grav.* Doctus ille vir, prout quiſquam alius unquam, fuit, Belvederi, ſed quum Terentius ederetur, rogatus ut aliquid ipſe praefaretur, laudibus, accepta mercede, illum poetam cumulavit, eadem, & majora fortaſſe de Plauto dicturus, ſi ita res tuliſſet. Caeterum talia Plauto objicit, quae confutare cuicumque in promtu ſit: aliquaſque ejuſdem ſententias magno vix labore collectas protulit, quas ut frigidas traducit: quum quamplurimas ipſe modo memoriter proferre poſſem, quae nedum Comicum, ſed quemvis Philoſophum decerent, ita aptae & graves ſunt. Vellem, doctum virum ab hac comparationis alea abſtinuiſſe; quod quum fit, nunquam ſine injuria fieri cenſeo, dum alterum in caelum ferre, alterum dejicere quaſi eſt neceſſe. *Panſ.* Temporum rationem hiſce ego in poetis habendam reor: nam aliter Plauti aevo Romani, aliter Terentii agebant: atque ideo acceptior tum ille ſuis civibus erat, praecipue quod quaedam de vetere ac media comoedia retinebat, quae libertatem, qua tum Populus Romanus fruebatur, praeſeferebant, ac ideo magis erant popularia. Terentius vero quum maxime Optimates in Republica pollebant ſuas ſcripſit comoedias, ut Menandrum potius deberet, quam Eupolim, aut Ariſtophanem imitari. Mores quippe ſedatiores intulit Afer in ſcenam, commotiores Plautus, & nativa quadam feſtivitate conditos, quod in Terentio fruſtra quaeras. *Bel.* Atque hoc eò redit, ut in comoedia privatorum, nationem omnium & temporum, mores inſpiciamus: veluti varios quoque Reipublicae Romanae ſtatus in ambobus iſtis Comicis introſpicimus, quantum in Graeci argumenti fabulis licet: quod magis manifeſte appareret, ſi latini argumenti comoediam ſcripſiſſent, non Graecas barba-

feſtina, nam prope jam meridiem praetergreſſus eſt Sol, & paucis nos contentos eſſe, pro caetero more noſtro, probe noſti. *Belv.* Hoc quidem eſt pudori meo vim afferre: ſed obſequar, & paucis quidem, nam heſternam coenam cum Caloprеſio omiſimus, quicum domi meae ſuperiori nocte vigilavi (nam quis ſomno locus inter dulciſſima amicorum colloquia?) lautioris apud te prandii expectatione. Jam praeter omnia moneo, praecepta comoediae alibi quaerenda, nam ego vix quaedam quae obſervando collegi, modo exponam: Comoediam primum omnium, riſum, jocum, delectationem continere debere reor, atque omne nimis ſerium & acerbum reſpuere, quae eſt vel praecipua comoediam inter & tragoediam differentia. Unde culpatur a prudentioribus Plautus tuus, Gravina, qui in quadam fabula Alceſimarchum adoleſcentem inducit tragico ritu ob amorem ad mortem ruentem, gladioque ſeipſum jam jam transfodientem: quem perperam nonnulli poſtea imitati ſunt, ſive potius multi deinceps cum Plauto in hoc ſunt decepti.

Comoedia autem pro cujuſque Civitatis moribus conſcribenda eſt: quod & poetae expedit, qui nota referet, & populum item cognitarum rerum imitatione magnopere delectabit. Quod maxime advertendum arbitror: atque ideo aliquo allato exemplo, cur cavere hortor poetas dicam, ne vetuſtis aut alienis moribus nimis immorentur, noſtros deſerant. Romani Graecique amores meretricios nulla nota proſequebantur, immo in eos potius juventutem incumbere, alienis uxoribus omiſſis, aequum cenſebant: unde illa *ſententia dia Catonis* apud Horatium. Servorum quinetiam apud ipſos maximus uſus fuit, ut qui omnia per eos agere conſueverint. Ideo Romani Graecique laeti in comoediis adoleſcentes ſpectabant meretriciis amoribus implicitos, ac lenones, qui puellas

Digitized by Google

las meritorias domi habebant , quod receptum illis moribus erat , contumeliis inſectantes , illaſque ab ipſis per doctos dolos ſine pretio ſaepe abripientes ; ſervuloſque praeterea heros ſuos in theatro fallentes , & technis circumvenientes , ut revera in domibus paſſim eveniebat . Apud nos vero aliter ſe res habent . Nam quamvis meretrices perſaepe amentur , obſcoenum tamen modo atque inhoneſtum videtur (nam profecto legum noſtrarum ſanctitati adverſatur) hujuſmodi amores , lenonumque adeo execratam improbitatem in ſcenam producere : quod nihilominus ab Etruſcis ſcriptoribus crebro factitatum videmus , & ab Amenta noſtro , qui illos ſaepe ad verbum tranſcripſit , aud ſcite , ut arbitror , in comoediis , quas adhaec uſque protulit , imitatum . Servorum praeterea noſtrorum longe alia conditio eſt , ac erat apud veteres ; nam nunc mercede conducti liberi homines ſerviunt , qui ut nihil a temporariis ſuis heris mali metuunt , ita ipſos domo expellere ob quamcumque ſuſpicionem in promtu heris eſt , qui nullam , ut olim , in eos poteſtatem habent, nullaque jactura , ſi illos amittunt , afficiuntur . Inde nonnulla ſatis frigide modo per ſervos in ſcenà fieri videas, quae ſalſe quondam & jucunde fiebant , multaque in eos ab heris peragi , quae fruſtra nunc , repugnantibus moribus & veritate finguntur . Subreptitiorum quinetiam infantium caſus , & liberorum capitum emtio venditio frequens apud illos populos erat , unde paſſim nexus , nobileſque nexuum ſolutiones in priſcis fabulis , quum inſperato ſervire agnoſcerentur ii , qui liberi civeſque eſſent , atque ex illis ipſis ſaepe familiis eſſe, ubi ignorati ſervitutem ſerviebant. Modo haec prorſus expulere mores noſtri : unde ad alios caſus convertendae fabulae : & quod accidere , etiamſi raro , conſuevit , in ſcena ſpectandum proponetur . Ut mores itaque apud quemque populum ſunt, ita in ſcenam pro-

produci oportet , nec Italus poeta Gallum debet imitari quoad certarum perſonarum indolem , moreſque ; nec Gallus Italum , aut Hiſpanum : niſi de quibuſdam agatur , quae ſunt omnibus nationibus communia , & Naturae humanae ipſius potius , quam alicujus gentis . Praeterea ridebitur magis, ac jucundius excipietur in theatro externam quis perſonam gerens , nam varietate ipſa delectabit , & diſſimilitudine linguae ac moris gratior erit ſpectatoribus : ut in Poenulo Plauti , aliiſque quamplurimis noſtratium comoediis , in quibus vel Gallum , vel Hiſpanum, vel Germanum inter Italos ad exhilarandam fabulam videmus inductum .

Calopr. At quando perſonas nobis tragicas indicaſti , comicas etiam indica , nam valde diverſas eſſe eas debere ſuſpicor . *Bel.* Planum hoc , & notum ; at quando petis brevi dicam , ad omne genus humanum comoediam ſpectare : nec ſi Reges , ſummateſq; viros ab illa amoveri nunc a peritioribus conſpicimus , nunquam id factum eſſe , aut fieri poſſe concludendum eſt . Nam , ut Amphitruonem Plauti taceam , Praetextatas apud Romanos comoedias Regum & ſummorum magiſtratuum fuiſſe conſtat , qui quidem ſoli Praetexta utebantur . Ut non prorſus abſurde ab Hiſpanis ſcriptoribus quaedam comoediae regales , ut ipſi vocare ſolent , confectae ſint , in quibus Reges , Reguli , Duces , primoreſq; aularum ac Civitatum cum ſervis mediaeque dignationis viris repraeſentantur . Verum ut apud Romanos nullus Praetextatarum author vel modicum nomen adſecutus eſt , ita & nullam ex tot regalibus fabulis cum plauſu acceptam novimus , niſi fortaſſe apud ipſos Hiſpanos , quorum theatrum ſuperioribus ſaeculis talia mirifice probabat : nec veterum horunce errorum omnino expers illud invenimus , quum nos in Hiſpaniam ab admodum pio & clemente Rege Carolo acciti ſumus . Has , ſive comoe-

dias, ſive tragicocomoedias, quod verbum Plautus commentus eſt, appelles, me quidem authore nemo ſcribendas adgredietur, quoniam, ſi decorum ſervare velis, riſus, jocuſque inde exulare magnam partem debent, saleſque & urbanitas: niſi quis audeat, aut principes viros ridendos in ſcena proponere, quod abſurdum, aut e ſerio delectationem aucupare, quod inane eſt, nec poſſibile. Caeterum ad omne genus hominum, ut dictum eſt, comoedia pertinet: ut a quibuſdam doctis viris ad piſcatores etiam, paſtoreſque ac ruricolas producta ſit: quos profecto laudarem, ſi veram talium hominum vitam effinxiſſent, non aliam quamdam iis tribuiſſent vivendi rationem, quae nullibi gentium ſervatur, & quae ab aſpera ac dura illorum vita maxime abhorret. Unde Taſſi ac Guarini, aliorumque qui eos deinde ſunt imitati, hujus generis nitidiſſimas fabulas, alio quovis nomine potius admiratione proſequor, quam quod mores paſtorum (in quo alioqui parvum admodum operaepretium fuiſſet) ad veritatem expreſſerint. Civitatem praecipue atque urbanos, neque infimae conditionis reſpicit comoedia, a rure & agris, ubi ſua cunabula ſortita eſt, jamdiu in Urbes cum ejus germana ac majore natu ſorore tragoedia translata: & ſi quid ruſticum immiſcendum eſt, & agreſte, temperate id agendum moneo, ita ut ſumma rerum ſemper ad urbanos redeat. Sed hoc mihi non ſumo, ut comoediae conficiendae praecepta praeſcribam: ab aliis haec, qui doctiſſime omnia examini ſubjecerunt petenda ſunt: ego ſi quaedam dixero, ut vobis obſequar, obſervata mihi & ſola experientia notata, munus meum affatim impleſſe arbitrabor. Quid ego igitur vobis dicam? Ineptus plane ſim ſi modo praecipere adgrediar, comoediam unicam actionem debere complecti, nec in plures ſcindi poſſe: immo continuam requiri, quaeque unico tractu perficia-

ficiatur : ùnde duplices ; quas vocant , fabulae damnandae , quaeque ita longo tempore indigent , ut neceſſarium ſit , intelligere auditores , interrumpi per plures dies, menſes , aut annos , quod quidam abſurde factitarunt , actionem , ut ea quae poeta finxit , peragantur . Ne igitur otio veſtro abutar, paucis reliqua , ſi quae memoria ſuggeret , complectar . Primum omnium dico atque edico , enixeque pronuncio , neminem , cui Venus , lepos , Suada , Chariteſque ipſae in ore ac labiis non ſint, ad comoediam ſcribendam aggredi debere : inelegans enim atque ineptum eſt quicquid hoc in genere ars ſola molitur , quam nec ſuavis riſus unquam , aut vera voluptas ſequitur . Temperabit quidem ars naturam & in certos fines coget , ſed ſola aut parum , aut nihil efficiet . A ſcurrilitate vero , immodicoque riſu cavere ſerio debet quammaxime poeta , qui nunquam ſpectatori riſum movere volet per turpia atque inhoneſta . Verum ſubturpia quaedam admodum apta ſunt comoediae , & ſi quae ambigue jaci poſſunt , ita ut in altera parte turpiculum aliquid habeant , in altera rectum & honeſtum . Nec video quid niſi putidum riſum movere poſſit quorumdam hominum in ſcena imitatio , qui aut lingua impediti , aut diſtorti ſunt & manci , aliove quo ſimili corporis morbo laborant . Quis enim bonus ex animo rideat quae vel Natura , vel calamitas quaedam afferre ſolet mortalibus ? Quaedam tamen ejus generis parce ad delectationem ſumi poſſunt , quum vel amantem ſenem inter dulcia cum puella colloquia crebro tuſſi laborantem inducas , aut in gradiendo vacillantem : vel quum per doctos dolos claudum ſe quis ad decipiendum fingit aut blaeſum : quibus a cavea mire plaudi ſolet .

Porro , quae ſumma eſt, ad L. Caeſaris praecepta de riſu ac jocis apud Ciceronem poetas rejicio ; vix enim eſt,

ut aliquid comico Poetae concedam, quod ille Oratori negavit. Populum enim uterque alloquitur, ideo niſi bonus vir atque honeſtus qui loquitur videbitur, aut odium ob corruptos mores, aut ſibili ob ineptias & frigidos jocos conſequentur. Denuo dicam, nam magnum eſt operae precium, mores cujuſque gentis ac Civitatis comoediam debere complecti, non aliena ſequi. Ita dum Gallus poeta Gallicos mores (non ab hiſtoria quidem petitos, ſed recentes, & qui ſub poetae oculis ſervantur) Italus noſtros, Hiſpanus ſuae gentis affabre producent, perfectam, omnibuſque numeris abſolutam harum gentium morum hiſtoriam habebimus, qua nempe caremus. Qui etenim hiſtorias ſcribunt, bella, paceſque, variaſque regendi populos artes, regum geſta, ſaevitiam, avaritiam, virtutem & hujuſmodi poſteritati mandant; quo autem pacto illo ipſo aevo vixerint in Civitatibus homines, quibuſque moribus ac conſuetudinibus, niſi id comoedia efficiet, ignorandum utique eſt. Nec talis interior & urbana hiſtoria contemnenda mihi videtur, immo nonnihil jucunditatis & utilitatis quoque habere. Profecto ſi latinam comoediam haberemus (nam latina tragoedia prorſus caremus, & quam comoediam Plautus & Terentius ſcripſerunt, ut noſtis, graeca eſt) Romanorum nobis mores longe notiores eſſent; quum modo vix ab hiſtoriis publica nobis nota ſint, domeſtica pleraque ac interiora vereque urbana ignorentur. *Gr.* Verum dicis, ita nam modo eſt. Sed duo praeclaros tragicos poetas vetus Roma admirata eſt, Accium nempe, & Brunduſinum Pacuvium Ennii ex ſorore nepotem, qui ſplendidiſſimis ambo verſibus tragoedias conſcripſerunt, ſive potius e graeco verterunt: quorum vix nunc laudes & brevia quaedam fragmenta ſuperſunt. At dolendum ſane eſt, id ita accidiſſe: quid enim in tragoedia poſſet latina, lingua haberemus, quod male nunc quaeras a Seneca

qui

Digitized by Google

qui ſolus Romanorum tragicorum ſupereſt. *Panſ.* Quando horum mentio facta eſt, conſentaneum magis videtur iis quae a Belvederio dicebantur, etiam Comicos poetas memorare qui ante Plautum & Terentium ejus generis laude Romae claruerunt. Naevius quippe feſtiviſſimas comoedias ſcripſit, & Coecilius adeo eodem in genere excelluit, ut eum Cicero in principio operis de optimo genere oratorum ſummum comicum appellaverit, non Terentium aut Plautum. *Cal.* Quorum opera non exſtant in medium adducere inutile quidem eſt: unde, ad coeptum ſermonem revertamur. Age Belvederi. *Bel.* Quò me vertam neſcio, ita nunc huc, nunc illuc vocor. Animi porro vitia feliciter theatrum ingrediuntur, immo vel ſola ſcenam tenere debent: ſed modus adhibendus, & ut mediocres in theatrum virtutes, ita mediocria etiam vitia inducenda, atq; haec nunquam ſine aliqua nota, aut ſine odio dimittenda. Nimia quinetiam vitia & receptum morem excedentia non exponet, me quidem authore, poeta, ſi aliquid prodeſſe vult ſpectatoribus. Nam ſi quis auditor ex iis eſt, qui aliquid eo in genere peccet, de ſe narrari fabulam aud ſentiet, quum ipſe modice & caute idem vitium exerceat. Plauditur totis theatris avaris ſenibus, ſed nemo ab avaritia diſcedit; quis enim aut fumum e camino, aut unguium praeſegmina, aut ſpiritum ex ore ſervandum curat ne amittat, ut lepidiſſime, ſed non ad ſpectatorum utilitatem Plautus induxit? Idem de poedagogis, glorioſis militibus, paraſitis, & de hujuſmodi dicendum cenſeo, qui niſi temperate magnoque cum judicio ita inducantur, ut vera vitia, ſed uſitato modo pateant, vix ad brevem riſum valebunt, proficient nihil. Utiliſſimum autem reor & probos ſaepe viros, ſed hoc quotidiano more, fideique, & amicitiae ſervantes ſcenae dare, ut a vitiis abſterriti ad virtutem & probitatem ſpectatores paullatim deflectant.

Nec vetera, nimiſque obſoleta in ſcenam inducere pro-

probandum reor, ut qui iſtos ipſos milites glorioſos, paedagogos, paraſitos, qui in veterum comoediis ad ſatietatem uſque occurrunt, perpetuo obtrudunt; quod ſi exilem ipſis imitationis laudem parit, magnum inventionis decus aufert, theatrumque privat veritate, quae niſi a praeſentibus moribus hauriri nequit. In quo Amenta noſter, doctus quidem vir atque acer, lapſus mihi videtur, quum non modo tantùm veteres illas perſonas, verum etiam quod eaſdem pariter in cunctis ſuis comoediis adhuc induxerit, ut, quum unam earum legeris, omnes te legiſſe putes. Nec meum hoc judicium eſt, quod elevare fortaſſe apud vos poſſent ſimultates, quae nos inter jampridem intercedunt, ſed peritiorum omnium, qui tam doctum ac ſcientem virum mallent, ad inventionem potius quam ad imitationem animum appuliſſe. *Grav.* Romae quidem cum plauſu aliquando Amentae comoedias exhiberi in privatorum theatris memini: ſed quaedam in iis ab ejus artis magiſtris culpari, quod ſaepe parum pudicos mores induxerit, & praecipue veriſimile ab eo negligi in eo praeſertim, quod paſſim puellas adoleſcentium ſchemate, hos illarum ſubderet, ita ut ne apud amatores quidem veri ſexus & perſonae aliqua ſuſpicio oriretur. *Bel.* At doctum virum ſinamus populum ſuis fabulis oblectare, atque ea laude frui, quam aud modicam hac poematis genere eſt aſſecutus, & caetera percurramus. *Calopr.* An tu poema appellandum cenſes, quod ſoluta oratione conſcriptum eſt? *Belved.* Noſti doctorum virorum ea de re diſputationes, nec hoc tempus ſinit, ut & eò nos progrediamur. Mihi quidem ea ſtat ſententia, ſine verſu & numeris poetam & poeſim non poſſe conſiſtere, quanquam aliter aliquibus doctiſſimis viris nuper viſum eſt, dum inventionem omnes numeros in poeſi implere exiſtimarunt, verſum autem an ſolutam orationem ſequamur, ſuſque deque habendum: ita

ut

Digitized by Google

ut vel epica quoque poemata, ſi dis placet, pedeſtri oratione quidam magni nominis viri auſi ſint ſcribere. *Grav.* Fabularum ſcriptores potius iſtos appellandos cenſeo, quam poetas, etſi aliqua utilitate ac jucunditate fabulas ſuas condierunt. Caeterum Areoſti comoedias verſu perſcriptas, jambico ſimile, notum vobis eſt, easque in Ferrarienſium Dynaſtarum theatro regio ſumtu exhibitas fuiſſe: ſed hoc imitatoribus prope caruit exemplum, & noſtri poetae ſoluta plerumque oratione comoedias ſcripſerunt. *Panſ.* Neſcio an difficultas inveniendi verſum, qui comoediae aptaretur, in cauſa fuerit, ut, abjecto verſu, ſolutam orationem amplexati ſint noſtrarum comoediarum ſcriptores: quod mihi vel maxime improbatur, quoniam verſum utique in comoedia ut in tragoedia requiro, niſi velimus a poematum albo comoediam delere. Obvium quippe ac facile opus eſt, ut loquaris ita perſcribere; & quod hiſtoriae, philoſophiae, orationibus, epiſtolis datur, hoc negandum omnino eſt cujuſcumque generis poeſi, quae ſine verſu conſtare non poteſt. In arduo decus ſcilicet: ideo tentare varios numeros, eoſq; varie quoq; miſcere vellem illos, qui comoediam ſcripturi ſunt, flectere eoſdem & caedere, ut ſermoni propriora eſſent quae ſcriberent, verſus autem aliqua ratio conſtaret. Difficile id quidem, ſed quid ſine magno labore Natura nobis dedit, quaeſo? Galli prope eodem uſque verſu in poematis ſuis utuntur, ac praecipue in tragoedia & comoedia: ſed lectoris potius faſtidium, ob eandem, a perpetua binorum verſuum conſonantia, cantilenam, ſubire maluerunt, quam ſoluta oratione comoediam ſcribere. *Belved.* Elegantiam quidem omnem ac veneres, & nitorem omittere (quae poeſeos ſunt propria) neceſſe eſt, ubi ſoluta oratione conſcribitur comoedia, quod in antiquitate omni exemplo prorſus caret. Caeterum verſus mirifice ad memoriam valet, nec alicujus

co-

Comici locum memoriter retinere ac referre poſſumus, ubi verſus abeſt; longe majorem praeterea in hominum animis vim habere certum eſt aptam orationem, quam ſolutam. Queis tu, Panſute, in tragoedia verſibus uſus es, uti quoque Comici poſſent, minore quidem apparatu & ſono, ſed profecto commode & eleganter. *Panſ.* Guarinum potius & Taſſum imitentur, qui elegantiſſimis ac nitidiſſimis verſibus, qui per omnium ora feruntur, comoedias ſcripſerunt, ſane ut nihil fieri poſſit ſupra: quum noſtrorum Comicorum ne unum quidem verſum aliquis memoria retinere poſſit, ac iſtiuſmodi comoediae vix lectae protinus effluant. Nec rei difficultatem ulterius objiciant, illorum propoſito exemplo. Et ſane turpe fuerit Comicis ita loqui, qui poetas ſeſe haberi volunt: quoniam ſi oratori maxime advertendum eſt, ut numeroſam orationem conficiat, & quaſi canoram, eaque de re tot Ciceronis, Quintiliani, aliorumque rhetorum praecepta exiſtunt: Comicum poetam ſinemus extra numeros vagari, verbiſque abjectis & vulgaribus diſſolute uti, & infantiam in loquendo praeſeferre? *Grav.* Id porro, Panſute, optandum potius eſt quam ſperandum, quandoquidem Graecorum, immo & Italorum vetere conſuetudine abjecta, huc ſcriptores omnes Italicae comoediae incubuere; & auditores facili illa ac populari elocutione contenti, jam nihil ultra expetunt, verſuſque fortaſſe etiam, ut modo hominum aures ſunt, reſpuerent. *Cal.* Id ſcilicet nunc timendum, quum cantantes actores omnes exquiſitis modis libentiſſime audiant homines. Immo ego longe magis gaviſuros eos reor comico verſu, quam quavis elegantiſſima ſoluta oratione: quod audentius affirmo (ut de toties inſtaurata apud nos Merope taceam, quae tota hendecaſyllabis verſibus conſtat) nupero Horatiae exemplo inductus, in qua non modo

non

non reſpui tam luculentos verſus a cavea ; ſed ſummo etiam cum plauſu excipi vidimus ; quanquam, ut qui adfuerunt, quae maxima Civitatis pars eſt , meminiſſe poſſunt, nihil minus illo in dramate animadverſum eſt ab auditoribus , quam verſibus tragoediam conſtare . *Panſ.* Egregia quidem ea in re Belvederii fuit opera , cui neſcio an parem Civitas ulla tulerit . Ipſe etenim omnium primus theatrum , apud nos ad pudendam ridendamque cantilenam ob actorum imperitiam adductum, ita ad Naturae veritatem revocavit, ut quo jam progrediatur, porro non habeat. *Bel.* Hoc, quicquid eſt, nam negare non auſim, aſſidua mihi ac diutina eſt obſervatione compertum : & quum ingredi adoleſcens a ſingulis paullatim incoepiſſem, ad rei ſummam vix ſenex perveni : quod etſi ludicrum totum ſit ac leve , ad aſſequendum tamen , quantum quidem pro ingenii mei modulo anniti potui , difficile admodum expertus ſum . *Grav.* Quandoquidem huc flexit oratio, pro veteri noſtra amicitia rogo te , Belvederi , ut quid ſequi ſoleas in docendis fabulis, inſtruendiſque actoribus, quantum quidem fieri poteſt , nobis aperias . Audivi etenim & hîc & Romae , qui judicium in hoc tuum effuſe admirarentur , & in caelum ferrent : comoediam vero aut tragoediam te moderante actam nunquam vidiſſe contigit, quod ſane doleo , teque iterum rogo , ut ejus rei me (nam hi tuis verbis non indigent , qui rei ipſi toties interfuerunt) qua parte potes participem facias . *Bel.* An haec tradi poſſe ac doceri, Jane, cenſes ? quae experiendo ac errando per plures annos vix animadverti longo uſu potuerunt , ut nova quotidie induci opus fuerit , quod a receptis diſcedere ipſa cavea cogeret . Verum ne quod tibi , quem tanti facio , praeſertim in tantula re , negaſſe videar , ex iis expromam , quae ſtabiliora & firmiora in tam levi re mihi viſa ſunt : ut inde noſcas , omnia poſ-

Digitized by Google

ſe aliquando admirari homines , qui haec nullius ſane pretii tantopere magnifecerint.

Harum quippe rerum nec ſcientia, nec ars ulla eſſe poteſt , & vix favente Natura aliquam obſervationem recipiunt . Principio apparatum omnem ſcenamque ita conſtrui ac diſponi ſatago, ut omnia fabulae adamuſſim congruant, perſoniſque , locoque ac tempori omni ex parte conveniant . Aliter enim tragicam ſcenam adornandam , aliter comicam intelligis : nam illa columnas , porticus , ſtatuas, faſtigia requirit: hae privatis aedificiis, modicis domibus, tabernis, moenianis conſtat. Qua in re me deceptum in iſta ipſa Horatia memini, quum in quadam ſcenae parte equeſtrem ſtatuam poni juſſiſſem, quaſi ad Romanae urbis ornatum: nec mihi in mentem venit, nullam ad illa uſque tempora equeſtrem ſtatuam Romae poſitam fuiſſe . Rite conſtituto theatro, quod una tantum ſcena, non pluribus, ut contra rationem modo fieri ſolet , conſtare debet : omnis mihi cura ad actores ſeligendos convertitur , eoſque ita moroſe , ita diligenter verſo & expendo , ut pleriſque ſupervacaneum hoc , ac nimium videatur . Sed niſi actori perſona, quam ſuſtinere debet, conveniat , incaſſum caetera exequemur. Pueros ingenuos jam adoleſcentes (nam feminis privatum hoc noſtrum theatrum non patet) deligo ad puellarum perſonas ſuſtinendas ; dummodo forma habituſque corporis , voxque ante omnia non adverſetur. Ad caeterarum inde partium actores animum converto, & ita me comparo, ut vera perſona cum ficta quam proxime conveniat : paraſiti partes pallido , & macilento delego , glorioſi militis rubicundo & ingentis abdominis homini , ſenis , aut paedagogi gravi & incurvo: adeleſcentes juveneſque & ſervos ut revera ſunt, ita eſſe ſatago. Praecipue vero omnes eos rejicio qui alibi comoedias egerunt: nam in agendo difficillime iis vitiis

tiis abſtinent, quibus principiò inſueverunt, atque imbuti ſunt. Jam quantum hoc eſt, amabo? Dictu quidem facillimum, at, ſi opus incipies, quam ſit effectu difficile comperies. Quae perſonae riſum movere debent ridiculum aliquid vultu & corpore praeſeferant curo, ut rideantur magis: ſeveram & gravem perſonam gravi & perfecto viro commendo, atque ita per omnia me gero, ut ne quid in actore aſpectu ipſo dedeceat; quod praceptum Roſcio, quem tantum Cicero Romanique omnes admirati ſunt, tribui poteſt; nam is omnia in actione eò referri debere dicebat, ut quicquid ageres, aut diceres deceret. Et ſane; ſi nihil magis in vita difficile eſt videre, quam quid deceat, in actione itidem magnam ea res habet difficultatem. Jam haec veluti materies eſt, cui forma deeſt: agere enim, incedere, ſtare, deambulare, loqui docendi ſunt actores, quod infiniti prope eſt laboris; nam quotuſquiſque eſt, quaeſo, qui ſuimetipſius oblitus, eum ſe credat eſſe, quem poeta voluit, & ſcena requirit? Sine hac tamen perſuaſione omnia putida & coacta ſpectatoribus videri neceſſe eſt. Iterum equidem, iterumque actoribus meis praecipio, ut ſe prorſus, tantiſper dum in ſcena verſantur, in eam perſonam convertant, quam iis attribui, namque ita vera & nativa vidèbuntur quae agent, quaeve loquentur. Difficile enim admodum eſt, ſola arte alienos mores & affectus ita effingere, ut ne aliquid ex proprio more ſaepius erumpat. Senem quis aget, vir ipſe & nondum ad ſenectutem provectus: ut ne hic pro forti & vigenti-ſe ſe in ſcena gerat aud modice eſt allaborandum; Natura etenim ſe ſe undique de improviſo exerit, vetatque ne is voce, vultu, inceſſu ſenem per omnia referat. Puer quis puellam refert: ingenti ſolertia is continendus eſt, ne quandoq; grandiores moliatur gradus, ne viriliter intueatur, ne conci-

tate nimis reſpondeat , ne denique brachia & corpus, uti extra ſcenam ſolet , liberius jactet ; in quibus ſi vel ſemel peccarit , omnia concident , & ars convertetur in riſum . At ne vos diutius morer , ſimulque ut aliquid dixiſſe videar , ad Naturam ipſam vos deferam , quam magiſtram unice ſequor , atque inde arcanorum meorum eruam rationes . Omnium profecto aetatum & affectionum quidam ſtatus eſt , quo invicem & aetates & affectiones ipſae diſtinguuntur . Ira , amor, laetitia , formido , triſtitia , quas habeant ſedes in humano corpore, atq; unde, & quomodo oriantur Caloprefius noſter a Carteſio ſuo edoctus nos docere poteſt : quidve ſimul in inceſſu , colore , vultu , voce , caeteroque corpore hae perturbationes varient in unaquaq; aetate ac conditione . His autem funditus perſpectis, jam non difficile fuerit , actores ita inſtruere , ut irati , ut territi, ut triſtes , aut laeti eſſe videantur : ita quidem ut geſtus , color , inceſſus, vox perturbationi congruant ; Atque iſthaec variari uſque neceſſe eſt, prout ætas, dignitas, locus, tempus, conditio uniuſcujuſque perſonae requirit . Aliter enim ſenem divitem, eundemque patremfamilias iraſci, amare, pavere decet , ac adoloſcentem : aliter ſervum flagra & lorarios timentem , aut dolo aliquo in herum conſuto geſtientem inducemus ; aliter ſi amator aut ingenua puella timore aliquo correpti, aut aliquo perfuſi gaudio producentur ; aliter ſervi , aliter ingenui amant ; atque, ut poeta non iiſdem verbis diverſarum perſonarum affectus effari ſolet , ita & actores pro ſuo quiſque modo affectus effingent : non enim omnia omnes decent , ut ad illud Roſcianum , quod dictorum omnium cardo eſt, revertamur .

Fruſtra vero inceſſum , motumque corporis affabre compoſueris , niſi pronunciationem ita moderereris, ut haec illis reſpondeat , & amice in unum conſpiret : eſt namque

pro-

pronunciatio, vocis inſimul, vultus, ac geſtus moderatio. Hic vero herculeus ſane labor eſt; quum vulgo homines more ſuo loqui aſſueti, vix eſt ut in hoc doctorem ferant: & ſi quid inſuetum ac novum moliri jubentur, ad ridendam plerunque cantilenam, aut ad declamandum deflectunt, quae vitia foedant omnia & corrumpunt, ut nequicquam caetera ſis exſecutus. Temperandus itaque ſermo pro perſona, pro loco, pro tempore, pro aetate, pro affectu, ſane ut deceat, quo verbo quid aptum ſit, conſentaneumque tempori & perſonae continetur: quod pariter in vultu, in geſtu, in inceſſu valet, ut ſi aliter fiat, ſane dedeceat. Nec loqui minus Comico difficile eſt, qua Oratori: nam uterque omnes tonorum perſequetur gradus, modo, ut loquentibus nobis fieri ſine arte conſuevit, modo intendentes vocem, modo remittentes, aliter tamen ac muſici ſolent, ſi vis auditorem quò lubet impellere, utque ea credat, dum audit, dum conſpicatur, non fingi, ſed prorſus vera eſſe. Hinc lacrimae ſpectatorum oriuntur, hinc gaudium, hinc moeſtitia, hinc plauſus omnis. Et ſi maximus quondam Atticus orator omnia in una actione poſita dixit in magna gravique oratoris arte: idem omnino in ludicra hac & levi dicendum: atque omne punctum laturum actorem illum affirmo, qui bene ac rite utetur actione, in qua & vox & geſtus & omnia inſunt. Continuato quaedam ſermone, quaedam interrupto dicenda, aliqua concitate, ſedate aliqua, nonnulla cum magno corporis motu pronuncianda, nonnulla, ſive potius pleraque cum parvo aut nullo: magnos enim motus, magnoſque affectus ſemper tragoedia, raro ſane comoedia recipit. Quae cuncta prout res poſtulat exprimenda; utque homines affici extra ſcenam ſolent, ita eos affectos in ſcena producemus, ſolerter Naturam imitantes, a qua ſi vel latum unguem, ut ajunt, diſceſſeris in cujuſcumque rei imitatione, profecto exibilaberis. Incredibile enim eſt quanta vis

Digitized by Google

in Natura ſit & veritate, quamque commoveantur ſpectatores ubi vox, geſtus, oculi, verba, color in unum congruunt, atque ubi rem vere fieri, non fingi, oculis, auribuſque ſimul videtur. Ab his enim ſimul omnibus, quae dixi, vera imitatio oritur, quae rerum omnium dulciſſima mortalibus accidit, ut quicquid recte quacumq; in re imitatum ſit, vehementer omnibus arrideat; quod & pictura, & ſculptura, & Poeſis, ac denique haec, de qua loquimur, hiſtrionum ars mire comprobat. Illud praeterea quam diligentiſſime animadverti, ne ſaepius in eadem comoedia eumdem geſtum, commotionem, vocem actoribus in eadem perturbatione ſubderem, ſed varie ſemper, quamvis ſemper itidem ad Naturae & veritatis imitationem: ſatias namque auditores capiet, ſi omnes eodem pacto iraſcentur, aut moerebunt actores, caeteraque etiam ſimiliter agent: quod diligentius cavendum in eodem actore, nam tum omnis delectatio & admiratio evaneſcet. Ideo qui huic ſive arti, ſive induſtriae operam dabit, omni cura decet aſſidue in hominum ſocietate & conventu, coetibuſque verſari, ut cunctos effingendarum perturbationum modos ac formas ediſcat; & ſic poterit, varietate veritatem comitante, quum res poſtulaverit, eoſdem affectus in ſcena repraeſentare. Colorem etiam varium unamquamque perturbationem comitari neceſſe eſt: quod etſi arte nulla conſequi poſſimus, ipſa concitatio tamen ſaepe id, & affectuum vehemens cum geſtu & voce imitatio aſſequitur, & iratum excandeſcere facit, amatorem rubore ſuffundi, paventem & triſtem lurido ac pallido colore, quae plerumque ſponte ſua in actoribus meis fieri deprehendi.

Cal. Antequam tua praetervehatur oratio, quaeſo, Belvederi, quo pacto apud veteres cenſes, omnia iſthaec, quæ de voce & colore ſcienter ſane protuliſti, fieri potuiſſe: apud quos hiſtrio-

ſtriones larvati in theatrum prodibant ; & amplitudo ipſa ac laxitas theatri , ſane ad varias vocis inflexiones inopportuna ad clamorem neceſſariò hiſtriones redigebat , ſi exaudiri quae dicebantur , a cunctis vellent . *Bel.* Vel unum hoc valde imperfectum vetus theatrum effeciſſe mihi videtur : nam nec quomodo operto vultu , inque ampliſſimo theatro dici ex arte quicquam poſſet , intelligo : nec quò pacto eadem larvâ modo iram , modo gaudium , aut riſum , alioſq; affectus ab hiſtrione referri . *Gr.* At Cicero diſertis verbis teſtatur , in quadam tragoedia ardere ſpectatoribus viſos hiſtrionis oculos , nedum vocem ei perturbationi conſonam illum protuliſſe . *Belv.* Verba ipſa poetae potius concitatiora fortaſſe ac graviora auditorum affeciſſe animos crediderim , quam hiſtrionis artem , quae , ut mihi quidem videtur , nulla prorſus hac in re eſſe potuit , extra pronunciationem , quam quoque ad declamationem accedere prope fuit neceſſarium . Nam nullus falſis voculis, gravibuſq; aut ſubmiſſis in magno theatro locus . *Panſ.* Vix nos in modicis noſtris domeſticis theatris , quae latioris cubiculi modum raro excedunt , omnia advertimus quae ab actoribus fiunt aut dicuntur : nedum credam Roſcium , alioſve hiſtriones remiſſa voce ac tenui tragoediam in Pompeii , aut inde in Marcelli theatro , ubi tot hominum millia ſedebant , pronunciaſſe . *Grav.* Aud parum crediderim a theatri ipſius veteris architectura adjutos hiſtriones, ut quae remiſſe dicerent exaudirentur . Neque etenim in animum inducere poſſum , in perpetuo clamore , aut in ſaltationibus , quibus uſque utebantur , horum ſpectaculorum delectationem poſuiſſe veteres , qui omnium voluptatum illecebras , ultra quam credi poſſit , in omnibus conſectati ſunt . *Bel.* Quod neſcias, neſcire te confiteri laudabilius eſſe reor , quam ſi , ut ſcire videaris , putida & inutilia confingas . Ego quidem , quod adhoc attinet , igno-

ignorare me fateor, nec ideo erubeſco, nam plurima rerum ignoro etiam in his quae me ſcire profiteor. Demum, ut tandem oblaterandi finem faciam, apud vos excuſatam importunitatem meam volo, qui de nihili rebus vobis coram diu locutus ſum: & te, Jane, mihi advoco, ut defenſionem meam, ſi quis accuſator extiterit, ſuſcipias; ut enim tibi obſequerer in has ineptias incidi. *Panſ.* Me vero multa delectatione perfuſum fateor oratione tua, in qua magnum porro acumen judicii tui perſpexi in re minima, ſed quae theatrum una perficit, quod ſatius eſſet mutum omnino eſſe, quam malis actoribus & ineptis ſumma cum auditorum nauſea, perſonare. Sed, ut animadvertiſtis, diu jam eſt, quum nos coquus vocitat, identidem ipſe huc uſque progreſſus, quod a ſervis, talium hoſpitum reſpectu, timidius hoc fieri videbat. Exurgamus itaque, atque eamus, ſi lubet: atque in pomeridianas horas, ſi quid reliqui eſt, rejiciamus.

DIA-

Digitized by Google

DIALOGI

VARII ARGUMENTI,

RUSTICI METAMORPHOSIS.

Philippus , *Simplicius* , *Puer* , *Franciſcus* .

I.

Simpl. SAlve Philippe : At quid te dicam agere ? *Phil.* Lavo . *Simpl.* Itane vero lavas ? Maſſa quadam ſubcandenti , luto perſimili manus & vultum illinis , id foedari mihi potius quam lavari videtur . *Phil.* Ignoras haec tu , ita ſolent modo urbani . *Simp.* Bene habet : hei hei ! Cecideram plane , dum ſedere puto , vix me in pedes erexi . *Ph.* Ah , ah , ita ſedemus urbani , mollicule , ne quid nates laedat . *Simpl.* Papae ! At in ſcrobem crediderам me incidiſſe . Ut vero lectulus floret ! Quae colorum varietas ! accedam propius , Dj boni ! quam in altum mergi oportet quiſquis hîc cubat , ſubfocarer equidem ego . *Ph.* Ruſticitatis hoc eſt argumentum ; in duro cubatis ruſtici . *Sim.* Aud nego . At cujuſnam generis hoc eſſe dicam , quo lectulus ſtratus eſt , quaeſo ? ita lucet, ita floribus & frondibus refertum eſt , ut pratum merum me rear intueri . *Ph.* Gallia haec nobis mittit : nobiliores cives quantivis ejuſmodi emunt ; & ſane vigilare ſatius eſſet , quam aliter cubare . Heus pueri , ohe , radite mihi barbam , properate , heus . *Puer* . Adſum . *Phil.* Male olenti ſapone mihine , hirce ? *Puer.* At nardum olet .

Phil. Vulgare nimis ac plebejum hoc modo eſt, melius ac flagrantius in poſterum, intelligiſne? Hui! Calet nimis aqua: nonne ego vix tepida ſoleo? *Pu.* Scio, atque ideo tepidam adduxi. En, Simplici, digitum merge, nonne tepida eſt? *Simpl.* Sane tepidas roſas tetigi, ita ſuaviter manum ſimul & naſum demulſit. *Phil.* Taceſis, bone vir: non omnes omnia: quod tibi olet, foetet mihi, quod tepidum eſt Simplicio, fervens eſt Philippo. *Sim.* At in Patria quondam ambo equidem . . . . *Phil.* Ne obturbes me ineptiis, tace dum rador. *Simpl.* Obſequor. *Phil.* Age tu propera. *Pu.* Factum. *Phil.* Quid malum haec eſt novacula? Nonne e Tarraconenſibus una? *Puer.* Quippe, immo omnium optima. *Ph.* Et tamen urit: age jam, age, accelera quantum poteſt. *Pu.* Nae mihi deeſt quod radam, nam vix ſubnatus pilus eſt, heri raſimus. *Ph.* Propera, inquam, loquax. Deſine jam tandem me decorticare, fatue, ſat tuli, ſat perpeſſus ſum: aquam adduc, qua abſtergar: tepidam memento prius, qua ſaponem diluam, deinde frigidam. *Pu.* Sane ut jubes. *Simp.* Jam non raderis, loquar: quid, nonne modo laviſti? Jam iterum lavabis? At quid ad lavandum quaeſo tam immanis ſpongia? *Phil.* Riſum moves, non aliter hoc fieri recte poteſt. *Simpl.* At nos, immo tuipſe dudum, optime, quum nobiſcum . . . *Phil.* Non taces dum lavor? *Simpl.* Morem gero, at dic ſodes quando tecum loqui potero? *Phil.* Scies. Heus vos, nemini hujus cubiculi aditus pateat, audiſtiſne, pueri? *Puer.* Factum! At dudum eſt, here, quum plures majorum gentium viri te opperiuntur. *Phil.* Euge! Tu omnium es obſequentiſſimus: illico faceſſe hinc, bellua, quid hoc mea? I, & Franciſcum huc ſtatim. *Simpl.* An lavas adhuc, Philippe, nam ſilere diutius nequeo. *Phil.* Dic tandem dum abſtergor! *Sim.* Miror equidem, tam te ſuperbum & iracundum ſubito

hic

hic effectum, qui ſuaviſſimus olim apud nos ac leniſſimus tuorum omnium ſemper es habitus. Immo, quod vix eſt credibile, te video ultra omne exemplum in deliciis vivere, ac delicias ipſas miris modis faſtidire, ut nihil tibi iam ſatis molle videatur: quum duriſſima te paternae domus diſciplina, domeſticaeque anguſtiae, & ipſius patriae durities & paupertas fortem & laborum tolerantem debuerunt efficere, nunquam vero qualis modo es. Et ſi ante actam vitam meminiſſe voles . . . . *Phil.* Agnoſco ruſticorum morem: urbanis apprime invidetis; nec quid bonum, nec quid malum ſit interea noſtis. Heus, Franciſce, heus! *Franc.* Adſum. *Phil.* At te jampridem adeſſe oportuit, horam integram te expecto. *Fr.* Ignoſce, domine, nam . . . . *Phil.* Taceſis. Accipe hoc linteum; veſtes affer. *Fran.* Quaſnam vis afferam, quaſne heri? *Phil.* Nunquando heſternis ego veſtibus indutus proceſſi, ſtultorum, quotquot ſunt & fuerunt, ſtultiſſime? *Fran.* Nigras ergo vis afferam, an coccineas? *Phil.* Neutras, *Fran.* Virides fortaſſe an croceas? *Phil.* Abi, funge; aliud age, nam hoc plane ignoras. *Fr.* Dic ipſe ergo: quas juſſeris hic ſiſtam. *Phil.* Argenteis malo hodie indui, proinde propera. *Simpl.* Ut occoepi dicere: non belle te geris, Philippe: Nam . . . *Phil.* Nonne vides, jam advenire Franciſcum? Tace. *Fr.* En quas imperaſti. *Phil.* At has omnino nolo, quid tandem has adduxiſti, quis dixit? *Fr.* Juſſeras, ni fallor, argenteas ut huc. *Phil.* Quippini, ſed intextas argento, non has, age affer jam. *Pu.* Dyoniſius adeſt, domine, magna, ut ait, de re tecum locuturus: maxima quinetiam patriciorum caterva te manet, ut ſcis. *Simp.* Omnibus dic, me valde diſtineri, & cum Simplicio eſſe: proinde ut morentur. *Simp.* Abſurdum hoc, & plane inurbanum, nec nos inter nos niſi nugas: age jam jube admitti ſaltem Dyoniſium. *Ph.* Ah ah! Ruſticus me ur-

urbanitatem docet, proh ſumme Juppiter! I puer, ut imperavi iſtis renuncia, & cave, ſi ſapis, ne invocatus huc pedem inferas poſthac, ni me vis... *Sim.* Hoc enimvero ferri non poteſt, tot tantaeq; dignitatis viros non admitti, de gerris interim germanis mecum, & cum Franciſco agi, *Phil.* De ſatione, de occatione ubi ſermo erit, de ſecandis ſegetibus, de boum cura tibi profecto primas deferam: de noſtris his rebus, obſecro, ne hiſcere tu quidem velis: ineptias meras effundis, mihi credas pervelim. At ubinam Franciſcus? *Fran.* Adſto, quas juſſiſti veſtes adduxi. *Phil.* Probe. Tunicam lineam intimam interea da mihi . . . . At jungi jam mihi equos juſtine? *Fran.* Non. *Phil.* I modo, ut acceleret auriga jube. At mane, quos mihi equos jungi ſatius hodie eſt? Albos nolo, nam nimis ſunt puſilli, giluvos vero, quis non jungit? I, Germanos mihi hodie lubet, illos Friſios maximos, nam minoribus vix eſt ut noctu aliquando utar. *Simpl.* Jam Franciſcus abiit, dicam porro quod ſentio, nam ſoli ſumus, ni mavis me male disrumpi. Non decent mores hujuſmodi. An dubitas, quin rodant te modo vehementer omnes, qui te manent, & quin ruſticum, quin tuipſius oblitum ſimul & aliorum, inter ſe muſſitent? Age, comem te & humanum praebe, ut te fortuna dignum dicant omnes, ut animi celſitudinem admirentur, qui ſecundis rebus ſe non efferat. An, ſi tu oblitus es, oblitos omnes etiam reris quo loco natus ſis, quibus parentibus ... *Ph.* Ohe jam, deſine tu iſthaec mihi putida ingerere, Simplici. Rodant quantumlibet, maledicant: obmuteſcent ſtatim ac me conſpicient, & hos exoſculari manum, alios ſupplicibus me compellare verbis, illos ad pedes etiam accidere flentes videbis. Quid mihi vetera & obliterata obtrudis? Jam non idem ſum: converſus orbis ille fortunae eſt. Manedum, videbis uter noſtrum melius ac prudentius. Timuimus

mus olim, & obſervavimus nos jam alios inviti, ſine ut invicem timeamur modo nos ab invitis & obſervemur. At Franciſcus adeſt, ne iſta rurſus cave. *Simpl.* Ne verere, taceam. *Fran.* Omnia jam parata: at turba inſtat, vix ut tranſire mihi datum ſit, ita quiſque enixe a me quaerere, ecquid ageres, ecquando adire liceret, quinam tecum eſſet, ut quid illis reponerem ſane non habuerim. *Phil.* At mihi aliud quiddam opportune in mentem venit: deambulatum aliquantiſper, ut mane eam juſſerunt Medici; at ſi hos, qui faſtidium merum mihi afferunt, audiam, ne pedem quidem domo licebit efferre. *Sim.* Quid ergo? Quid moliris? *Ph.* Poſtico expectantes fallam, & me clam domo ſurripiam, atque ita illos male mulctatos hinc hodie dimittam: ah, ah, ah. *Simpl.* Jocari te puto, nam nemo ſobrius hoc faceret. Jube jam pandi januas, & .... *Phil.* Dixine tibi, quum de colendo agro non agitur, ut taceres? Jam iterum, iterumque dico, ne excidat. *Sim.* Enimvero hoc jam ferri non poteſt: Amitini ſumus, ambo eadem patria, eodem loco, eoque ſat mediocri nati: ſimul pueritiae, adoleſcentiaeque annos ruſtici ruſtice viximus: fortunis, ac neceſſitudinibus omnibus omnino pares. Quid te putas modo, non eumdem eſſe, quod argentea te veſtis operiat, me vulgaris, quod mollius tibi ſtratus eſt lectulus quam mihi, quod auro, argentoque prae me longe abundas? Falleris miſer. Porro ſi te mores, ſi te doctrina, ſi honeſtus te ad hoc faſtigium evexiſſet labor, dignus ſane laudibus, dignus admiratione eſſes: & profecto tibi ipſe modo conſtares. Nunc caſu in altum evectus, & ſat ancipiti auſu dives repente potenſque eſſectus.... *Phil.* Agnoſco fratris amantiſſimi ſuaves iras, & fervidum illud ac promtum ingenium. Deoſculari profecto cupio millies ex animo virum fortem, & priſca ſeveritate inſignem. Periclitari ſane volui an idem tot poſt

an-

annos eſſes, eumdemque numero inveni. Euge, Simplici! Te admonitorem nimis acrem expertus ſum lubens, eumdem te edacem paullo poſt convivam ſimulque hilarem & facetum experiar. Dum hîc eris, ea lege eris, ut mecum quotidie prandeas, nec enim ſuavitate tua carere poſſum. *Simpl.* Habeo gratias. Age modo quod agendum eſt, admitti turbam impera: nos inter nos quicquid agere & loqui impune licet. Heus Franciſce ... *Ph.* Tu manedum, Franciſce. Per caput tuum juro, Simplici, male admodum me modo habere, ideoq; prorſus nequire negotiis operam dare; primo ſane veſpere omnes admittam. I, Franciſce, ita iſtis renuncia: ſed audi, propius accede; cras ut redeant jube, hodie non vacat.

Leonardus & Vincentius.

I I.

Leon. Ajunt te, Vincenti, apud Judicem cum Laurentio patruele tuo litigare de illius gentilis veſtri hereditate, qui nuper Capuae deceſſit, teq; damnant omnes, quod tam pio proboq; viro negotium injuſte faceſſas. *Vinc.* Si ſpoliari me liberoſque meos ſeniſſe hereditario â pio iſthoc honeſtoque viro voluiſſem, nullae modo mihi cum eo lites intercederent. *Leon.* Taceſis, amice: injurius enim adverſus illum es, qui ſua tibi potius omnia condonaret, quam quicquam alienum ereptum iret. Novimus hominis fidem. *Vinc.* Hoc me acrius pungit, quam hereditas, qua carere poſſum lubens, ſi aliqua omittendi honeſta ſit cauſa. Verum quod me aviditate & avaritia impulſum in Laurentium temere ac injuſte incurriſſe vulgo credunt, id enimvero ferre non poſſum. *Leo.* Id autem inde con-

conjectant homines; quod ille ſanctiſſimis moribus atque integritate eſt ſingulari; tu autem, unus e nobis. *Vinc.* Ego quidem pietatem erga Deum, virtutemq; quammaxime revereor, Leonarde, & ſequor, ſed veram, non quae extrinſecus tantum ad decipiendos homines ſe ſe componit, animo prorſus nulla eſt. *Leo.* Recte id & ſapienter a te actum, at quid ad Laurentium? *Vin.* Cogis me jam domus meae mala proferre, ita lente me fodicas. Quid tu illum pium bonumque credas, qui parentem meum depoſito fraudaverit, impudentiſſime acceptum negando: qui matrem meam blanditiis, doliſque malis circumvenerit, ut illius liberos potius, quam e ſuo corpore natos heredes ſcriberet: qui pupillos Antonii uxoris ſuae fratris ſpoliavit, aurum, argentumque prope omne, pecuniamque hereditariam compilando, nam ille ſtultus moriens perſcribi, ut moris eſt, res hereditarias a tam probo ſcilicet tutore vetaverat. Quid dicam amplius? Hunc tu credas pium, probumque, tantum quod templa frequenter inviſat, quod obtorto collo ambulet, quod occurrens omnibus placide renideat, quod verba parce & modeſte faciat? Sine taceam amabo; nam qui ea, quae modo innui, patravit, nonnulla inſuper ejuſmodi patraſſe ſuſpicari potes. *Leon.* Iras cohibe, quaeſo, & linguam comprime, ne quis ſermonem aucupetur tuum, & in vulgus proferat, unde infamia tibi ac dedecus ſane merito ſuboriatur; ita optimum virum dilaceras. *Vinc.* Anne adhuc tibi optimus videtur vir, qui talia admiſit? *Leon.* Nec optimus vir ea fecerit, nec qui fecerit, optimus, immo nec bonus vir unquam erit. De Laurentio vero quis ea tibi credat? Profecto is ultra omnes maledicentiae latratus eſt, nec egregiam famam, tot per annos inſigni pietate morumque ſanctimonia collectam, ob voculas quaſdam ab inimico temere per iracundiam jactatas, amittet. *Vinc.* Calu-

lumniis igitur eum impetere, falſiſque criminibus ejus fidem elevare tibi videor? Itane tibi ſum cognitus, Leonarde? *Leo.* Fateor equidem, te nullius unquam flagitii compertum: ſed te modo hereditas transverſum rapit, & a conſuetis moribus cogit deflectere. *Vinc.* Disrumpor profecto. Tu, qui me tot per annos, quibus conjunctiſſimi viximus, largum, veridicum, honeſtum expertus uſque es, mavis de fide modo atque honeſtate mea dubitare; quam de prope ignoti tibi hominis, ſola vulgi opinione ſubnixi? Quid ſi interiora & domeſtica ſanctiſſimi iſtius viri vitia, ſeu ſcelera potius, falſa pietate contecta patefacerem? Etiamne tunc ego tibi, nullius unquam, ut ais, facinoris compertus, ero peſſimus, ille vero utique optimus? *Leon.* Ne plura Vincenti, rogo: taceſis jam, nam nunquam efficies, alia quemquam apud homines opinione eſſe, quam eâ, quam conſtanti vitae tenore adeptus eſt.

Fortuna & Simo.

III.

Fort. HEus Simo, Simo: ecquid audis, Simo. *Sim.* Cuja vox ſupra me ſonat? Proh Dii immortales! Tune me vocabas, hera? *Fort.* Scilicet. Quid agis? Aurum, delicias tuas, aſſecutus tandem es? *Sim.* Ludis me quippe: nonne vides protritam hanc togulam, pallium prope ad militaris ſagi imaginem contractum! porro non divitis haec, ſed pauperculi ſunt argumenta. *For.* Piget ſane, & doleo, tot te poſt annis, iſtis profecto moribus, & ſapientia, idem adhuc ſaxum volvere. *Sim.* Et dolet, & nihilominus te jubente illud volvo. Quin tandem pauperrimi ſenis te miſeret, & ramento quopiam unde

unde ablato, mihi condendi ſaltem teſtamenti facultatem impertis? nam vivus frui datis jam ob aetatem nequeo. *Fort.* Delirus pariter es & pauper, ut quondam. Nonne tibi omnes erroris tui tenebras olim excuſſi, & cunctarum pene rerum cauſas explanavi? Quid caecutis ergo, & ad exploſam & veterem rurſus naeniam redis? *Sim.* Fabulas garris, Dea: at ſi mortalem miſellum ludos feciſti aliquando, nunc deſinas tandem rogo ludificare, & peſſimis deſpicatum habere modis. Sat ſcio quid poſſis, &, te maxime docente, ſcio. Quas in me procellas excitaſti, poſteaquam te ſtultiſſime dimiſi! quas aerumnas, quos labores te immittente exantlavi, ſumme Juppiter! Me primum ante omnes, meos inde affines, conſanguineos, amicos, vicinos crudeliſſime omni calamitatum genere affeciſti, quaſi capitalem, & inexpiabilem quandam noxam admiſiſſent, quod me vel cognatione, vel amicitia vel vicinitate contingerent. *For.* Mirum ecaſtor, tot a me tantaque prorſus ignorante atque alia omnia agente fuiſſe geſta! At at, quid moliris, quò tandem trementibus iſtis & vacillantibus genibus conaris adſcendere? *Sim.* In maceriam hanc quippe enitor, o domina, ut ad te propius accedam, & commodius colloqui poſſim: quid expaviſti? Senem metuis? *Fort.* Ridicule modo, nedum ſtulte incoeptas capularis jam, quod, quum crudior & viridior aderat aetas, fruſtra te voluiſſe meminiſti: ſcis adoloſcentiae me favere vulgo dici, non ſenectuti. *Sim.* Manedum bella belle, quid tantum extimuiſti, quaeſo, ut te in altum ſubito proriperes? Accedeſis ad me paullum, ut verba ſaltem tua exaudire poſſim, nec reſupinus nimis diu ſuſpiciendo collum, & oculos [illegible]. *Fort.* Ah ah! Semel jam te experta, rurſus in forcipes iſtos tenaciſſimos inciderem! Nae ſtulta fuiſſem ac blenna. Ut te ſtrenue in extremos pedum digi-

 tos

Digitized by Google

tos erigebas repente , manuſque fortiter jactabas , ut me incautam ſcilicet exciperes ! Ah ah ! *Sim.* Quid malum ! rides , omnium deorum dearumque , immo & mortalium, quotquot ſunt , & fuerunt , & futuri ſunt , ſaeviſſima ! Audieram profecto , te ſedentes & deſides incaſſum expetere , ſedulo autem rem agentibus & gnaviter molientibus favere ſolitam : ideo ne & haec mihi elaberetur occaſio , in te volui manus injicere , ut comam denuo apprehenderem , olim quidem ſtulte ſatis dimiſſam . *Fort.* At quid tandem adprehenſo capillo ſperabas ? Inanis porro apprehendiſſes , reliquiſſes rurſus inanis . *Sim.* Diſrumpor miſer prae ira . Age dic ergo , cur ad me ultro advolaſti , & cur , mea jam paupertate contentum , ab alto inclamitans denuo ad ſpem divitiarum excitaſti ? *Fort.* Oblitus etenim mei videbare , & me jam prope deſpicatam habere . *Sim.* Factum . *For.* Ut itaq; amicitiae noſtrae ſubiret recordatio , ad te deſcendi . Jam vale , Simo , & noſtri memor vive . *Sim.* Mane , mane , quaeſo , pauliſper , ut poſſim & ego viciſſim officio tecum meo defungi. *For.* Quid ages jam ? *Sim.* Palam dicam quod comperi , ne me calumniae damnent ſapientiores , quod te nihil eſſe crediderim aliquando . Nam te Orbis terrarum reginam , humanarum rerum moderatricem & arbitram , . . *Fort.* Haec verba compendi fac , Simo , nam nec palpo me , nec blanditiis capies; jam hoc fruſtra edito libello tentaſti , me , ac ſapientibus enixe inconſtantiam tuam ridentibus . Ludere mihi tantum tecum libuit , nunquam ſerio agere ; ideo nec eripui quae potui , nec quae concupiſti dedi . *Sim.* At quid eriperes , peſſima ? Vix vitam traho , vix coepa & allio victito ac pane furfuraceo , quid eriperes tandem ? *Fort.* Hoc ipſum , & nonnulla praeterea , quae habere te vel diſſimulas , vel ignoras . *Sim.* Eripe dum , age jam, ſpiritum interclude , frange cervicem , magnum hoc opus

explę: egregiam vero laudem tanto edito facinore feres. *Fort.* Quando ita jubes, cras .... *Sim.* Quam facile exoravi ut me perderes? Habeo gratiam, Regina: quod juſſi, fieri jam nolo: abi hinc propere cum auro regiaque ſupellectile in peſſimam malam crucem: abi hominum pernicies, ſceleſta. Jam me & deſiderium tuarum rerum omnium defecit, nec jam apprehendere te ſi velis, nec videre, immo nec audire te pati poſſum. *For.* Hui! Nimis iracunde, mi Simo, & profecto ſat inurbane cum Dea agis. *Sim.* Quid mihi numen iſtud tuum obtrudis, quod inimicum ſemper, & inexorabile expertus ſum. Vel Dea, vel mulier vel quicquid eſſe tandem tibi lubet eſſe, abi hinc, abſcede, avola. *Fort.* Ut ego Simonem meum linquam iratum mihi! Propius accedam ad te, ut noſcas quanti te faciam. Exporge frontem, ſeveritudinem iſtam aufer, & dic, exquire, pete quod lubet. *Sim.* Nunc demum Deam agnosco, nunc veneror numen, nunc immeritò me confiteor excanduiſſe. Audi, hera; nunquam a te avertere animum meum potui: te ſomniavi ſemper, de te vigilans locutus ſum, nec quicquam mihi ſuavius, quam te cogitare. Quum talis fuerim te adverſa, vides qualis futurus fuerim, ſecunda. Praebe igitur dexteram miſero, & beneficentiae guttula pectus hoc ardens aſperge. *Fort.* Laudo indolem ac coſtantiam: adſum ideò benigna: & tibi aliquid fortaſſe, alicunde, aliquo modo, aliquando.... *Sim.* Ohe, ohe! Ex incerto me incertiorem reddis perplexis iſtis pollicitationibus tuis. Si quid impertite vis, dejice propere, matura, en palliolum extendo. Quid moraris, quid perplexaris? *Fort.* Nimis aſpere, quaſi ex ſtipulatione mecum agis; blandius, Simo, dona exquiri mos eſt. Dabo aliquid: ſed perpetere aliquantiſper, roga, obſecra, blandire. *Sim.* En in genua procumbo, en tuam ploro, atque imploro fidem; cui venti, cui nubes, cui

cui mare paret velivolum, quam mercatores, quam duces metuunt, quam purpurei tyranni. Obſecro te, hera, domina, regina, ut meam ſortem tandem aliquando miſerata, extremam aetatem non in purpura, & auro ſinas degere, ſed extra egeſtatem. Satine pro tua te dignitate rogavi, an quid amplius expetis? *Fort.* Optime iſthaec quidem. Sed jam ad te redeam, Simo: nam vocat me modo vicinus hic tuus Phormio, quem ex animo diligo. *Sim.* Quemne? Phormionem! Proh Deûm hominumque fidem! ſceleſtum hominem, recti honeſtique inimiciſſimum! qui nihilominus divitiis jam affluit, in deliciis vivit, unuſque omnium in Civitate maxime potentiorum gratià pollet. Linque iſtum, Fortuna, jam ampliter ſaginatum; & me reſpice indigum, & benefactis tuis aud paullo digniorem. *Fort.* Vera dicis fortaſſe: ſed Phormio cordi carus eſt meo: te vero, ut dixi, ſemper ludificata ſum, &, ne fallaris, dum vita ſuppetet, ludificabor.

Franciſcus & Carolus.

IV.

Franc. Ecquando iſtum tu nihili librum de manibus depones, frater, atque illos ſumes, qui te domumq; noſtram ditare poſſunt? *Car.* Hic certe nihili liber non eſt, neq; aliquem, qui ſanus ſit, invenies, qui, ut tu modo magnum tam contumelioſe Cujacium appellet. Caeterum quos tu libros tanti videris facere, vere nihili & putidos Cujacius appellaret. Hos nihilominus ſtatis horis, quandoquidem neceſſe eſt, percurro. *Fr.* O virum magnum! qui illos authores non floccifaciat, quos tot ſummi viri admirantur, quos certos ad divitias & honores eſſe duces omnes affir-

affirmant . I , & magnum iſtum tuum Cuiacium , quum eſuries , in menſa appone: dum aequales tui , qui Cujacium ignorant , & contemnendos illos ſcriptores aſſidue verſant , diteſcunt , & ab omnibus ſuſpiciuntur . *Car.* Non quid vulgo homines agant , ſed quid agendum ſit inſpici debere omnibus in rebus jubent ſapientes . Ego quidem , qui jureconſultus eſſe cupio , ita me comparare debeo , ut vere talis evadam : non autem ita me gerere , ut magna pars conſuevit , quibus fucum facere hominibus cordi eſt , non eos revera , quos praeſeferunt , eſſe . Itaque ego optimorum praeceptorum ſecutus effata , ſummorumque virorum exempla , pro ingenii mei modulo legibus & jureconſultis operam do , atque ita in forum pergo, ut quammaxime iis rebus inſtructus eò perveniam , quibus jureconſulto opus eſſe comperii . *Franc.* Quid tu mihi nugas meras blatis , & quaſi aliquid dicas , ſerio me , & pene iracunde intueris ? vellem , ut tandem reſipiſceres , Carole , gerriſque iſtis germanis propere abjectis , piſtorem tibi amicum efficeres; quem nunquam profecto Cujacius tibi , ejuſque ſimiles conciliabunt , ſed Sarnus , ſed Roſa , ſed Muſcatellus . In hos , in hos incumbe , ſi ſapis ; nec te ultra juvet oleum & operam , tanto cum malo tuo reique domeſticae , male perdere . *Car.* At ego ſpero , frater , me decumana porta tutius aliquando iſthuc perventurum , quò tu me per diverticulum vocas : admodum enim veriſimile eſt , indoctorum iſtorum ſatietatem capturam aliquando homines , & peritiores jureconſultos in honorem , & famam perventuros . Quot tibi indicare poſſem clariſſimos viros , qui modo facem hoc in itinere juventuti praeferunt , gloriamque ſimul & opes conſequuntur ? *Fran.* Scilicet , dum tu conſulari via graviter & magnifice forum verſus , paucos neſcio quos ſequens , incedis , nos interea

rea ſeneſcentes in omnium rerum inopia jacebimus . Verum , ne te ſpe vana lactes , jam tibi modo praenuncio, prorſus nunquam te aliquid in foro profecturum . *Car.* Dj meliora : Quid enim ? Cenſebimus , gravi honeſtoque viro , juriſque non leviter perito , aliiſque inſuper artibus ſatis inſtructo locum in foro , ubi conſiſtat , defuturum ? Num exempla deſunt ? Peſſimus plane vates es, frater , & vere, ut Calchantem Agamemnon apud Homerum vocat , vates malorum . *Franc.* Nimis velim , me falſa tibi modo praedicere : at , ſi probe ego Civitatis noſtrae mores novi , locus quippe tibi ubi ſedeas , ubi deambules in foro fortaſſe non deerit , ſed unde cauſam dicas , ubi a cliente conſularis plane deerit .

Dorila , & Pamphilus .

V.

Pan. Ajunt te , Dorila , uxorem ducere Demaeneti illius divitis filiam , lepidam ſane puellam : alba etenim eſt , recta , & , quod nonnihil ad rem pertinet, flavo capillo , oculiſque flagrantibus , ut ſcias veneri paratiſſimam . Laudo equidem : verum admodum miratus ſum , te , qui Bacchidem meretricem tertium jam annum perdite deperis , hoc repente conſilium ſuſcepiſſe . *Dor.* Neſcis enim , Pamphile , quibus illa modis me peſſime ludificaverit . Nam plures ante dies & in convivio apud Charinum aequalem noſtrum nutare , nictare , & annuere cui lubuit uſq; non deſtitit , & acceptum a me poculum vix ſummis labiis libatum Piſtoclero ſubridens tradidit , tanto praeterea noſtri contemtu , ut , quum ego ob id graviter indignatus a convivio receſſiſſem , illa ad auroram nihilominus uſque diſcubuerit , cantitans identidem , dicteriiſque ac procacibus

bus jocis cunctos laceſſens. *Pamph.* Vix credibile eſt quod narras. Vidi ego namque pluries Bacchidem, quum domi apud te vel apud amicos coenaret, admodum modeſte agere, atque in te unum oculos conjectos habere: ſuſpirare quinetiam frequenter quum te intueretur, atq; e tuo nutu pendere: vereor ideo, ne quippiam ipſe admiſeris, cujus illa impatiens, ad ea quae narraſti, ſui ulciſcendi gratia, ut ſunt mulieres contumeliarum in amore impatientes, excurrerit. Quid autem? Cur ploras? Jam age, Dorila, deſine tandem: vides nos in frequentiſſimo loco conſtitiſſe. At quid te in lacrimas cogit, quid dolet, dic ſodes. *Dor*. Heu me! Quis modo me vivit infelicior! Nam me aetatemque meam, atque illam miſeram funditus perdidi, & quicquid tandem in utero gerit, gravida etenim quoque ex me eſt, Pamphile. *Pamph.* Quid tu autem, ſi apud illam amoris vinculis tenebare, uxorem ducturum te patri ultro affirmaſti? Sane oportebat, tacitum mulieris levitatem ferre, donec res ipſa & tempus vel ignem prorſus extingueret, vel amorem poſt iras, ut fit, redintegraret. *Dor.* Ego vero, quaſi regiam Attali occupaturus, ſponte mea ad patrem veni ac rogavi uxorem daret, promptum me paratumq; ad omnia eſſe. Hei! Excidiſſet tunc mihi lingua, vel angina fauces has ſceleſtas, unde vox illa impia exiit, invaſiſſet. *Pamph.* Interea, ut videtur, cras ſponſus eris, Dorila: ideo ſatius fuerit, animum a meretrice ad uxorem convertere, quam inani queſtu teipſum crudeliter excruciare. *Dor.* Ego ut illam deſeram, quam plus oculis meis amo, quae me unice diligit! Iraſcatur pater, indignentur propinqui, omnes factum male dicant, non herede faciam. Illam ego animo expetivi, habui, nunquam a me ſegregabo. *Pamph.* Indignum facinus incoeptas. Quid amicos, quid cives dicturos, quid Demaenetum ipſum cenſes? Praeterea, ut tum etipſe modo memo-

morabas, levis illa eſt, & fluxa fide, cras tibi Piſtoclerum aliquem praeferet. *Dor.* O Pamphile, neſcis quam ego ei juſtam cauſam praebuerim ea faciendi, quae fecit: quapropter deſine dehortari, acta res eſt.

Juppiter & Mercurius.

VI.

Merc. Amabo te, Pater, conſiſtamus hîc pauliſper, nequeo enim amplius prae laſſitudine ambulare. *Jup.* At hîc nec domus eſt, nec mapale ſaltem, quò divertamus, immo nec mortalium aliquis uſpiam apparet, a quo opem ſperemus. Profecto durare ſatius eſt, illamque urbem, quam hinc proſpicimus, petere, ubi nobis melius omnino erit, gnate. *Merc.* At ego nec quid ſperem modo, nec quid timeam habeo: humi ſedebo potius, & ſub altae hujus arboris ramis, ſi aliter nequeo, aeſtum vitabo, qui me pene jam confecit, tercentum millia paſſuum paucis horis emenſum: nec enim talaribus uti modo par eſt, ne te peditem ego ſupervolans nimium deſpicere videar. *Jup.* Ah ſurge, fili, ſurge. Portendit mihi animus, bene ac feliciter eventurum nobis hoc iter, & in proxima hac urbe, quam propter nobile quondam Ammonis templum, ut noſti, erat conditum, inventuros nos tandem aliquos, qui Jovis, & Mercurii numen adhuc venerentur. *Mercur.* Quid tibi hoc venit in mentem ſomniare? Tot jam ſecula erravimus miſeri, inopeſque, Aſiamque & Europam peragravimus, & ubique frigeſcere noſtram familiam, atque ab aula, ut ajunt, receſſiſſe maximo cum dolore comperimus. Nunc, quum omnia circum a nobis omnino deſciviſſe in aperto ſit, idem & hîc accidiſſe pro certo habeamus; ideoque, Africa proti-

tinus relicta, ſapienter agemus ſi tu in Idae rupibus, ubi tua ſunt cunabula, ego in Atlantis avi mei vallibus delitescentes, noſmet, hominum inconſtantiam & levitatem expectantes, ſecundis rebus ſervabimus. *Jupp.* Furum hoc conſilium eſt, ut, ubi quid ſurripuerint, ſe in tenebras condant, non deorum; & ſane quae Mercurium decent, deorum hominumque patrem vehementer dedecent. I, fur, quò lubet, ego jus meum tenebo, & ſi omnes Jovis obliti ſunt, ego certe mei non obliviſcar. *Merc.* Non ſatis tuae ſortis memor mihi videris, nec fata tandem agnoſcere, pater, quum talia loqueris. An te modo reris in ſummo Olympo, aquilae illi tuae inſidentem, fulmina in sacras aedes, & excelſas turres jaculari? Vel in ſolio, quod tibi Vulcanus fabricaverat, mortalium vota arbitraris nauſeantem excipere? Omnia iſthaec quidem cum ambroſia & nectare evanuerunt; & vix modo ego tibi unus ſuperſum, in quem imperium exerceas; & nihilominus ſuperbus aeque es, ac antea: nec, te regno olim pulſum, nunc vero exulem, omniumque rerum egentem vitam degere ob ſuperbiam atque injuſtitiam, meminiſti. Furem me inſuper appellas, qui nihil mihi unquam furto quaeſierim, ſed ut juſſis velificarer tuis ſemel iterumque, quum tuum maneret regnum, furatus ſum; & nunc, retro relapſis noſtris rebus, neceſſariò quicquid poſſum ſurripio, ut egeſtatem noſtram aliquo pacto ſuſtentem. Tu enim ſolum imperare, ac minari didiciſti, ad alia omnia es ineptus. *Jupp.* Heus tandem! quò progrederis, nothe? neſcine te cum ſummo Jove loqui? Scis, me tantum caput quaſſante, Terramque, Caelumque univerſum concuti, deoſque omnes prae metu contremiſcere? *Merc.* Enimvero ſomnias aperte, vel cum Homero tuo inſanis: at ego non adeo contumeliarum ſum patiens, ut te tuamque iſtam iracundam maledicentiam ferre

Digitized by Google

amplius poſſim. Tu, intolerandis ſane moribus tuis, jamdiu eſt, quum teipſum, me, natoſq; tuos, deoſq; omnes perdidiſti, dum, omnia apud homines male miſceri gaudens, bonos infortuniis premebas, malos autem praemiis, indignantibus omnibus, afficiebas; ſtupra quin & rapinas tyrannorum more exercebas: quibus factis philoſophos, pugnaciſſimum genus hominum, in te concitaſti, qui te Caelo tandem detractum, quod nunquam fore ſuſpicabare, ad peram & baculum deduxerunt. Caetera noſtri, quae taceo, ideoque tacere & tu aliquando diſce, *Jupp.* Quam nunc mihi vellem in manibus fulmen, ut quondam quum Aeſculapium ad tartara detruſi! Te profecto dicto citius comminutum, uſtulatum, praecipitem ad fratrem mitterem, qui te pro meritis exciperet, & vel cum Siſypho ad ſaxum volvendum damnaret, vel cum Titio ſupinum proſterneret, vulturemque edaciſſimum diligeret, qui tibi cor carperet perpetuo ac laceraret. Flagitium, ſcelus! *Merc.* Homerum iſtum, quem tecum ſemper, quaſi authoritatis tuae maximum aſſertorem circumfers, tibi brevi me ſurrepturum polliceor, atq; in mare projecturum: ut tandem cum illo inſanire deſinas, teque reſpicias. Nunc, ne tecum muliebri ritu garriam, ſurgam, teque quò jubes ſequar. At ſcisne quid tibi praeſagiam, quando tibi Apollo deeſt, qui futura noſſe conſueverat? Signa quidem, ut in ipſo Capitolio, atque alibi vidimus, Jovem, Mercurium, Martem, caeteroſque deos referentia, nonnulla & hic fortaſſe offendemus, ſed ob ipſorum ſignorum elegantiam, vel marmoris aeriſve precium, non vero quod minor hîc quam alibi noſtri ſit contemtus.

An-

Antonius & Camillus.

V I I.

Cam. AFfuiſtine, Antoni, quum ſenex hic noſter Campanus in Herculano Demetrii affinis tui de univerſa ſtudiorum ratione diſſeruit? *Ant.* Nempe affui, & te, Camille, vehementer una adeſſe cupiebam, ut eſſes tam eruditi ſermonis particeps, & quaedam contra communem noſtrorum praeceptorum ſententiam a ſapientiſſimo viro diſputata vel refelleres, vel adprobares. *Cam.* At quaenam tandem fuerunt iſthaec, quae tibi admiratione digna viſa ſunt? *Ant.* Quamplurima, quae omnia tibi modo memoriter narrare poſſem, ſed dicam tantummodo ex multis unum aut alterum. Acriter equidem invectus eſt doctiſſimus ſenex contra nuperum eorum inſtitutum, quibus peromnes ſcientias arteſq; pervagari mos eſt, eam inſtitutionem encyclopaediam, graeco magnificoq; quidem vocabulo, ſed re prorſus inani, appellantes. Sicuti enim, ajebat, nullius Civitatis civis eſſet, qui perpetuo quodam errore univerſas urbes peragraret, nullamque ſibi praecipuam, in qua vitam ageret, selegiſſet; eodem pacto, errones iſtos, dum omnia ſcire cupiunt, nihil profecto ſcire. Singillatim dehinc ingreſſus eſt ſcientiarum atque artium ſingularum difficultatem, ut neutiquam dubium illi eſſet, neminem unquam extitiſſe, qui, quum in earum unam totis ingenii viribus incubuiſſet, ita eam mente memoriaque comprehendiſſet, ut nihil ei prorſus, quod ad illam attineret, defuiſſe affirmari poſſet. Quid ergo, ſubdebat, de iis pronunciandum, qui, delibata tantum hac vel illa ſcientia, ad aliam, deindeq; aliam convolarent? *Cam.* Scite hoc quidem: at quid praeterea? *Ant.* Nonnulla: ſed ut paucis te abſolvam,

vam, omnia ad Philoſophiam, quæ vero Phyſica reſpiceret, referenda & Geometriam, quaſi ex Apollinis cortina, docebat, caetera, veteres, effoetaſque linguas praeſertim, (nam Gallicam & Britannicam ſummopere laudabat) pueris, tardiq; ingenii viris, & nihil in ſcientiis profecturis, relinquebat. Haec ille quidem, & pluribus proſecutus eſt, miroque quodam lepore, exemplorumque copia condivit. Poſthaec, quum neſcio quomodo de poetis incidiſſet ſermo, mirum profecto eſt, quanta eloquentia, quantoque rationum apparatu poetarum nationem aggreſſus ſit, ac pene contriverit: ut qui tunc poeſeos ſtudioſi forte fortuna aderant, ne hiſcere quidem auderent. *Cam.* Magnus quidem vir noſter hic ſenex eſt: verum mediocri quoque Orator ingenio mirificam, ſi nemo contradicat, orationem habuerit.

Sejanus & Terentius.

VIII.

Sej. EXpectatus advenis, Terenti. *Ter.* Salve Sejane, gaudeo vehementer, omnia tibi pro voto feliciter obveniſſe. Nunc ſane ſpecimen praebere potes Senatui Populoque Romano voluntatis tuae erga Rempublicam, bonoſque omnes. *Sej.* Inania autumas nomina: nam neque Reſpublica uſquam eſt, nec boni: ſibi unuſquiſque bonus eſt, reſque noſtra familiaris rebus omnibus publicis anteferenda. *Ter.* Pauperis patrisfamilias quippe ſermo hic eſt, & ratio, cui omnia intra fundi ſui fines. Sejanum alia decet oratio, omniumque expectationem non implere modo debes, ſed longe etiam ſupergredi. *Sej.* Riſum moves. An ego quid cupiant, aut expectent alii curare debeo potius, quam quid mihi ſit conducibile? *Ter.* Non quod tibi obſit a te expetunt homines; nam & prodeſſe ſimul tibi nimium quantum potes, & ma-

maximis beneficiis Rempublicam demerere. *Sej.* Quonam id pacto aſſequi me putas poſſe, Terenti? *Ter.* Nullo negocio. Legum primo authoritatem confirmare tibi neceſſe eſt, ut omnino valeant: hinc Senatus dignitatem augere, unde Reges caeteraeq; nationes, omnia ab eo, ut quondam liberâ Republicâ, regi, ampliſſimiq; Ordinis conſilio fieri intelligant. Populum deinde dulcedine ocii ita pellicere debes, ut tamen libertatis Romanique nominis non obliviſcatur. Veteribus inſtitutis omnia contineri ſatages: eoſq; demum Conſules, Praetores, Proconſules, Aediles fieri tibi curae eſſe debet, quos virtute caeteros praeſtare conſtet, boniſque artibus atque amore Patriae longe praecellere. Hinc Tiberius tuus Augusti famam facile vincet, tuque nomini tuo longe majorem Moecenate & Gallo circumdabis gloriam, claruſque ad poſteros ibis, patriaeque habeberis amantiſſimus. *Sej.* Euge! Tribus verbis maximas res complexus es. At ego brevius dicam; Civilium rerum admodum mihi viſus es rudis. *Ter.* Quid ita? *Sej.* Nam recte adverſam ingreſſus es viam, qua me ire opus eſt, ſi aliquid eſſe cupio. Eſto, leges, judicia, Senatus magna ut olim ſint nomina, eaque revereatur & prorſus obſervari velit Princeps, quem mihi tunc locum in Republica, Terenti, linques? Vix tunc ego numerus ero, & Tiberii favor cenſum mihi fortaſſe adaugebit, atque aliquem forte addet dignitatis titulum, ſed alii Rempublicam regent, non Sejanus. *Ter.* Non unum omnia uſque moderari majoribus placitum, ſed ad plurimos hanc curam pertinere, ut Rempublicam quaſi ſuam unuſquiſque ſedulo adminiſtraret, unde ingens in omnes utilitas. Nunc, quamquam Princeps veluti perpetuus ſummuſque Magiſtratus omnibus praeeſt, nihilominus, ad veterem illam Reip. formam res noſtras quam propius fieri poſſit accedere, optimum mihi videtur, ut quamminimum a patrûm ſapientia, placitiſque diſcedamus. *Sej.* Aliò nunc divertis: non ego modo Principis

ac

ac Reipublicae cauſam ago, ſed meam: dicam planius: Si recte ac ſapienter Senatum conſulere arbitrabitur Tiberius, non mihi ſed Senatui primas deferet. Si omnia legibus fieri debere cenſebit, nihil tunc mihi extra ordinem & quaſi novo jure permittet. Hùc illud etiam referendum eſt, quod profecto inconſulte praecipiebas, ut optimos viros ad honores eveherem; nam id mihi authoritatis nervos ipſos incideret: nam quid mihi Tiberioq; opus eſt Catone aliquo, aut Bruto? Contumacia iſthaec ingenia ne libertas quidem tulit. Ideo, quod mihi tibique, amiciſque omnibus bene vertat, Senatum in ordinem quamprimum redigam, & inania ad ipſum curabo deferenda, interiora & maxima mihi ſeponam: ad exercitus, & Provincias regendas eos potiſſimum mittendos ſatagam, qui me unum, meamque authoritatem maxime ſuſpiciant. In Urbe neminem jus dicere, vel cuicunque jurisdictioni praeeſſe ſinam, niſi ex intimorum amicorum cohorte; ita vere Principis amicum agam, Fortunamque in ſinum advolantem, ut par eſt, excipiam. *Ter.* Quid ex te audio, Sejane? Aufer iſta, quaeſo, quae non omnia modo late conturbarent, ſed in te ipſum aliquando verti poſſent: amicos ego quam honeſtiſſimos tibi parandos cenſeo, Curiam Equiteſque demerendos, bonis omnibus favendum, Populoque Romano te Tiberiumque indulgentia, juſtitia, aequitate, quam acceptiſſimos efficiendos: hoc pacto firmum ac diuturnum Principi imperium praeſtabis, tibiq; perpetuus erit Principis favor, qui te plus in dies diligendum amplexandumque arbitrabitur, quum tua opera ſe cariſſimum Senatui Populoque eſſe conſpiciet: atque ego ita cenſeo. *Sej.* Ego vero alia omnia: at Sylla adeſt; cave mutias eo preſente his de rebus, poſtmodum loquemur. *Ter.* Tacebo ut jubes;

Se-

Sejanus, *Terentius*, & *Regulus*.

I X.

Sej. ANtequam caeteri convivae convenirent vos juſſi hîc mihi praeſto eſſe, ut vobiſcum de rerum mearum ratione, maxime ut mihi quidem videtur ancipiti, deliberarem. Eò etenim me provectum ſentio, ut Romanorum omnium florentiſſimus eſſe poſſim, omniumque itidem infeliciſſimus, prout vitae meae moderabor. Proinde vos amicorum praecipuos rogo, ut pro veteri noſtra conjunctione demonſtretis ecquid ſequendum mihi cenſeatis quid fugiendum, ea tamen lege, ut quicquid nos inter hodierno ſermone dicetur ſacro prematur ſilentio. Agite ergo, viri amiciſſimi, de ſententia veſtra me certiorem facitote. Dic Terenti, nam major natu es. *Ter.* Credo ego, Sejane, ideo tibi nos modo huc ſevocaſſe, ut ſcires quo pacto quam diutiſſime Caeſaris favore frui poſſes, atque ita te gereres, ut tuto, & plaudentibus Romanis ſummae potentiae ſis proximus. *Sej.* Rem ipſam es elocutus. *Ter.* Magnae quippe indaginis res eſt, & quae nequeat uno brevique ſermone exhauriri. Alias tecum memini hiſce de rebus me sane raptim locutum, nec quid modo dictis ex tempore addam, ſubit. Verum, quandoquidem aliquid dicendum eſt, brevi dicam, rectiſſimum ac tutiſſimum, mihi videri, ut quicquid velle & probare bonos compereris, facias, atque ita utrumq; punctum meâ ſententia feres. Hoc namque pacto & incolumitati tuae optime conſules, & Tiberii amicitiam Senatus Populique adprobatione confirmabis. Quanti enim aeſtimabimus Caeſaris amorem quem procerum, plebiſque odium comitetur? Scis in Republica, ſumma quaeque temporis momento

to verti poſſe : unde omnia tibi in tuto erunt , ſi ita te geres , ut una ſimul Principem retineas , Romaniſque ſatisfacias . Quae Moecenatem, quae Gallum, quae Agrippam Auguſto conciliarunt , tibi ſequenda eſſe author ſum: quae illum ab iiſdem abalienarunt, prorſus fugienda. Utilia ſemper & grata Populo ſuadeas Tiberio, honorifica in Senatum: optimum quemque foveas, nullius maleficii ſis unquam author, aut triſtioris ſententiae. Uno jam quid ſentiam verbo expediam. Auguſti aulam, poſt proſcriptionem,& tot annorum imperium ante oculos habenda cenſeo, & quid tunc voluerint, quid noluerint homines, quidq; tu ipſe probaveris. Alii jam Romanorum animorum periculum fecerunt , quod tibi ex uſu eſſe debet . Num cariorem Auguſto efficere Populo Senatuique tuum Principem poſtulas ? Tu ipſe Moecenatis & Agrippae faſtigium cupis tranſcendere? Satis gloriae, potentiae , opumque ſatis erit , ſi illum Tiberius , tu illius amicos aequabitis . Caetera pro re nata expendenda eſſe puto , nec enim in tanta rerum mole uno oculorum ictu, omnia poſſis proſpicere: ſumma quaedam & praecipua tenenda, reliqua, ut res tempuſque feret , moderanda . *Sej.* Audiſtine , Regule , quae dixerit noſter Terentius? *Reg.* Audivi. *Sej.* Quid ergo? In ejus & tu is ſententiam? *Reg.* Non poſſum quin laudem quae Terentius ſapientiſſime protulit: at ea, ſi iſto quo tu es loco eſſem, plane non ſequerer . *Sej.* Quid ita ? Dic nobis ſodes quid ſentias. *Reg.* Non ego omnia arbitror omnibus perpetuo, & ubique bona eſſe & conducibilia: verum prudentis eſſe hominis officium, pro re, pro homine, pro tempore promere & aptare conſilium. Si a Moecenate, illo Reipublicae tempore, Auguſto Principe, interrogarer,ut modo a te,Sejane, vix credo tria nunc verba a Terentii ſententia commutarem , ita ab eo omnia optime proviſa & explicata ſunt . Sed quis modo adeo coecus eſt, quin videat , Tiberii indolem a paterna lon-

longe diſtare, tempora Reipublicae, Aulamque admodum diverſa? Aliter quum malacia eſt, aut leves ac ſecundi flant venti moderatur navi gubernator, aliter vero quum ſaevit pelagus, Auſterque valide incubuit. Cum Tiberio tibi res eſt, Sejane: quem ſi mihi aeque ac tibi notum dicerem, merito irrideres. Sed dicam tamen audacter; aud ignota mihi penitus ipſius indoles, & cculta ingenii. Tot per annos exaſperatus exilio animus, tot offenſiones, toties repetita patientiae ac ſilentii neceſſitas acris viri animum adhuc ſtimulant, acerbumque mediusfidius, ſaevum, & actarum praecipue ſub Auguſto rerum oſorem efficiunt. Quomodo igitur, amabo vos, quae Auguſto probata ſunt, Tiberium ſecuturum ſperabimus? Mihi quidem fixum immotumque animo eſt, neceſſariò te, Sejane, debere illud praeter omnia ſerio animadvertere, ut quaecumq; poteris e veteri Urbis, & imperii conſuetudine vel labefactes, vel penitus invertas, ut nova utique rerum facies ſit, nihilque e priſco ac recepto more fiat. Ita tibi Tiberium devincies, qui ſi quid impenſe cupit, tunc maxime, ut noſti, vel diſſimulat, vel inficiatur. Tu ejus animum diligenter introſpicere debes, & quae illum ſuſpicaberis velle, ea ultro facienda ſuadere, quaſi tibi optima illa & rectiſſima videantur. Quem is odio habere comperies, odiſſe & te opus eſt; quem probabit, laudare: ſed pervidendum, ut hoc nimis caute, ac parce facias, ne tuae quandoque id obſit potentiae. Quicquid, & quiſquis ſub Auguſto enituit, in obſcuritatem dabis; quicquid decorum & magnificum habenti tunc fuit, efficies, ut perniciem modo, vel dedecus ſaltem afferat: praecipue nobilitas, virtus, honores. Nec mihi objiciat quiſpiam, haec Senatum, haec Populum non probaturum: ita ut valde verendum ſit, ne quid inde periculi in Principem, atque adeo in te talium ſuaſorem,

oriatur ; nam longe modo aliter ſeſe res Romanae habent, ac quondam: alius quidem Senatus, diverſus Populi equitumque animus. Servire jam didicimus Romani: atque hoc Auguſto debet praecipue Tiberius, quod primus priſcam illam ſive virtutem, ſive ferociam mavis appellare, penitus extinxit. Admurmurabimus fortaſſe paullulum quid, Deum hominumque nos inter implorabimus fidem, ſed juſſa exequemur, dominique placita venerabimur. At male oderunt te omnes, ait Terentius, male Caeſarem ipſum. Quid hoc ad vos? Oderint modo metuant, eſt in veteri Proverbio. Quod ad nos attinet, ſi quae fient tacite feremus, feremus impune, ſi vel mutire audebimus, noſti quae homines in officio contineant, atque ad ſilentium cogant. Exercitus quam inſtructiſſimos eſſe neceſſe eſt: Provincias per certos homines, tibique addictiſſimos regi: Urbanum, Praetorianumque militem, unde major propiorque in Populum ac Senatum terror, una in caſtra collectum te ipſum ſemper regere, tibique largitionibus & humanitate devincire. Tunc in utramque aurem quieſcere poteris, atque ille vere Imperator, tu Imperatoris eris amicus....
Ter. Quid obtruderes aliud nobis, Regule, ſi leo te de exercendo in belluas imperio conſuluiſſet? Omnia ad vim refers, ſaevitiam Principis exacuendam ab amico ſuades, Rempublicam unius hominis arbitrio, non regendam & ordinandam, ſed eruendam penitus & affligendam pronuncias. Apage hujuſmodi conſilia: nec Juppiter pater, nec Juno Regina, nec Mars generis noſtri author, caeterique Dii ſinant, ut ea ſequi unquam velit Sejanus. Clementia, liberalitate, juſtitia, in Patriam civeſque amore, magnos effici Principes omnium temporum hiſtoria docet, nunquam ob iſthaec, quae ſuades & dilaudas, Regule. Mutari ac inverti cuncta jubes, etiamne

ne bona, & Reipublicae utilia? Enimvero illud ferendum non eſt, quod in metu fundamenta dominationis poni debere praedicas: profecto abſurdè; an, quaeſo, ſi nos Caeſarem timebimus, non & ille nos viciſſim timere debebit univerſos? Quam ſocietatem proponis, quam Civitatis & Reipublicae formam? Inter hoſtes verſabitur Princeps; noſque, quaſi bello capti, hoſtis mancipia erimus. Haec profecto diu fieri non poſſent; at ſi quo adverſo fato diu fierent, oh miſeros & infelices Romanos! &, ſine dicam libere, oh miſerum & infelicem Sejanum! *Sej.* Ne excandeſcas, oro, Terenti, neve vocem tollas, ſervi nam libertique huc illuc curſitant, aud difficulter poſſet aliquis verba noſtra aucupari, quod minime eſt conducibile. Linguae ideo parumper moderari te jubeo, dum Regulus reliqua exequitur, poſt deinde quae videbuntur proferes. *Reg.* Nondum Reipublicae ſatis oblitus mihi videtur Terentius & nomina pluris facere quam res ipſas. Senatum Populumque Romanum non inania jam ſretur vocabula . . . *Sej.* At, at. Taceſis amice, adveniunt.

X.

Sejanus & Regulus.

Sej. NOn inficior, Regule, admodum apta te, ac temporibus opportuna ſuadere: immo, quum te heri diſputantem audiebam, mecum ipſe magnopere tibi adſentiebar, Terentiique ſermonem reſpuebam. Verum quaedam me tamen angunt adhuc, nec tranquille ſinunt quieſcere. *Reg.* Dic ſodes: magnum enim aliquid eſſe ſuſpicor, quod Sejanum ſollicitat. *Sej.* Ingens quippe cura eſt, nec ab homine civilium rerum ſciente contemnenda. Age, ſi forte, quae rerum humanarum eſt viciſ-

ciſſitudo , Tiberium mei ſatias capiet ; vel alium quem amplexabitur , nam raro vel nunquam favore ſubnixam potentiam ſempiternam fuiſſe novimus : quid tunc me fiet , quaeſo? *Reg.* Nec veriſimile eſt quod metuis , nec poſſibile. Tenaciſſimus namque propoſiti eſt Tiberius, ſemelque placita conſtantiſſime ſequitur . At quem prae te ille diliget , ſi in tua manu aditus ſunt , & quos videbitur ab ejus alloquio potes amovere , immo & ſtatim perdere ? Aufer haec , Sejane , aliud age: in artes tuas, queis illum tam arcte unus omnium devinxiſti, incumbe ; nunquam ille e tuis caſſibus elabetur . *Sej.* Eſto : Tiberium obſequendo , notiſque artibus devictum uſque retinebo , nec quiſquam ei me unquam erit carior. Quid ſi illi aliquid humanitus accidet ? Senatum , equeſtrem ordinem , Populumque adeo omnem in me tunc unum converſurum odia atque arma, poenaſque nec recte factorum expetiturum, nemo non videt: nec quod tunc mihi effugium futurum ſit , cerno . *Reg.* Si vero nimis anxie quid craſtinus feret dies quaeremus , nil agemus hodie , Sejane : nam quae res periculo caret ? Fortiter occupandi gerendarum rerum aditus ſunt, reliqua, quae provideri non poſſunt, Diis & fortunae permittenda . Caeterum, media viridiſque aetas Tiberio, ut ſatis tibi temporis futurum augurer de ſucceſſore cogitandi . Tu exercitus interea , urbanum militem , pecuniam , Provinciarum rectores, & quicquid in imperio validum ſedulo retine, in omnem occaſionem intentus . Fatorum nempe arcana ignoramus; ſed ego aud temere tot tantarumque rerum tibi a Diis poteſtatem datam reor : proinde acriter inſta , & tecum ipſe reputa , magnos forteſque viros ingentibus auſis inſiſtere, ignaviam & pavorem procul amovere. Poſt Julios, Octavios, Claudios .... *Sej.* Audio lubens, ſed longe me a via abducis, Regule, & necdum quò me vocas ſequi audeo;
ſat

ſat mihi ſuperque fuerit, ut modo ſe res habent, ſi incolumi licet eſſe. Age modo, alia inſpiciamus. Scis plurimos mihi eſſe amicos. *Reg.* Quorſum haec? *Sej.* Audi : horum alius ſibi aut Praeturam, aut Aedilitatem poſtulabit, alius Conſulatum, alia alii: nec quomodo cum iſtis me geram ſatis etiamdum conpertum habeo. *Reg.* Si tibi aedificanda domus eſſet, lapides, credo, eos ſeligendos curares, quos operi maxime aptos cenſeres, caeteros rejiceres. *Sej.* Quid haee ad rem? *Reg.* Accipe. Nec amicus nec cognatus modo quiſpiam tibi eſſe debet, Sejane, qui potentiae, & authoritati tuae aut inutilis eſt, aut noxius. Excute ſagaciter late omnes, & ſedulo inquire; & ſi quos in Civitate maxime egentes, nulla ſpe, nullo numero, nullis bonis artibus commendatos, ſed malos & audaces invenies, hos, hos, ſiquidem mihi auſcultare vis, habeas praecipuos, atque ad honores extollas, caeteros non flocci faciendos cenſeo. *Sej.* Prudenter ſane. At qua fronte veteres amicos, frugi homines, meique amantiſſimos repellam? *Reg.* Repellas? Neutiquam iſthuc. Immo amplexaberis maxime, deoſculabere, menſae pro more adhibebis, ut ſe intimos tibi eſſe adhuc vel ipſi credant. Interea alios fovebis, &, quò tendis, perges. *Sej.* At querantur amici neceſſe eſt, quum negari ſibi cuncta cernent, ignotiſque omnia procedere. *Reg.* Caeſarem tunc adverſari dices, cui te obſtare ſit nefas. Contemnendae autem ſunt proborum hominum querelae, ipſi blanditiis retinendi. Honeſti etenim viri, ut ſeſe iſti vocari ſtudent, parce iraſcuntur: nec genus aliud hominum eſt, cui facilius ac tutius illudatur. *Sej.* At de Terentio? Hunc ſane magnifacio, nam mei amantiſſimum ſemper ſum expertus, & a prima adoleſcentia quam conjunctiſſime viximus: is porro vir eſt quantaecunque fortunae capax, nec Tiberio ignotus.

tus. *Reg*. Optimus profecto vir Terentius, & quem tibi in privata fortuna amicum unum plane ex omnibus eligas. Verum jam non amplius privatus es, Sejane, cui optimorum virorum ſit conjunctio expetenda. Quo tandem tu loco nunc Terentium habebis? Quicquid incoeptabis, quodcumque inibis conſilium, tuis ſcilicet rationibus conſonum, objiciet ſe ſe ille, & te, quaſi in libera Republica, reprehendet, atque ab incoepto conabitur abducere. Si quid honeſte, prout ipſe putat, feceris, laudabit, alia omnia aſpernabitur. *Sej*. Novi ego hominem, haud falleris, Regule; injuriae eſt etiam alienae impatiens: illi jus ſuum cuique reddi vitae regula, ac ſocietatis columen videtur: praemiiſque & poenis, prudenti ac juſto temperamento adhibitis, omnem Reipublicae adminiſtrationem cenſet contineri. Millies ab ipſo audivi, non dubia res eſt. *Reg*. Quid tu ergo hoc homine facias? Profecto, ſi rem recte aeſtimabis, puerum eum adhuc eſſe dices, & civilium rerum ignariſſimum. Sedebis ſcilicet, eo authore, cum Tiberio merita cujuſque ſedulo expendens, & hunc praemio, illum poena afficies, certa nimirum lege, & quaſi ex praeſcripto. Nae vos ocioſi nimium, immo nimis quantum negocioſi eritis, ſi quaſi aurificis lance adhibitâ meritorum momenta expendetis. Praeterea quodnam iſte jus uniuſcujuſq; autumat? Quamne vocat injuriam? Riſum movet profecto. Omnia pro arbitrio agere, id vere magnificum ac imperatorium eſt. Puer ille eſt cano capite, crede mihi, nihil ſani ſapit, caecutit in Republica ut qui maxime. *Sej*. Bene quidem ſe hoc habet. At Tiberio de illo forte interroganti quid potiſſimum reſponſi dabo? *Reg*. Laudabis ſcilicet, ſed ut Philoſophum, ut Oratorem, ut Poetam. Addes, eum veterem Rempublicam animo fovere, & Catonem ſemper ac Tullium ferre laudibus. Nunquam vero quod prudens ſit Senator, dices, quod Provinciae

ad-

adminiſtrandae ob integritatem aptiſſimus ; quod militaris rei maxime ſciens . Haec (cavendum nam hoc maxime) & hujuſmodi aeque de omnibus tacenda , & aliquando vertenda etiam in crimen . *Sej.* Si duo praeterea tales viros haberet modo Reſpublica , ut te eſſe ſentio , quò ſe Romanarum rerum gloria attolleret ! Ut mihi dicto citius tenebras omnes deſpuliſti animo ! Efficiam te , Regule , ſi vivo , ut honoribus & opibus omnes poſt te Romanos videas . *Reg.* Scio quid poſſis , nec quid velis ignorare patitur hodiernus ſermo . Abeo , ut tempori ad coenam veniam . *Sej.* Abi , vale , te expecto lubens . Deum immortalem ! Nequam hominem , & penitiſſime ſceleſtum ! At quae loquitur maximo mihi ſunt uſui . Faciam nihilominus , ut iſte omnium primus ſentiat , quae me docuit , ea me optime didiciſſe .

XL.

Jureconſultus & Medicus:

Jur. GAudeo , te jam eò divitiarum provectum , ut exundante pecunia paternas aedes exornes , & fundo dotali alium longe majorem addideris , & late continuaveris . Euge ! Galene , euge ! *Med.* Quaſi non idem & ipſe jampridem feceris , quum poſt urbanam domum , maritimam quoque villam magno ſumtu aedificaveris , & ingentem inſuper pecuniam foenore poſueris : ut reponere tibi longe aequius poſſim , euge ! Juſtiniane , euge ! *Jur.* Injurium hoc , & maxime diſpar , admodum enim diverſa via imus : nam tibi morbi , morſque aliena lucro eſt , & quod maximos aliis luctus affert , tibi volupe eſt & utile , mihi non item . *Med.* Scilicet tibi a riſu & choreis provenit pecunia , non è

ci-

civium diſcordia, & e familiarum aerumnis. *Jur.* At mihi noctuque diuque eſt vigilandum, alienarumque rerum perpetuo ſatagendum, acriterque quotidie pugnandum, ac plurima etiam ſcribenda, ut aliquam tandem ab invitis plerunque tantorum laborum accipiam mercedem. Tibi vero pro circulatoria ſane levique opera, & plerunque noxia aurum ultro affatim quotidie aggeritur. *Med.* Ne ſecreta artium aggredere: nam ſi levis opera tibi videtur noſtra, mihi tua plane leviſſima; &, ſi verum loqui volumus, ſoli nam ſumus, paria omnino facimus, verbis ſiquidem uterque pugnamus: &, contra quam Hercules ille gallicus ſolebat, ore auream catenam non effundimus, ſed attrahimus. *Jur.* Quid tu mihi nugas veſtras objicis & cantilenam tralatitiam! Semper eadem effutire ſoliti eſtis, ut nil praeter admodum mediocrem memoriam ars veſtra requirat, os ad gravitatem compoſitum, ac ampullas praeterea, atque exotica verba & vere ſeſquipedalia. *Med.* Unicuique ſuum, ait Juſtinianus: ne veſtram nobis, quaeſo, provinciam invitis attribuas. An vos aliud praeſtare poteſtis, quam millies repetitam crambem identidem barbaro ac inſuavi ſermone conſulentibus, ac Judicibus apponere, & ſupercilio interea, quaſi magna quaedam loqueremini, audientibus imponere? *Jur.* At, obſecro te, Merdice, in tanta cauſarum varietate quo pacto idem poſſemus omnibus obtrudere? iniquus porro es. *Med.* Sapienter quidem, Cucule. Sed nos unum, credo, uſquequaque morbum curandum adgredimur, quod evenire oporteret ut iiſdem uſque verbis uteremur. Videne quo te abducat nimium contendendi ſtudium? *Jur.* Quid tu audes modo homini ſimiam componere, Jureconſulto Medicum! ſervum quidem domino: nam vos ſervili admodum arti operam datis, nos vero plane imperamus. Delirare hoc quidem eſt, non, ut ſani ſolent, loqui. *Med.* Meam provinciam

ciam ne invadas : ego pro tribunali (nam mea haec eſt juriſdictio) pronuncio , te delirio graviter laborare , atque helleboro promte indigere, non me. Caeterum, ut inſaniam tuam ipſe fatearis , inficiare ſi potes, inter mortales, ſolos medicos vel ipſi Imperatori imperare . *Jur.* Nil hîc Medici arte eſt opus ; manifeſto te intemperiae tenent, quicunque audierit , noſcet . *Med.* Quorumvis hominum non refugio arbitrium , modo Jureconſultus Judex ne ſit.

XII.

Craeſus & Solon.

Craeſ. OMnia tibi patefieri juſſi, Solon, & pecuniam & aurum, argentumque ac lapillos inſpicienda exponi : nec non Armamentarium , naves , equos , elephantos, & quicquid denique praetioſius apud nos aſſervatur . Credo parem mihi regum neminem eſſe , aut magis beatum , & Graeciam tibi tuam pauperem , immo ſane inopem poſthac viſum iri . *Sol.* Magnam hercle auri vim vidi , argentique maſſas , pretioſam veſtem , arma, equos , atque hujus generis quâmplurima ; ſed nihil, Rex, eorum, quae beatos efficiunt mortales, quaeque ego ſerio inquirebam apud te , inveni , & maxime talia deeſſe admiratus ſum . *Craeſ.* Quaenam iſthaec ſunt , hoſpes? Solus enim, aliquid in noſtra fortuna deeſſe arbitratus es , quum reliqui mortales omnes , ingentem bonorum omnium redundantiam apud nos eſſe crediderint , ideoq;me beatum ac hominum feliciſſimum praedicaverint . *Sol.* Neminem profecto unquam ob aurum , argentumque ac lapillos beatum effici poſſe reor , quae & ipſa ſenſu carent , & meliorem ac ſapientiorem nequeunt eum effice-

Digitized by Google

cere , qui ea poſſidet . Homines ſapientia & virtute ad felicitatem niti decet , non divitiis aut potentia , quae inania ſunt , & ſaepius nos in vitia praecipites agunt : *Craeſ.* Omnium ſcilicet mortalium vota reprehendis , atque unum te cunctis praeſtare ingenio autumas, qui deſipere, ſibique malum quaerere caeteros arbitraris, cui ea cordi ſunt, quae Natura ipſa expetenda docet. *Sol.* Unus ego tibi forte , o Rex , veritatem eloqui non dubitavi , non autem unus haec ſentio : quum innumeri Athenis , & Spartae , atque in univerſa ſint Graecia , qui haec & ſciant , & loquantur . Te vero aud mirum eſt , nunc primum haec audiiſſe , qui regia dignitate es praeditus . *Craeſ.* Fateor equidem nunquam antehac hujuſmodi ſermonem ad meas aures accidiſſe : at cur id ita eveniſſe cenſes, quod Rex ſim, eloquere, quaeſo . *Sol.* Quippe inter ſervos verſaris , qui veritatem vel ignorant , vel tacent , & omnia ſpe aut metu ducti eloquuntur ac faciunt , nec ſibi aliud in vita proponunt , quam tibi ſubblandiri , ac ſupparaſitari . *Craeſ.* Omnes igitur mentitos putas qui mecum hactenus locuti ſunt ? meque ipſum adeo hebetem & ſane inſipientem , ut quid verum, quid falſum ſit nequiverim dignoſcere ? *Sol.* Pene jam te mihi iraſci video , quod pauca quaedam tibi elocutus ſum : nam Graecorum libertatem ignoras . Tacebo itaque , & cito hinc abire ſatagam, quando nil tibi prodeſſe poſſum. *Craeſ.* At mane potius , Solon , audiam enim te deinceps aequo animo, nec quod a me diſſentias vitio vertam : *Sol.* Parvum quid polliceris , ſed ſatis id mihi eſt: ſi quis enim veritatem hodie audit tantummodo, cras fortaſſe poterit & illam amplecti .

XIII.

Craeſus & Solon.

Craeſ. NUdius tertius quaedam locutus es , hoſpes ; quae nova mihi omnino acciderunt & inopina , nec adeo admodum grata . Nunc te ideo evocari imperavi , atq; in interius hoc conclave adduxi , ut libere mecum quicquid libuerit proloquaris : aveo enim aliquid de Athenienſium ſapientia deguſtare . *Sol.* Valde jam profeciſſe te reor , o Rex , quod me rurſus audire vis : ſed quid tibi ultro dicam neſcio , interroga ſi quid lubet . *Craeſ.* Me felicem heri negabas eſſe , ſi recte memini , licet divitiis , auro , gemmis , omnis generis voluptatibus , peditum inſuper equitumque ingentibus copiis , armis , navibuſque affluerem , quod in una virtute beatitatem ponere videbare . Nunc illud a te audire cupio , ecquaenam ſit tandem iſthaec virtus , in qua tantum te confidere animadverti . *Sol.* Maximum hoc eſt , o Craeſe , quod poſtulas : ſed Craeſo vis ego reſpondeam , an Regi? *Cr.* Quid autem hoc intereſt ? *Sol.* Valde quidem : nam aliter privato homini de virtute loquerer , admodum aliter Regi : privatorum etenim hominum virtus vix ſeipſos egreditur , Regum virtus nationes integras populoſque complectitur . *Craeſ.* Num alia igitur natura regum eſt , alia caeterorum hominum ? Nec quod bonum his , virtutique iſti tuae eſt conſonum , & illis itidem eſt ? *Sol.* Non ita ſe hoc quidem habet , ſed una virtus eademque uſque eſt ; differt tamen maxime uſu atque utilitate . Nam juſtitia , quam ſervat pauper , vix eſt ut juſtitia appelletur ; cujus enim intereſt , hujuſmodi hominem juſtum eſſe , aut injuſtum ? Prudentia pariter , liberalitas , clementia , tem-

Digitized by Google

perantia; conſtantia; nullius prope uſus ſunt; quod ad humanam ſocietatem attinet, in privatae fortunae hominibus: ſed eaedem in Regum, principumque virorum moribus, veluti gemmae quaedam nitidiſſimae refulgent, ſummaeq; præterea ſunt mortalibus utilitatis. *Craeſ.* Examen quoddam virtutum mihi obtrudiſti, hoſpes, quum unam pollicitus eſſes. Semove, quaeſo, reliquas, una mihi ſat eſt. *Sol.* Ergo Juſtitiam ſeligam, hac etenim una virtutes fortaſſe omnes continentur. *Craeſ.* Portenti ſimile mihi eſt, quod loqueris, unam virtutem caeteras omnes complecti. *Sol.* Minime mirum hoc ſane: nam, ut rem paucis explanem, qui in Deos immortales, in hominum genus, in ſe ipſum juſtus eſt, is verè perfectus atq; omnium virtutum cumulo optimus haberi debet. *Craeſ.* Deleri ergo a virtutum albo aequum eſſet reliquas illas omnes, quas modo praedicabas, nec jam virtutes appetendas dicemus poſthac, ſed virtutem, quando una virtus eſt, non plures. *Sol.* Id ſane verum eſt: & plura nomina non plures efficiunt virtutes, ſed potius unius virtutis varia officia deſignant. Nam qui temperans eſt, erga ſe juſtitia utitur, quod corpori aeque ac menti conſulit, voluptatibus ac ciborum redundantia abſtinens, quae utrunque ſolent vehementer perturbare. Qui largus & liberalis eſt, is opis ſuae indigentibus juſtitiae legibus ſubvenit: admodum namque aequitati naturali conſonum eſt, quibus abundes, ea quibus deſunt impertiri. Pietas itidem in Deos & parentes juſtitia eſt: nam & illorum excellenti naturae, & horum beneficiis aequum quammaxime eſt, cultu & obſequio nos gratos oſtendere. Atque ita de caeteris, quas nominavi, dicere poſſum. *Craeſ.* De una hac itaque loqui lubet, Solon: ſed modo coenandi tempus inſtat; in craſtinum hunc ſermonem rejiciamus.

XIV.

XIV.

Craeſus & Solon.

Craeſ. DEambulatum huc deſcendi, ut tecum ſemotis arbitris colloquerer: nam miro quodam deſiderio afficior te audiendi. Age igitur, hoſpes, quae de juſtitia habes, deprome, namque hanc maximam virtutem heri appellabas, eamque magnifacere videbare. *Sol.* Difficile eſt cum Rege de juſtitia loqui: nam in ſumma potentia non quod aequius plerunque probatur, ſed quod utilius ac jucundius. Abſurda proinde tibi oratio mea videbitur, ſi regale faſtigium ad aequitatem cum caeteris mortalibus conabor adducere. *Craeſ.* Quid hoc ſibi velle dicam? Nec enim plane intelligo. *Sol.* Tribus hoc, quicquid eſt, verbis abſolvam. Si juſtitiam vis colere, aequo te jure cum caeteris omnibus eſſe arbitreris neceſſe eſt: immo hoc amplius in tua fortuna eſſe, quod non tibi ſit ſatis, ipſum juſtum eſſe, ſed oportere inſuper, ut alios ad juſtitiam exercendam compellas. Hoc nempe eſt Regem eſſe. *Sol.* Jam tu opificem me quemdam & fabrum ex Rege effeciſti: & ſane maxime durum atque operoſum vitae genus proponis. At quid ita me dicis, aequo jure cum reliquis debere eſſe? Nonne aliquid intereſſe putas nos inter qui imperamus, & eos qui nobis parere debent? *Sol.* Sane intereſt: ſed ut patrem inter & liberos. *Cr.* Cur non potius, ut ſervos inter & Dominum? *Sol.* Nequaquam iſtud. Caeterum credis, aliam dominorum, aliam ſervorum naturam eſſe? *Craeſ.* Ego vero non adeo malignam fuiſſe Naturam arbitror, ut omnes homines pares eſſe voluerit. *Sol.* Quod ad hoc attinet, non id quidem voluit Natura: immo quoſdam homines ſervos naſci juſſit, quoſdam liberos. Sed hoc ma-

Digitized by Google

malus mos & potentiorum vis corrupit, ut ſaepenumero ſerviant liberi, ſervi dominentur. *Craeſ.* Eandem mihi Naturam modo omnes in aequo homines poſuiſſe dicis, modo quoſdam imperare aliis, atque hos illis obedire voluiſſe. *Sol.* Planius exponam hoc, ne in errorem incidas, o Rex. Pares ſumus omnes, ſi homines, ut caetera animalia inſpiciamus: ut enim omnium equorum, & canum eadem natura eſt, ita & hominum. Rurſum, ut equus equo praeſtat, canis cani, ſi quod equorum & canum natura fert, praeſtantius in aliquo eſt cane aut equo: ita, quum homini homo mente, ingenio, moribuſque longe praeſtare profecto poſſit, is qui talibus caeteros ſupereminet, utpote melior ac praeſtantior, praeeſſe caeteris equum eſt. Haec ipſa docet Natura, atque haec prima ſunt juſtitiae fundamenta. *Sol.* Bellum ita inexpiabile inter homines inſtituis, Solon: nam quum nemo velit aliis ingenio, moribuſque cedere, ad arma & vim res perpetuo ſpectabunt, ut uter jure imperet, uter ſerviat, dignoſcatur. *Sol.* Atque ideo apud nationes, qui Reges pati poſſunt, inſtitutum eſt, ut omnium ſuffragiis unus eligatur qui imperet, ea lege, ut ei obediant univerſi. Optimus quippe eligi deberet, ut Naturae lex ſervaretur, quae optimos omnibus praeeſſe voluit. Verum utcunque res accidant, certe illum qui caeteris imperat ſumma ope niti decet, ut probitate, conſtantia, liberalitate, juſtitia omnibus longe praeniteat, iiſque, quibus praeeſt, ſit quam utiliſſimus. *Craeſ.* Mane, quaeſo: nam tu Reges pro ſubditorum utilitate factos eſſe arbitrari videris, non contra. *Sol.* Profecto ita reor: niſi tibi aequius videtur, tot hominum millia propter unius hominis voluptatem, & compendium naſci. *Craeſ.* Servum ergo Regem efficis: quaenam haec tandem juſtitia eſt. Merito delirare Graecos vulgo autumant. *Craeſ.* Agnoſco Lydi hominis, & Re-

Regis ſermonem ? At ne quidquam taceam ; quod tibi poſſit prodeſſe, audi Rex, ut occoepiſti, Graeci hominis deliramenta. Nil homine dignius, Graeci arbitramur, quam hominibus prodeſſe: adeo ut apud nos qui genus humanum magnis beneficiis affecerunt, inter deos ſint relati, hanc ſcilicet meritorum ſuorum a gratis hominibus aſſecuti mercedem, qua nulla major a nobis dari, atq; excogitari poteſt. *Cr.* Doctum doces, quis haec non novit. *Sol.* Quid ergo, Cererem, Palladem, Vulcanum, Bacchum, Herculem caeteroſque, ſervos hominum appellas, quod ad eorum utilitatem curas & ſtudia converterunt? *Craeſ.* Abſurdum hoc equidem eſſet. *Sol.* Abſurdum attamen tibi modo videbatur, quod praecipuum Regis officium dicerem, Populis, quibus praeeſt, prodeſſe. Proderit autem ſi juſte imperabit. *Cr.* Revolvimur ad juſtitiam, cujus ego audito tantum nomine conturbor plane, hoſpes, & iraſcor: nam haec mihi maxime videtur præter omnia ſummae poteſtati adverſari. *Cr.* Num adverſari nauclero diceres artem, quae eum doceret, quo pacto is navis curſum quam rectiſſime moderaretur? Hoc ſcilicet juſtitiae munus eſt, ut doceat quid agere, quid vitare debeamus. *Craeſ.* Debere autem aliquid regem agere, aliquid vitare, ſane eſt injurium: nam omnino pro arbitrio agere id demum regium eſt. *Sol.* Regium ergo fuerit, paſſim ſaevire, ultro inſontes occidere, omnia ad ſuas voluptates referre, bona civium diripere? Nam haec & ejuſmodi velle aliquando poſſes, o Craeſe. *Craeſ.* Quid velim, quid nolim, id enimvero me unum ſcire decet, alios inquirere nefas, nec tutum eſt. *Sol.* Satis pro imperio: at cum Satrapa aliquo modo loqui te cenſes, non cum Graeco homine, qui de juſtitia tecum verba facit. *Craeſ.* Aufer hinc celeriter, quaeſo, hoſpes, incommodam iſtam, ne quid aſperius dicam, virtutem: eamque tecum primo

quo-

ris. *Cr.* Me autem ipſum prorſus negligere jubes? *Sol.* Mini ne vero iſtud, nam maxime eſſet abſurdum. Quum vero te ipſum recte curabis, tum optime ſubjectis conſules: unum enim idemque eſt Populi ac Regis commodum. *Cr.* Non hoc a te expetebam. *Sol.* Quid ergo? *Cr.* Prandere me ſinis, coenare, horum hortorum, ubi deambulamus, amoenitate frui, aliquid denique animi, corporiſque cauſa agere, an haec quoque me ad populorum jubes utilitatem referre? *Sol.* Ludere te mecum credo: nam & haec, & hujuſcemodi plurima agere te oportet, non tuae tantum voluptatis ac ſanitatis cauſa, ſed & utilitatis populorum. Nam filiis conducibilius nihil eſt, quam patrem bene valere, atque hilarem eſſe. Caeterum omnes tibi voluptates vileſcent, ubi maximam illam, quid ſit nempe ex animo diligi & amari a populis tuis, vel ſummis labiis deguſtabis: quum pro tua valetudine vota ſincere ab iis ſuſcipi cernes, quum vel hoc uno longe plura te in amantes populos poſſe, quam modo in paventes. *Craeſ.* Tace, Solon. Nam facilius ego tibi ſuadeam, ut ſervire alicui ex meis Satrapis velis, quam tu me a veteri mea ratione ad tam abſonam, & abſurdam abducas. *Sol.* Mane ergo in ſententia: ſed harum rerum, quae tantopere te modo juvant, finem eum videbis aliquando, cujus te vehementer & fruſtra poenitebit.

Ferdinandi & Januarii.

XV.

Jan. AUdivi heri e Lycida puero tuo, agellum te emiſſe ſuburbanum in ipſo maris litore amoenum ſatis, &, ut viſum eſt, litterario ocio nimis quam opportunum, illoq; te brevi traſmigraturum. Gaudeo pla-

ne, taedere tandem te Urbis, & vitae hujus illiberalis, quam omnes modo hîc vivimus. *Ferd.* Nec tibi falſum retulit Lycida, nec aliud hercle quam urbanae vitae taedium cauſa fuit, quamobrem praedium iſtud emerem, contra M. Catonis praeceptum, qui emacem patremfamilias negat eſſe oportere. *Jan.* Ut quietem vero, honeſtumque otium quis emat, nec Catonem, nec philoſophos omnes, ſi contra niterentur, me authore, audiet: quamvis ille non de fundi emtione, ſed de ſupellectile, inſtrumentoque ac ejuſmodi rebus, ſi recte interpetror, loquitur. Tu vero, Ferdinande, quanam re potiſſimum adductus, repente ſeceſſionem paras? Porro omnia tibi adhuc proſpere evenerunt, nec ullum tibi Fortuna, ut aſſolet, vulnus inuſſit. *Ferd.* Num tu me velles meo periculo ſapere? Felix quem faciunt aliena pericula doctum, ſapienter, dixit ille: ideo me ſatis aliena mala edocuerunt: nec ſane prudentis hominis eſſet, quum vicini domum ardere videat, otioſum ſedere dum & ſua ardeat. Tot jam graves vidimus clarorum virorum caſus, tot jam ipſo in curſu, nihil minus timentes, inter negociorum turbines, vanaſque ſpes morte interceptos, antequam quid vere vita ferret, quaeque libero homine ſtudia digna eſſent, poſſent cognoſcere. Quid ergo? Nonne decuit, me tempeſtive ad vaſa conclamare, nec florenti jam aetate, nec firma ſatis valetudine? Relictis ideo, imo abjectis externis omnibus negociis, aliquod inter vitam & mortem intervallum mihi ſeponendum viſum eſt, ut iter illud tandem ingrederer, quod unum ad se ipſum hominem, circa inania atque inutilia palantem, reducit. *Jan.* Macte virtute eſto, vir optime: magnum ſane opus aggreſſus es, & philoſopho dignum. Quam vellem idem mihi domeſticae rationes meae permitterent! at de bibliotheca, quam amplam comparaveras, quid cogitas? *Ferd.*

Ju-

Juriſconſultos omnes cujuſcunq; generis propere diſtrahendos curavi, & quidquid inſuper quiſquiliarum erat. Doctorum virorum opera tantum retinui, & quae mihi deeſſe ſenſi, mercatus ſum: aud magnus ſane librorum numerus, ſed, ut cernes, ſi eò me inviſes, quantivis precii. *Jan.* Ego te, Ferdinande, nunc primum vere ſapere exiſtimo: doletque ex animo, me in iſtud exilium, quovis conſulatu praeſtabilius, te ſequi non poſſe. At Dj ſaxint, oro, ut poſſim aliquando.

Caroli & Ferdinandi.

XVI.

Car. SAlve Ferdinande. *Ferd.* Dj te ament Carole. Quid te dicam huc traxiſſe ſolitudinis inimicum? *Car.* Tu ipſe ſcilicet: nam paullo ante te hîc agere cognovi. Veni igitur ut amiciſſimum hominem inviſerem. Tu autem, nam hoc quidem eſt, quod a te exquirere maxime cupio, quid tandem ſecutus ſolus hîc omniſque conſuetudinis expers, moraris? *Ferd.* Ut genio indulgeam. *Car.* An cuiquam volupe eſſe poteſt, Urbes atque homines fugere, agroſque ſequi ac teſqua deſerta & inhoſpita? *Ferd.* Id ita Natura comparatum eſt, ut non omnes omnia delectent. Tibi Urbs maxime arridet, mihi ager hic & maris litus. *Car.* Quid te inanima iſta, & muta, quaeſo, juvant? *Fer.* Et ego a te viciſſim exquiro, cur in Urbe commorari pergas, quod mihi nec ſuave, nec amoenum videtur eſſe? *Car.* Cur ita, amabo, cenſes? *Fer.* Urbs namque innumeris incommodis ſcatet, ut ſi quis quiete ac tranquille vitam agere cupit, id niſi urbe relicta aſſequi nequeat. Ibi enim, ut quae ab Horatio narrantur incommoda taceam, nequam homines ubi-

Digitized by Google

que circũmcurſtant, & cum honeſtis hominibus bella gerunt. Hîc pauperes tantum agricolas videas, unumq; atque alterum ſervulum, quos mecum huc adduxi : qui ſi minutas aliquando fraudes moliuntur, vites facile, aut feras, nihili etenim ſunt. In Urbe potentiorum adſpectus aſſidue conturbat: niſi quis eſſet, qui libenter ab iis contemni ſe aequo animo videat, qui opibus, dignitate, majorumq; imaginibus praeſtant. Hîc tu Rex ſcilicet es, omniumq; ſublimior incedis, nec te potentiorem facile invenias. Denique, ut ad ſummam rei me referam, ruri ad naturalem libertatem proprius accedimus, nec alieno cogimur vivere arbitrio. Quid multa? Qui hîc degunt vivere mihi ſoli videntur & regnare, ſervire verum & pene mortuos eſſe qui in urbe ſeneſcunt. *Ferd.* Profecto tu nos ad ſemiferam illam vitam revocas, unde quondam a ſapientibus viris deducti homines, urbes coeperunt incolere, & in ſocietatem coire. Vide ne id dedecori ſit tibi, neve populo atra bili percitus videare. *Ferd.* Id curandum ſcilicet, quid de nobis ſentiat populus, qui rerum peſſimus Judex eſt. Nobismetipſis ſatisfacere, & e ſapientum praeceptis regulam nobis vitae proponere, id demum vere hominis eſt. *Car.* Tu certe ſtultos omnes viventes in urbe dicis, ſoloſq; qui ruri degunt ſapientes : quod vel ipſo philoſophorum exemplo damnatur; nam nullus fere eorum in agris vixit, ſed pene omnes in urbibus. *Fer.* Si illos tu ſolos, quorum nomina litteris ſunt conſignata, philoſophos appellas, falleris : nam longe ſapientiae amantiores illos ego repuro fuiſſe, qui omnibus ignoti vitam ad naturae normam in obſcuro degerunt. Caeterum ego infelices qui in Urbibus vivunt, non inſipientes reor, ſi qui tamen ſunt, qui inde evolare cupiunt, nec poſſunt. Sed tu huc tecum vel praecipuum ſocietatis incomodum attuliſti : nam me vetas meo arbitrio vivere. I jam ergo, faceſſe hinc quò lubet;

bet ; neque te hic teneo , nec ab inſtituto dimovere conor . Me autem non adeo leviter ſervitutis pertaeſum eſt , ut te , caeteraſque ſervientium animas in urbem denuo ſequi poſſim .

Marci & Lucretiae.

Mar. SAlve mea mellitiſſima . Ut vales , ut me amas ? Iterum ſalve , immo χαῖρε χαῖρε *Lucr.* Unde ad me tam hilaris redis , bone vir ? Unde riſus , & nova iſta & ignota verba ? Sane latet aliquid. *Mar.* Jam vaticinaris , ut ſoles , ſive potius ſomnias . Non me hilarem ad te venire decet , qui te medullitus amo ? Non ore , oculis , geſtu laetitiam ſignificare , quum dies jam adeſt , qui noſtris fuit olim dictus nuptiis ? Profecto ſi poſſem non Graecis modo verbis , ſed Arabicis , Aegyptiis , Indicis te ſalutarem : immo per omnem terrarum orbem tuas laudes , mea roſa , meus paſſer , diſſeminarem . *Lucr.* Nimius nempe es , & falſus , ſubolet neſcio quid ; aut me jam feſelliſti , aut paullo poſt falles. *Mar.* Quis te fallat , quae non centum , ut Argus quondam , ſed mille habes oculos : quae quicquid egi , quicquid dixi , quicquid cogitavi , planius ac melius ſcire ſoles me ipſo . *Lucr.* Os durum : coges me ea proloqui , quae premere ſilentio decreveram . Scio equidem , belliſſime , non quid cogitaſti , aut dixiſti , verum quae impudentiſſime patraſti . *Mar.* Saliebat mihi ſupercilium , quum domo ad te iter ſum ingreſſus : hoc profecto praedicebat Venus , neſciebam antea cujuſnam impendentis mali admonerer , nunc tu me ut plane ſcirem effeciſti . At quid tantopere tumes ? Quid ſcis ? Eloquere tandem . *Lucr.* Apage a me viros hujuſmodi , qui nec fidem , nec veritatem penſi habent . At ego ſtulta , plumbea , & ſane

excors, quae advenam, ignotum coeco quodam impetu amare occoepi; me miſeram! *Marc.* Quae te mala crux agitat, ſciemus hodie an non? Disrumpor equidem, ita me lente, ita minutatim concidis. Hercules ſalva me, jam flet. Quid, malum, fles, ineptiſſima? *Lucr.* Id ſupererat ſcilicet, ut me contumelioſe etiam appellares. Sane ego peſſimis peream exemplis ſi talem diutius tyrannidem perpetiar: alium quemvis mihi virum illico optabo. *Marc.* Bona verba, quaeſo, Lucretia: nec contumelioſus, nec tyrannus in te unquam fui, vel eſſe poſſem; ſi quid amoris impetu prolapſus incogitanter dixi, parcas rogo. Scis quanti te faciam, quam te depeream, quam vehementer tuas nuptias ambiverim. At age, vita, dic, obſecro, aliquando, quae tanta irarum moles, cujus me culpae, cujus ſceleris inſimulas. Porro ego per Jovem jurare paratus ſum, nihil omnino mihi ipſi conſcire, nec ulla culpa ſollicitum eſſe. *Lucr.* Callum jam obduxiſti, improbe, ideo nec ſollicitus es, nec paves, quum tantum nefas admiſeris. An te, ſi ulla eſſet boni honeſtique cura, non totis artubus nunc contremiſcere aequum eſſet, qui lupam illam triobularem . . . . ah! vox mihi haeret faucibus, nec amplius loqui queo. lutum hominis, fex mera. I propere, & aliam tibi deſtina, mei te ne meminiſſe quidem ulterius velim. *Marc.* Quam tu mihi lupam, quam urſam narras? Quis tibi fabellas iſtas venditavit, o bona? Non ego Junonem Reginam, non auream Venerem prae te floccifacerem, anima, lux, vita. *Lucr.* Abi hinc cum blanditiis iſtis, nugator. Nonne ego tibi rem totam ordine narrare memoriter poſſem, ni pudor obſtaret? *Mar.* Quid narres? Quid hoc commenti eſt? *Luc.* Vale pudor, ſine hunc mendacii manifeſte redarguam. Nonne ego novi quod tibi Lucilius, ſenex iſte corru-

ptiſ-

ptiſſimus , domum praebuerit ; turpiſſimum lenocinium exercens , quod praerogativam ipſe habuerit , quod tu impigre praelium exceperis : quod ego ſim infelix , quod tu ſis omnium hominum nequiſſimus . En tibi Juno , en Venus , quas ejiceres , en Juppiter , per quem dejerares . *Marc.* At ego neutiquam . . . . videne mea . . . Deſunt equidem verba ; quid vis reſpondeam mendacio ? Dicam vero . . . *Lucr.* Taceſis potius , res palam eſt . Efficiam mecaſtor , ne nobiles puellas laeteris decepiſſe . Abi hinc dejerecte , impure , ſceleſtiſſime .

AEacus , Armeninus .

AEc. Comprehendite hunc , & vincite , compedes ac manicas annectite ; ita profecto ; ſternite rurſum fortiter , atque affligite totis viribus . *Arm.* Heu me miſerum ! *AEac.* Scelerum caput ! Vere te miſerum dicis. Vide qualis homuncio ab inferis effugere , totque vigiles cuſtodes fallere ſperavit ! Verberate perpetuo , pugnis, calcibuſque contundite . *Arm.* Hei , hei , hei , at tandem Aeace . *AEac.* Tandem ! Neſcisne hoc ignotum hîc verbum eſſe ? Caedite , calcate , diſtrahite . *Arm.* At ſaltem pauca quaedam ex te exquirere liceat , Judex ſaeviſſime , quae me paullo fortaſſe acrius excruciant , quam haec ipſa quae nunc fero . *AEac.* Audiam , eloquere : vos interea dum loquitur , acrius torquete . Peſſimus hic , & nequiſſimus . *Armen.* At ceſſent ſaltem dum loquor . *AEac.* Et ſaltem hinc exulat : loquere ſi vis , ſinminus abripi te confeſtim hinc jubebo in interius Tartarum , quod tibi aeternum erit domicilium . *Arm.* Heu , heu ! In quantas malorum voragines me praecipitem egit mors , quam merito tam anxie formidabam .

Ve-

Verum ejulans potius ac gemens loquar, quam utique taceam. Age ergo, Aeace, dic, aurum, quod ego tot laboribus tantaque bonae exiſtimationis jactura paraveram, quis modo habet? *AEac.* Ferdinandus: qui tibi adhuc vivo, ſed vi morbi dejecto, claves, quas interiori veſte diligentiſſime cuſtodiebas, abſtulit, ſcriniiſque compilatis, abiit, teque ſemivivum reliquit. *Armen.* Quemne ego menſae quotidie adhibebam, quique mihi intimus, atque unicus erat? *AEac.* Is ipſe. *Arm.* Is ergo adeo me neglexit, ut ſpirante adhuc relicto, ad aurum convolarit? At quid alumnus ille meus interea egit; clamavit, credo, reſtitit, pecuniam eripuit. *AEac.* Nihil horum prorſus. Sed & ipſe horologia aliquot ex auro, gemmaſque, ac periſtromata ſubripuit, & abiit. *Arm.* O rem incredibilem! O indignum facinus! Itane agi! *AEac.* At mihi non vacat ſtultitias tuas audire: neſciebas, male parta male dilabi? Agite jam, abripite hunc quò juſſi.

F I N I S.

Digitized by Google

PHILIPPUS DE MARTINIS

JANUARIO PARRINO

Cl. Juriſconſulto

S.

QUUM nihil in Venere culpare lyncaeis emiſſitiiſque illam circumſpectans oculis poſſet Momus, ne ſuae, quam apud Deos profitetur carpendi omnia, arti deeſſet, ſandalia aut laxa nimis ruſticarum, aut arcta Sinenſium more carpere occoepit; id mihi tuas opellas, doctas Juppiter & laborioſas, Attico ſale, ut non ſolum Eraſmum ſuperes ipſis paraſanghis, ſed & Luciani aeques Dialogos, inſperſas legenti, licet tamquam canis venaticus iterum & tertio luſtraſſem, nec ſemel nares, quarum obeſiorum me eſſe agnoſco, emunxiſſem, uſuvenit. Quum enim nihil prorſus offendiſſem quod obelo tranſigi, aut miniatula Attici cerula, quam ipſe pertimeſcebat Cicero, notari poſſet: ſive phraſium nitorem, ſive ornatum ſtylum, ſive periodorum concinnitatem, Auguſteo omnia, hercule, ſaeculo digniſſima ſpectes: in Chalcographorum menda, paucaſque labeculas, immo naevos, ni etiam fallar, genuinum infigere vix mihi poſſe datum eſt. Quae ſi ea calami libertate, quae mea propria eſt, & quam, quum haec provincia mihi demandata, inculcare tibi viſum fuit, notabo, boni certe conſules; ea enim eſt animi tui moderatio, ea eſt tua facilis & ingenua indoles, ne te extra omnem ingenii aleam ſitum, hominemque te eſſe, nihilque humani a te alienum eſſe putes, & quemcumque, non moroſum tamen monitorem, nec puridum Cenſorem aequo animo patiaris. Longe enim ab his Literatoribus, quorum ſupercilium & ſaſtus intolerabilis eſt, abes; quippe qui bene calleas effatum illud Venuſini, *Quandoque bonus dormitat Homerus*. Haec breviter praefatus res ipſas aggrediar, ſingulas ad libellam appendens, adamuſſim componens, & applicans ad Lydium lapidem. Vale.

ER-

E R R A T A.			C O R R I G E.
Pag. 5.	*verſ.* 14.	contiſcente	conticeſcente.
6.	22.	id equidem	equidem id.
23.	*ult.*	Vaeſevum	Veſevum.
33.	30.	Numemque	Numenque.
35.	18.	ſcuriſſima	obſcuriſſima.
ead.	19.	viddentur	videntur.
38.	33.	Dononaæ	Dodonææ.
49.	17.	Tor rei jo. udicatai	Tor. Rei. Joudicatai.
55.	27.	Hyeroſolimas	Hieroſolymas.
57.	24.	Suppellectile	Supellectile.
61.	28.	effaetam	efferam.
62.	9.	Craeſus	Croeſus.
63.	*ult.*	Craeſus	Croeſus.
73.	34.	exagerare	exaggerare.
100.	*ult.*	Dyoniſio	Dionyſio.
120.	16.	evevit	evenit.
128.	24.	fraudolentos	fraudulentos.
150.	9.	at	A
ead.	*ult.*	deſtinguere	diſtinguere.
191.	3.	ſquallere	ſqualere.
226.	7.	Demoſtenis	Demoſthenis.
238.	1.	naxa	naſſa.
ead.	25.	Camillum fecit	Camillum.
261.	5.	Phrigioni	Phrygioni.
268.	26.	devincindos	devinciendos.
272.	19.	ſit	ſi.
274.	33.	pulices	culices.
280.	1.	ambabis	ambabus.
303.	6.	ſtrategemate	ſtratagemate.
306.	17.	foeculenta	faeculenta.
317.	3.	Zephirum	Zephyrum.
319.	23.	conſpicebant	conſpiciebant.
338.	12.	diſcordiae, peſtes	diſcordiae peſtes.
344.	17.	Triſtino	Triſſino.
357.	8.	Gnei	Cnei.
358.	24.	otii nam	nam otii.
373.	25.	poedagogis	paedagogis.
374.	24.	hac poematis	hoc poematis.

Pag.

ERRATA:			CORRIGE.
Pag. 375.	*verſ.* 6.	ſimile	ſimili.
377.	30.	quod	quid.
384.	3.	ablaterandi	blaterandi.
387. 27. &	33.	Dyoniſius, Dyoniſium	Dionyſius, Dionyſium.
411.	11.	ſervi nam	nam ſervi.
412.	12.	deviſtum	devinſtum.
415.	2.	cavendum nam	nam cavendum.
416.	10.	ſoli nam	nam ſoli.
427.	*ult.*	traſmigraturum	tranſmigraturum.
478.	10.	interpetror	interpretor.
430.	13.	ſervire verum	verum ſervire.
ead.	32.	incomodum	incommodum.

Digitized by Google

EMINENTISS. SIGNORE:

VIncenzo Manfredi, ſupplicando eſpone a V. E. come vorrebbe ſtampare nella ſua pubblica Stamperia un'Opera, intitolata: *Januarii Parrini J. C. Neapolitani Belvederius, ſive Theatrum & Dialogi varii argumenti*. E perche vi biſogna il permeſſo dell' E. V. perciò la ſupplica a deſtinare un Reviſore, il quale debba oſſervare ſe in tal' Opera ſiavi coſa contro i buoni coſtumi, e la Santa noſtra Religione: affinchè non eſſendoci alcun legittimo impedimento poſſa quella darſi alla luce: e lo riceverà a grazia ut Deus &c.

Adm. Rev. P. Joachimus Majus Ordinis Prædicatorum S. Th. Baccalaureus revideat, & in ſcriptis referat. Datum Idibus Sextilibus 1758.

J. Epiſcopus Philadel. Vic. Gen.

Joſeph Sparanus Can. Dep.

Eminentiſſime Princeps.

Opuſcula inſcripta *Belvederius, ſive Theatrum, & Dialogi varii argumenti*, ad quæ aggreſſus eſt Vir clariſſimus Januarius Parrinus eximius Juriſconſultus Neapolitanus, quum te mandante ſerio luſtraverim oculo; ita ad libellam Catholicæ Religionis exacta, & cuſa deprehendi, ut nihil in iis aut Chriſtianæ Ethicæ diſſonum, aut veris Jeſu Chriſti dogmatis refragans offenderim, immo firmum, atque verſatile viri ingenium ſum demiratus, qui laborioſis, acerbiſque diſtentus fori negotiis, curiſque, in re ſeu gravi, ſeu levi omne tulit punctum miſcens utilia dulcibus, ſtyli candorem, latii puritatem, ſententiarumque firmitatem miro fœdere jungens. Ita cenſeo.

Ex almo D. Thomæ Collegio Neapolitano XII. Calend. Septemb. Ærae Chriſt. ann. MDCCLIX.

Fr. Joachimus Majus Ord. Præd. Sac. Th. Baccal &c.

Attenta relatione Domini Reviſoris imprimatur. Datum Calendis Decembris 1759.

J. Epiſcopus Philadel. Vic. Gen.

Joſeph Sparanus Can. Dep.

S. R. M.

Digitized by Google

S. R. M.

SIG:

VIncenzo Manfredi publico Stampatore di queſta Città rappreſenta a V. M. come dovendo ſtampare un' Opera intitolata: *Januarii Parrini J. C. Neapolitani Belvederius ſive Theatrum , & Dialogi varii argumenti* , le biſogna ſecondo le leggi il Sovrano permeſſo della M.V. Pertanto la ſupplica a volerſi degnare di deſtinare un Reviſore, che meglio le parerà, affinchè oſſervi ſe in detta Opera vi ſia coſa contro i buoni coſtumi e la Real giuriſdizione della M. V. onde poſſa poi ſicuramente darſi alla luce , e lo riceverà a grazia ut Deus &c.

A. & M. Doctor D. Franciſcus Serao in hac Regia Univerſitate Profeſſor revideat , & in ſcriptis referat : Neap. die 9. *menſis Septembris* 1758.

Nicolaus de Roſa Epiſcopus Put. C. M.

Januarii Parrini Viri clariſſimi ingenium in Dialogis conſcribendis ab ineunte aetate feliciter ſtrenueque in primis verſatum , nec valetudine , nec curis negotiiſque forenſibus interturbantibus ab inſtituto avocari potuit , quin pergeret ; novumque exercitationis argumentum quaereret in Theatri hiſtoria , praeceptionibuſque perſequendis : in quo praeter uberis elimatiſſiniaeque doctrinae fructum , proſtat commemoratio ſatis opportuna quorundam noſtratium doctorum Virorum , quorum nomen meritiſſime poſteritati commendatur. Eum ego Dialogum , alioſque complures fere extemporales varii argumenti juſſu Regio perlegi quam diligenter : nec invenire quidquam fuit , quod morum integritati, Regiiſque Sanctionibus ulla ex parte officeret.

Neapoli X. Kal. Octobris MDCCLVIIII.

Franciſcus Seraus Prof. Regius.

Die

Digitized by Google

Die 10. *menſis Octobris* 1759. *Neapoli*.

VIſo Reſcripto ſuæ Regalis Majeſtatis ſub die 8. currentis menſis, & anni, ac relatione Doct. D. Franciſci Serao de commiſſione Rev. Regii Cappellani Majoris. Regalis Camera Sanctæ Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma præſentis ſupplicis libelli, ac approbationis dicti Reviſoris; Verum in publicatione ſervetur Regia Pragmatica hoc ſuum.

Caſtagnola. Fraggianni. Gaeta. Romanus.

Ill. Marchio Danza Præſ. S. R. C.

tempore ſubſcriptionis impeditus.

Reg. fol. 86.

Carulli.

Athanaſius.

All' Illuſtriſſimo Signor Marcheſe D. Niccolò Fraggianni Delegato della Real Giurisdizione e Conſigliere della Real Real Camera di Santa Chiara.

VIncenzo Manfredi pubblico Stampatore in queſta Città di Napoli con ſuppliche rappreſenta a V. S. Illuſtriſs. come intende di riſtampare alcuni Opuſcoli dell' Avvocato D. Gennaro Parrino, intitolati: *Neptunus*, *Fortuna*, *Palinodia ad Fortunam*, *&* *Convivium Rabularum* *&* *Dialogi Forenſes decem*, altra volta ſtampati in Napoli ed altrove. Perlochè biſognandole il permeſſo di V. S. Illuſtriſs. umilmente la ſupplica a volercelo concedere, e l' avrà in luogo di ſpecial grazia &c.

Die 4. *menſis Novembris* 1759.
Reimprimantur.

FRAGGIANNI.

Carulli.

592869

NAPOLI